# MARTYROLOGIUM

## ROMANUM.

# MARTYROLOGIUM
# ROMANUM

GREGORII XIII.

JUSSU EDITUM,

URBANI VIII. ET CLEMENTIS X.

AUCTORITATE RECOGNITUM

AC DEINDE ANNO MDCCXLIX.

BENEDICTI XIV.

LABORE ET STUDIO AUCTUM ET CASTIGATUM.

EDITIO NOVISSIMA,

JUXTA EXEMPLAR ROMÆ IMPRESSUM MDCCCXLV,

SS. D. N. GREGORIO XVI. PONT. MAX.

AUSPICE ET PATRONO,

IN QUO SANCTORUM ET BEATORUM EXTANT ELOGIA PRO ORDINIBUS ETIAM REGULARIBUS A SAC. RIT. CONGR. AD HÆC USQUE TEMPORA APPROBATA.





MECHLINIÆ.

P. J. HANICQ, SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE ET ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS.

CUM APPROBATIONE. — MDCCCXLVI.

# SS. DOMINI BENEDICTI XIV.

## LITTERÆ APOSTOLICÆ

## DE NOVA MARTYROLOGII ROMANI EDITIONE

## AD JOANNEM V.

PORTUGALLIÆ ET ALGARBIORUM

REGEM ILLUSTREM.

---

# BENEDICTUS PP. XIV.

CHARISSIME IN CHRISTO FILI NOSTER, SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

*Novæ editionis Martyrologii Romani causa et occasio.*

POSTQUAM intelleximus, Majestatem vestram mandata dedisse dilecto Filio Emmanueli Pereyra de Sampajo Commendatori Militiæ Domini nostri Jesu Christi, et negotiis Majestatis vestræ apud Nos et Sedem apostolicam præposito, ut Romanum Martyrologium, quo et regnorum vestrorum et totius orbis catholici commodo atque utilitati consuleretur, splendore ac diligentia quadam præcipua, in hac alma Urbe imprimendum curaret; ab eo autem, provido consilio selectum fuisse navum atque industrium typographum, qui pridem nitidissimos Evangeliorum atque Epistolarum codices seorsim editos, eadem Majestate vestra id mandante, sumptusque ministrante, prælo subjecerat; virum item ecclesiasticum, probitate, atque ejusmodi rerum peritia instructum, fuisse designatum, ut nova Martyrologii editio, ceteris quæ præcesserunt nobilior atque accuratior in lucem prodiret: postquam hæc intelleximus, vehementer in Domino gavisi sumus; atque Majestatem vestram, de cujus in rem divinam, et sacros Ecclesiæ ritus insigni pietate ac munificentia, præclara suppetunt argumenta, meritis efferre laudibus non cessavimus. Hac vero opportunitate Nobis oblata, quamvis assiduis apostolici ministerii curis ita distineamur, ut nonnisi subsecivæ quædam, quibus privatis studiis vacare liceat, aliquando supersint horæ, e re nostra futurum putavimus, si et Nos ad egregium opus perficiendum, aliquid apostolico muneri non incongruum conferremus.

*Ejus finis, ratio, utilitas.*

II. Minime Nos fugiunt multæ gravesque controversiæ quæ circa Romanum Martyrologium agitantur; ab aliis quidem, quos scientia inflat, inexplebili quadam dubitandi prurigine; ab aliis vero, qui ad sobrietatem sapiunt, eo consilio, ut quæ subobscura sunt vel incerta, nova quadam veritatis luce donentur. Ab hisce tamen quæstionibus duximus omnino abstinendum; quandoquidem hac in re illud Nobis proposuimus, ut ab accuratis Martyrologii correctionibus, quarum prima Gregorio XIII. prædecessore nostro

Ecclesiam gubernante, altera vero sub Urbano VIII. nostro item prædecessore peracta est, de quibus verba fecimus in nostro Opere *de Canonizat. Sanctorum lib. 4. part. 2. cap.* 17. editionis Patavinæ, qua una in locorum allegationibus hic utimur, nullo pacto recedamus. Quocirca, si quæ infra dicturi sumus, rite expendantur, Majestati vestræ perspectum erit, nostras hasce in Martyrologium curas eo tandem contendere, ut quæ post evulgatas correctiones supervacanea occurrunt, resecentur; quæ vero deficiunt, superaddantur. Hoc autem semel posito, et anteactis emendationibus nihil detrimenti, et novæ huic editioni utilitatis multum accedit.

Prolixiora quædam Sanctorum elogia contrahuntur.

III. Nedum Sanctorum nomina; sed et illorum elogia, hoc est brevior quædam et compendiaria de eorum virtutibus, vel morte quam pro Christi fide fortiter obiverunt, oratio, Romano Martyrologio apponitur. Porro ejusmodi elogia non jam cujusque arbitrio concinnanda sunt, sed, post editum decretum de Sancti alicujus nomine Romano Martyrologio inscribendo, ejus elogium, ex usu recepto, a venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Congregatione examinandum est, atque probandum; tandemque Romani Pontificis confirmatio accedat necesse est; ut in memorato Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap.* 18. *num.* 4. multis disseruimus. Hac in re, nonnulla in Martyrologio offendimus, quæ nimia laborant prolixitate. Enimvero aliquot occurrunt elogia Sanctorum, eorum præsertim qui recenti ævo in canonem relati sunt, in quibus multa inutiliter abundant verba; ideoque facili ratione in breviorem sermonem contrahi possunt. Hisce in casibus verbosam orationem duximus amputandam; ea lege tamen, ut integra servetur sententia; atque hac in parte brevitati consulatur, quam in veterum Sanctorum elogiis in Martyrologium illatis deprehendimus.

Cur veteres editiones in multis deficiant.

IV. Etsi vero absoluta jam fuerit gemina illa Martyrologii correctio, cujus supra meminimus; non ideo tamen vetitum, nova Sanctorum nomina in Martyrologium inferre, modo id rite atque ex ordine fiat, hoc est eæ omnes, quas apostolica Sedes præscripsit, serventur regulæ, de quibus multa a Nobis fuso calamo prolata sunt in citato *cap.* 18. *præfati Operis de Canonizatione Sanctorum*. Hinc annis insequentibus, plura Sanctorum nomina elogiis decorata, in Martyrologium, prævio Congregationis Rituum decreto, ac Summi Pontificis approbatione, translata sunt. Dolendum vero, quod e Sanctorum nominibus bene multa, in variis quæ procusæ sunt Martyrologii editionibus, fuerint prætermissa, ex oscitantia atque incuria eorum, quorum intererat acta Congregationis adire, decreta colligere, iisque ad novam nominum accessionem prudenter uti. Quidnam circa nomina sanctorum Martyrum Stephani Abbatis, et ducentorum Monachorum sancti Petri de Cardegna olim contigerit, satis notum, neque injucundum erit paucis repetere. Decreverat Clemens VIII. Romanus Pontifex, instante Cardinali Baronio, ut horum Martyrum nomina una cum elogiis, Romani Martyrologii tabulis inscriberentur. In iis tamen, quæ subsecutæ sunt Martyrologii editionibus, res secus accidit; quandoquidem ob typographorum indiligentiam, Martyrum illorum memoria Romanum Martyrologium diu caruit. Hinc Nos adhuc in minoribus positi, quo tempore Promotoris Fidei munere fungebamur, illud curavimus, tandemque obtinuimus, ut Sacræ Congregationis jussu communis error castigaretur, et Martyrum illorum nomina secuturis editionibus omnino assererentur. Qua de re in citato *cap.* 18. *num.* 6. Operis nostri pridem egimus.

Pari laborant vitio nupera Martyrologia.

V. Ne autem in id, quod in aliis olim reprehendimus, improvidi dilaberemur, mandavimus ut ex actis Sac. Rituum Congregationis decreta omnia do Sanctorum nominibus Martyrologio inscribendis huc usque edita colligerentur; atque ut Romani Martyrologii editiones quamplurimæ, eæ potissimum quæ omnium novissimæ typis excusæ sunt, consulerentur, ut, si qui occurrunt defectus, facilius innotescerent. Has inter una Nobis oblata est editio omnium postrema, quæ Venetiis anno 1745. prælo subjecta est. Verum ne istud quidem exemplar integrum plane, et numeris omnibus absolutum occurrit; tum quia nonnulla Sanctorum nomina, quæ ex anterioribus decretis describenda erant, deficiunt; tum quia insequentibus annis nova facta est Sanctorum accessio, quæ idcirco in nupero illo Martyrologio desideratur.

VI. Hinc ne Romanum Martyrologium sua fraudetur integritate, oportuit novam hanc editionem quamplurimis Sanctorum nominibus locupletare; quorum series in statos anni ecclesiastici dies distributa, ea est quæ sequitur: *Sanctorum, quorum nomina hic adduntur, series attexitur.*

Sextadecima die Februarii additur a Nobis *beatus Gregorius X.*, cujus in prælaudato *de Canonizatione Sanctorum Opere* non semel meminimus, nimirum *lib. 1. cap. 20. num. 17., lib. 2. cap. 24. §. 37., et cap. 42. num. 3., atque in VIII. Appendice ad calcem lib. 2.* ubi integram attexinus relationem, quæ hac in causa ab Auditoribus Causarum nostri palatii apostolici elucubrata est. *Beatus Gregorius X.*

Die vigesimaseptima Aprilis *beata Zita*, de qua in nuper memorato Opere *lib. 2. cap. 24. §. 27.* *Beata Zita.*

Decima Maji *beatus Nicolaus Albergatus*, de quo item eodem in Opere *lib. 2. cap. 18. num. 16., et lib. 3. cap. 33. num. 7.*, ac rursus in *Bullarii nostri tom. 1. Constitut. CVIII.* Consulendum item nostrum Opusculum de *Sanctis Bononiensibus*, cujus altera editio, dum hæc scribimus, typis subjicitur Patavinis. *Beatus Nicolaus Albergatus.*

Die vigesimaquarta Maji *beatus Joannes de Prado.* Ejus acta et monumenta prostant *in lib. 1. Operis de Canonizatione Sanctorum cap. 27. num. 8.* *Beatus Joannes de Prado.*

Prima die Junii *sanctus Eneco Abbas*, cujus meminimus *lib. 1. cap. 8. num. 10., et lib. 4. part. 2. cap. 18. num. 8.* Operis de quo supra. *Sanctus Eneco Abbas.*

Septima Julii *beatus Benedictus XI.*, de quo *in altero* Operis nostri *libro cap. 28. §. 46., et cap. 42. num. 8.* *Beatus Benedictus XI.*

Vigesima Decembris die *sanctus Dominicus de Sylos* Abbas Ordinis sancti Benedicti, de quo in memorati Operis *lib. 4. part. 2. cap. 18. num. 16.* *Sanctus Dominicus de Sylos.*

VII. Etsi vero in Romano Martyrologio, juxta regulas a Sac. Rituum Congregatione statutas, atque a Summis Pontificibus pluries confirmatas, enumeranda non sint nomina Servorum Dei, qui in Beatorum dumtaxat numerum, non etiam in Sanctorum canonem relati sunt; qua de re multis egimus *lib. 4. part. 2. cap. 18. num. 2. ac 9. præallati Operis de Canonizatione Sanctorum*, ubi etiam nonnulla Sac. Congregationis decreta protulimus; nihilominus aliquando contigit, ut Romani Pontifices, gravibus justisque causis ita suadentibus, vel ipsa Beatorum nomina in Romanum Martyrologium intulerint; resque patet exemplis bene multis, quæ a Nobis allata sunt *in præcitato Opere et loco sub num. 9.* Pari œconomia et Nos aliquot nomina beatorum Martyrum, de quorum martyrio, miraculis, ac cultu aliquibus Ecclesiis et diœcesibus permisso, diligenti habita discussione plane constat, novæ huic Martyrologii editioni duximus adjicienda. Id autem benigniori quadam dispensatione a Nobis gestum est; tum quia Martyrum cultus in Ecclesia Dei antiquior est cultu Confessoribus exhibito, ut in *lib. 1. Operis de Canonizatione cap. 2. num. 9. et seqq., et cap. 5. num. 3. et seqq.* pluribus demonstravimus; tum etiam quia Martyrologia ideo fuerunt instituta, ut præsens ac perpetua illustrium heroum, qui pro Christi nomine vitam ac sanguinem profuderunt, memoria ceteris Fidelibus exemplo esset, atque animos adderet. Insequentibus vero temporibus sanctorum Confessorum ac Virginum nominibus Martyrologia aucta sunt. *Nomen quoque Martyrologii, quod olim sonabat dumtaxat Indiculum sanctorum Martyrum, nunc extensum est ad Syllabum plurimorum aliorum sanctorum Confessorum, ac sanctarum Virginum;* verba sunt *Theophili Raynaudi tom. 18. suorum Operum pag. 500.* *Alia beatorum Martyrum adduntur nomina.*

VIII. Eos igitur beatos Martyres, quorum nomina novæ huic Martyrologii editioni inseruimus, enumeremus. *Enumerantur.*

Die quinta Februarii addita a Nobis est *Commemoratio vigintisex Martyrum Japonensium;* e quorum numero tres ad Societatem Jesu pertinent; sex, nimirum tres sacerdotes totidemque laici, ad Ordinem sancti Francisci, qui vero supersunt reliqui, secularibus accensendi. Relationem de illorum martyrio ab Auditoribus Causarum palatii nostri apostolici habitam, exhibet *Appendix II. ad lib. 3. Operis de Canonizatione Sanctorum*, in qua Martyris cujusque nomen singillatim exprimitur. De horum cultu consulantur Litteræ apostolicæ in forma Brevis *apud Bollandianos tom. 1. mensis Februarii pag. 740.* Consulenda item quæ a Nobis dicta sunt *lib. 1. præfati Operis cap. 30. num. 1.* *Vigintisex Martyres Japoniæ.*

Novemdecim Martyres Gorcomienses. Nona Julii accedit *Commemoratio novemdecim Martyrum Gorcomiensium*, de quibus egimus in mox allato *cap* 30. *num.* 10., *et in Appendice VI. ejusdem lib.* 1. *pag.* 403. Ex Litteris apostolicis in forma Brevis a Clemente X. prædecessore nostro datis, et cultus hisce Martyribus exhibendus probatur et eorumdem Martyrum nomina expressa leguntur. Ex his, undecim enumerandi ex Ordine Fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia; duo ex Fratrum Prædicatorum Ordine; duo item ex Ordine Præmonstratensium: unus ex Ordine Regulari sancti Augustini. Ceteri omnes, sacerdotes et parochi seculares habendi sunt.

Beatus Petrus de Arbues. Decimaseptima Septembris, Commemoratio *beati Petri de Arbues*, de cujus martyrio a Nobis actum *in citato lib.* 1. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 30. *num.* 4. Litteræ Apostolicæ Alexandri VII. super illius cultu extant in Bullario Romano *tom. VI. Constitut. CXXXIX.* ejusdem Pontificis.

Beatus Josaphat Polocensis. Postremo in duodecimam Novembris diem rejecimus Commemorationem *beati Josaphat Archiepiscopi Polocensis.* Seriem actorum quæ ad illius causam pertinent, in superius citato *cap.* 30. *lib.* 1. *num.* 2. commemoravimus. Relationem quæ pro more illius ætatis ab Auditoribus Causarum palatii nostri apostolici confecta est, exhibet *Appendix III. ad lib.* 3. *de Canonizatione Sanctorum pag.* 320. *et seqq.* Litteras Apostolicas in forma Brevis super ejusdem Martyris cultu, suppeditat Bullarium Romanum *tom V. Constitut. CCCIV.* inter eas quæ Urbano VIII. prædecessori nostro adscribuntur.

Alii prætermissarum editionum defectus aperiuntur. IX. Eos inter, quorum nomina Romano Martyrologio sunt consignanda, præcipuo quodam jure locum sibi vindicant Sancti, de quorum Canonizatione extant apostolicæ Litteræ plumbeo signo munitæ. Hae in re non semel deficiunt Martyrologii editiones, quæ novam hanc præcesserunt. Si causam inquiramus, gemina occurrit: una quidem a monumentorum obscuritate; altera vero ab iis, quæ posteriori ævo peractæ sunt, canonizationibus repetenda. Quo tempore utraque correctio sub Gregorio atque Urbano absoluta est, nonnullæ Constitutiones sive apostolicæ Litteræ de peculiari quapiam canonizatione erant imperviæ, quæ tamen insequentibus annis ex ignorantiæ tenebris erutæ sunt. Hinc nil mirum si Martyrologia, vel post sedulam correctionem, omnimoda careant integritate. Rursus, absolutis emendationibus, atque novis Martyrologii editionibus prælo subjectis, nova in dies Beatorum nomina in Sanctorum canonem relata sunt. Hinc quotquot ante canonizationes prodierunt Martyrologia, hac in parte deficiant necesse est: ex quo capite vel ipsa omnium recentissima editio Venetiis procusa anno 1745. suos hac in re patitur nævos. *In lib.* 4. *de Canonizatione Sanctorum part.* 2. *cap.* 18. *num.* 6. *et* 7. aliquot afferuntur exempla Apostolicarum Litterarum, quæ post memoratas correctiones inventæ sunt; aliquot etiam recitantur decreta, quæ nomina Sanctorum, de quibus apostolicæ Litteræ loquuntur, Martyrologio inscribenda jubent. Utrique incommodo hac nova editione occurrimus; siquidem Sanctorum nomina, sive ex Litteris Apostolicis, quæ pridem latebant, eruta, sive recentiori ævo in canonem Sanctorum relata, describi curavimus.

Nova nominum fit accessio.

S. Wilhelmus Archiepiscopus Bituricensis. Quocirca decima mensis Januarii jure merito additur nomen *sancti Wilhelmi Archiepiscopi Bituricensis*, quem Honorius III. an. 1218. Sanctorum catalogo annumeravit. Litteras apostolicas quæ canonizationem testatam faciunt, exhibet *Codex Constitutionum Summorum Pontificum de solemni canonizatione Sanctorum*, a Justo Fontanino Archiepiscopo Ancyrano collectus, ac Romæ editus an. 1729., in quo Honorii Constitutio refertur ordine XXXIII.

Sanctus Wolstanus Episcopus Wigorniensis. Die decimanona ejusdem mensis nomen *sancti Wolstani Episcopi Wigorniensis*, quem Innocentius III. an. 1203. Sanctorum fastis adscripsit; resque indubia est *ex Constitutione num. XXX.* in memorato Fontanini Codice typis impressa.

Sanctus Joseph a Leonissa. Quarta Februarii nomen *sancti Josephi a Leonissa*, qui solemni ritu in Sanctorum numerum a Nobis relatus est. De illo egimus in Opere *de Canonizatione Sanctorum lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 13.; *et in Appendice VI. ejusdem libri pag.* 405. Nostras item de Canonizatione Litteras dedimus die 26. Junii 1746., quarum exemplar *in Bullarii nostri tomo II.*, qui sub typis desudat adhuc, patet legentibus.

**Sancta Catharina de Ricciis.**

Decimatertia die ejusdem mensis nomen *sanctæ Catharinæ de Ricciis*, cujus item solemnis canonizatio a Nobis peracta est; atque in citato *Bullarii nostri tomo II.* canonizationis bulla producitur. Huc revocanda quæ scriptis consignavimus in Opere *de Canonizatione Sanctorum lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 13., *in Appendice V. lib.* 1. *pag.* 39., *et in lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 19. *num.* 23. *et* 24.

**Sanctus Robertus Abbas Casæ Dei.**

Die decimaseptima Aprilis accedit nomen *sancti Roberti Abbatis Casæ Dei*, quem Clemens VI. Sanctorum censui adscripsit. Hujusce canonizationis bulla est ordine LXIV. in citato Codice.

**Sanctus Godehardus Episcopus Hildesheimensis.**

Quarta die Maji nomen *sancti Godehardi Episcopi Hildesheimensis*, quem Innocentius II. Sanctis annumeravit. Bulla canonizationis prostat in relato Codice sub *num. VII.*, Nosque de eodem argumento egimus in Opere *de Canonizatione lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 15.

**Sanctus Petrus Regalatus.**

Die tertiadecima ejusdem mensis nomen *sancti Petri Regalati*, cujus solemnem canonizationem peregimus, bullamque conscripsimus, quæ in secundo *Bullarii nostri tomo* alligatur. Semel et iterum in Opere nostro de hac ipsa re sermonem instituimus, nimirum *lib.* 2. *cap.* 24. §. 16., *et in Appendice VII. ejusdem libri pag.* 429.

**Sanctus Nicolaus Peregrinus.**

Secunda Junii nomen *sancti Nicolai Peregrini Tranensis*, de quo in nostro *lib.* 1. *de Canonizatione cap.* 44. *num.* 13. *et* 14. Diploma super illius cultu ab Urbano II. editum, jacet ordine V. in eodem canonizationum Codice, de quo supra.

**S. Wilhelmus Archiepiscopus Eboracens.**

Octava Junii nomen *sancti Wilhelmi Archiepiscopi Eboracensis*. De eo loquimur in Opero nostro *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 13. De ejus canonizatione bullam dedit Honorius III. quæ in relato Codice occurrit ordine XXXVIII.

**Sanctus Franciscus Regis.**

Sextadecima Junii nomen *sancti Joannis Francisci Regis*, qui a Clemente XII. prædecessore nostro solemni ritu inter Sanctos adscriptus est. Non infrequens de eo in nostro Opere incidit mentio. Consulatur *lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 12., et quæ in finem hujusce libri rejicitur *Appendix III.*, in qua canonizationis bulla integra exscribitur. Consulatur item *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 16.

**Sanctus Theobaldus Eremita.**

Die prima Julii nomen *sancti Theobaldi Eremitæ*, quem Alexander Papa III. Sanctorum catalogo accensuit, bullamque edidit, quæ in citato canonizationum Codice refertur *sub num. XIX.* Licet et hic nostrum Opus indigitare, hoc est *lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 10. *et cap.* 9. *num.* 2.

**Sanctus Camillus de Lellis.**

Die quartadecima Julii nomen *sancti Camilli de Lellis*, qui Sanctorum albo a Nobis adscriptus est, edita desuper Constitutione, de qua in Bullarii nostri *tomo II.* Si quis plura hac de re nosse cupit, nostrum adeat Opus *lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 13. *et seqq.*, *et Appendicem I. ejusdem libri pag.* 401.

**Sanctus Franciscus Solanus.**

In vigesimamquartam diem Julii conjecimus nomen *sancti Francisci Solani*, de quo locuti sumus in præcitati Operis *lib.* 1. *Appendice X. pag.* 438. *et seqq.*, *et cap.* 24. *num.* 9. *et* 14. Litteras apostolicas de illius canonizatione edidit prædecessor noster Benedictus XIII., atque in prælaudato Fontanini Codice *sub num. CXIII.* alligantur.

**Sanctus Stanislaus Kostka.**

Decimaquinta Augusti nomen *sancti Stanislai Kostkæ*, quem prædecessor noster Benedictus XIII. Sanctis annumeravit, suamque dedit Constitutionem ordine CXV. inter eas quæ in memorato canonizationum Codice referuntur. Neque hocce argumentum in Opere nostro silentio premitur, si percurrantur quæ diximus *lib.* 1. *Appendice X. pag.* 437.

**Sanctus Bernwardus Episcopus Hildesheimensis.**

Vigesimasexta Octobris nomen *sancti Bernwardi Hildesheimensis Episcopi*, a Cœlestino III. inter Sanctos relati, ut patet ex bulla canonizationis in præcitato Codice *sub num. XXIV.* Huc revocari possunt quæ scripsimus *lib.* 1. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 9. *num.* 7.

**Sanctus Virgilius Episcopus Salisburg.**

Vigesimaseptima Novembris nomen *sancti Virgilii Episcopi Salisburgensis*, qui a Gregorio IX. in Sanctorum numerum relatus est, ejusque Constitutio in sæpedicto Codice canonizationum extat ordine XLIII.

**Sanctus Jacobus Picenus.**

Vigesimaoctava ejusdem mensis nomen *sancti Jacobi Piceni*, quem, ut ex bulla CIX. quam Fontanini Codex exhibet, compertum est, prædecessor noster Benedictus XIII. Sanctorum numero sociavit. Frequentior de eodem occurrit memoria in Opere nostro, si evolvantur quæ dedimus in *Appendice lib.* 1. *pag.* 437., *lib.* 2. *pag.* 34. *num.* 7., *et cap.* 51. *num.* 2., tum etiam *lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 9., *cap.* 24. *num.* 36., *et cap.* 30. *num.* 14.

a.

Sanctus Sturmius Abbas Fuldensis.

Postremo in decimamseptimam Decembris diem retulimus nomen *sancti Sturmii Abbatis Fuldensis*, de cujus canonizatione ab Innocentio II. peracta, indubium extat apostolicæ Constitutionis monumentum in mox relato Codice *sub num. IX*.

Nomen *Beati*, supposito *Sancti* titulo, aliquando immutatur.

X. Fatemur, alia proferri posse Sanctorum nomina, cum a Nobis, tum a nostris prædecessoribus Sanctorum canoni adscripta, quorum in ea, quam supra coordinavimus, Sanctorum serie nulla fit mentio. Id sane fatemur: non ideo tamen novæ Martyrologii editionis integritati quidquam detrahitur. Aliquot nomina, veluti Vincentii de Paulis, Fidelis a Sigmaringa, et aliorum, in anterioribus editionibus, apposito *Beatorum* titulo, continentur. Supervacaneum ideirco duximus ea hic repetere: hinc supposito dumtaxat *Sancti* vocabulo, et veteri *Beatorum* titulo abraso, ea intacta reliquimus. Quod si alia adhuc supersint Sanctorum nomina, quæ in superiori catalogo missa fecimus, nihil inde contra novam hanc editionem licet opponere. Jam enim præmonuimus, sola eorum nomina, de quorum solemni canonizatione nulla suboriri potest dubitatio, a Nobis fuisse superaddita. Quotquot igitur proferri possunt e Beatorum, Sanctorumve censu, qui ejusmodi prærogativa carent, aut Romano Martyrologio nullo unquam tempore fuerunt adscripti, a Nobis omittuntur, quia ab eo, quod Nobis præscripsimus, deviant instituto.

Multorum studia, ut nova Beatorum nomina Martyrologio insererentur.

XI. Huc usque facili tramite, nullaque obsistente controversia, progressa res est. At vero diffusa per hanc Urbem fama, novam Martyrologii Romani editionem adornari, Sanctorumque nomina in anterioribus editionibus prætermissa, a Nobis in novas Martyrologii tabulas referri, multorum excitata sunt studia, scripturis atque lucubrationibus admota manus, preces additæ, ut quamplurima Sanctorum nomina in novum hunc Codicem convehirentur; quamvis de illorum canonizatione nullum probatæ fidei suppeteret monumentum. Alii Servorum Dei, Beatorum alii ostentabant nomina, quorum nonnulla Sanctorum titulo decorata sunt, et cultu immemorabili, hoc est spatio annorum centum ante Urbani VIII. prædecessoris nostri decreta illis exhibito, nobilitata. Ad hæc, eorumdem cultum a Sacra Rituum Congregatione maturo judicio expensum atque probatum; cultus item extensionem, Missa et Officio, necnon Lectionibus vel de Communi, vel etiam propriis pro peculiari quadam familia vel diœcesi concessis, confirmatam, totis urgebant viribus. Quo argumentorum genere ea attingitur controversiæ pars, quæ dicitur de casu excepto a decretis Summi Pontificis Urbani VIII., de qua fusiore stylo a Nobis actum est *tom. 2. de Canonizatione Sanctorum cap. 17. et cap. 24.*

Ea tamen refelluntur.

XII. Ab hisce tamen petitionibus facili negotio Nos expedivimus. Cum enim juxta præstitutos a Nobis canones, non liceat in Martyrologium referre nomina illorum, qui post sedulum super virtutibus atque miraculis examen, solemni ritu in Beatorum dumtaxat numero recensentur; potiori jure nefas erit Martyrologio illos adcensere, qui ex nuda cultus immemorabilis approbatione, beatificati dicuntur per æquipollens; eorum tamen virtutes nec discussæ, nec probatæ fuerunt antequam pro cultu immemorabili judicium prodiret, ideoque ad trutinam revocandæ sunt, ut eorum causa ad canonizationem progrediatur. Haud immerito igitur oblatas Nobis petitiones rejecimus; atque ut æquiori animo postulatores acquiescerent, ea item addidimus, quæ opportuno ad rem hane a Nobis fuerunt exposita *lib. 4. de Canonizatione Sanctorum part. 2. cap. 18. num. 2. et seqq.* ubi de cultus argumento cum Missa et Officio, uberius tractavimus.

Satisfit aliatis in contrarium exemplis.

XIII. Sat novimus, prædecessores nostros in Romano Martyrologio aliquando scripsisse nomina eorum, qui solemniter, atque, ut ajunt, formaliter in Beatorum numerum relati non fuerant, sed tantummodo per æquipollens, discusso videlicet ac probato eorum dumtaxat cultu immemorabili, juxta præscriptum decretorum Urbani VIII. prædecessorum nostrorum facta veneramur; quominus vero hac in parte eorum vestigiis inhæreamus, ea, quam supra dedimus, monet ratio; ne scilicet a statutis regulis, quas accurate servandas Nobis proposuimus, pedem moveamus. Præterea, si Martyrologio omnia adjiciantur nomina eorum, quorum cultum immemorabilem Sacra Rituum Congregatio probavit, ingens nominum accedet multitudo, quemadmodum ex nostro *lib. 2. de Canonizatione Sanctorum* licet colligere. Cumque horum numerus in dies magis adaugeatur, brevi fiet ut Romanum Martyrologium tot auctum nominibus, in maximum volumen excrescat.

Argumentum ex ineditis Baronii manuscriptis petitum, refellitur.

XIV. Ut sacræ eruditionis, ac theologicæ facultatis studia magis excolantur, instituimus academiam quavis feria secunda cujusque hebdomadis coram Nobis habendam, ut quotquot ad eam conveniunt docti ac præstantes viri, stata vice atque ordine suas, sive de ecclesiastica Historia, sive de re Liturgica, sive etiam de sacris Canonibus, ac theologicis controversiis proferant lucubrationes. Ex his nonnulli, qui, soluto conventu, ad privata colloquia a Nobis admittuntur, Nobis significarunt, inter cetera manuscripta, quæ in insigni bibliotheca Vallicellana servantur, plura esse splendida quidem monumenta ad venerabilem virum Cardinalem Baronium transmissa, quibus probatur, aliqua Sanctorum nomina in Romano Martyrologio immerito fuisse prætermissa; ideoque, eodem Baronio judice, in novam Martyrologii editionem, quando eam fieri contingeret, esse transferenda. Indicium hoc de invento thesauro libenti animo excepimus. Hinc, nulla interposita mora, chartas et monumenta omnia ad Nos deferri curavimus, evolvimus, inspeximus; sed, contra præconceptam expectationem, nibil, aut fere nihil, ad rem hanc opportunum odinvenimus. Imo vero, quod peculiari admiratione dignum est, tantum abest ut egregius ille Cardinalis propensior fuerit ad inserenda in novam Martyrologii editionem Sanctorum illorum nomina, ut potius, sicut e brevioribus quibusdam notis ab illo additis licuit arguere, in oppositam sententiam descendere videatur. Enimvero scite animadvertit, nominum illorum seriem aut solos Dei servos comprehendere, quorum cultus angustis peculiarium locorum finibus continetur; aut sub latiori Sanctorum titulo Beatos dumtaxat attingere, quorum nomina, juxta eas quas supra memoravimus regulas, Romano Martyrologio accenseri non solent.

Sanctorum index Martyrologio inserendus, ab eruditis conficitur.

XV. Hac cura seposita, successit alia, quam eruditorum studia ac labores Nobis excitarunt. Ii namque nocturna diurnaque manu versantes Acta Sanctorum a doctis Bollandianis collecta, plura item vetera Martyrologia, Acta Sanctorum Ordinis sancti Benedicti a Patre Mabillonio edita, aliaque ecclesiasticæ eruditionis monumenta, quibus nostra ætas abundat, uberem Sanctorum indicem Nobis exhibuerunt: ut nova Sanctorum copia Romanum Martyrologium ditesceret. Neque a ratione vel æquitate alienum putabant quod petebatur. Cum enim ex præfato *lib. 4. part. 2. cap. 18. num. 11.* Operis nostri cognoverint inscribendos esse Romano Martyrologio non solum eos, de quorum canonizatione ex Litteris apostolicis sub plumbo, constat, sed et illos, qui ex veteri more ac ritu priscis Ecclesiæ temporibus observato, priusquam apostolica Sedes beatificationum et canonizationum causas sibi dumtaxat cognoscendas et definiendas reservasset, in Sanctorum catalogum fuerant relati; hoc eodem argumento usi sunt, ut Sanctorum illorum nomina, quorum par erat causa et conditio, meritum in Martyrologio tenerent locum.

Citra injuriam expleditur.

XVI. Et horum tamen vota ac postulata inania dimisimus. Haud inficiamur, Martyrologio esse inscribendos non solum eos qui juxta recentem Ecclesiæ disciplinam, sed et eos qui juxta veterem Ecclesiæ ritum in Sanctorum numerum relati sunt. Verum si ejusmodi ritum atque usum antiquiori ævo in more positum introspiciamus, patebit, eos Sanctorum fastis fuisse adscriptos, quorum cultus suam novit originem ab approbatione Episcoporum, in quorum diœcesi servi Dei ex hac vita ad cœlestem Patriam translati sunt: hinc paulatim ex una ad aliam Ecclesiam, tandemque in universum orbem catholicum cultus ille diffusus est, non sine expressa aut saltem tacita Romani Pontificis consensione, ut fusiori sermone demonstravimus *in lib. 1. de Canonizatione Sanctorum cap. 6. num. 9.* At vero Sanctorum nomina in oblato elencho designata, cultus quem modo descripsimus, carent prærogativa; sive cultus initia, sive progressum, sive etiam propagationem ad veterem Ecclesiæ disciplinam exigamus. Nulli ergo irrogatur injuria, si prolixa nominum series Nobis tradita, in Romanum Martyrologium translata non fuerit; esto plerique illorum, quos series illa complectitur, ad ea revocentur tempora, quæ novam Ecclesiæ disciplinam super causarum beatificationum et canonizationum cognitione antevertunt.

Exempla e Martyrologio petita, non officiunt.

XVII. Quod si nonnulla vel ex ipso Romano Martyrologio produci possint exempla Sanctorum, qui supremum diem in Domino clauserunt cum adhuc vetustior illa de Sanctorum canonizatione vigeret disciplina, quamvis eorum cultus extra unius vel alterius diœcesis fines protensus olim non fuerit, nec

etiam hodie protendatur: hæc tamen exempla tanta non sunt, ut ab ea quam semel statuimus sententia, animum nostrum divellant. Jam enim supra monuimus, atque hic constanter repetimus, Nobis fuisse propositum, novam Martyrologii editionem adornare; salvis tamen atque integris, quoad fieri poterit, antecatis Martyrologii correctionibus, iisque servatis regulis, quæ post emendationes illas statutæ sunt. Cum ergo a præstitutis hisce regulis ille recedat, qui aut Beatorum nomina, aut memoriam Sanctorum, qui juxta veterem Ecclesiæ ritum, vel juxta recentem Ecclesiæ disciplinam in canonem relati non sunt, Romano Martyrologio inscribit, extra tritam hanc semitam pedem efferre nolnimus; quidquid senserint alii, qui rationem ac methodum hac in parte dissimilem sequi maluerunt.

Alii leviorem quamdam Martyrologii emendationem suadent.

XVIII. Quæ huc usque diximus, ea sunt, ut et animi nostri sensus satis aperiant, et ab ulterioribus molestiis Nos eximant. Verum necdum alienis postulationibus, nostrisque curis finis impositus. Fas aliquando, ut in nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 17. num. 9. et 10.* animadvertimus, Sedem apostolicam adire, atque illi, ea qua decet animi demissione, proponere errati alicujus, quod in Martyrologium irrepsit, emendationem. Hinc non defuere, qui hujusce libertatis prætextu, leviorem quamdam Romani Martyrologii recensionem obtineri posse putarint. Non enim, ut ipsi ajebant, aut nostro consilio, aut nostro id repugnat instituto de servandis correctionibus pridem habitis; siquidem unius vel alterius loci immutatio usque adeo levis est, ut nullo aut fere nullo habeatur in pretio.

Proponitur controversia de Clementis Alexandrini nomine.

XIX. Ex iis vero qui peculiari emendatione indigent locis, quartam Decembris diem innuebant, cui Clementis Alexandrini nomen inscriberemus; recentiorum eruditorum aliquibus ægre ferentibus, nomen viri doctrina et pietate conspicui, in Romano Martyrologio fuisse præteritum. Hanc controversiam intactam relinqui, nova hæc, quam curamus, editio non patitur. Hinc opere pretium duximus, apostolicas inter solicitudines quibus assidue gravamur, sedulo inquirere, quidnam cum veteres, tum recentes ecclesiastici scriptores de Clemente Alexandrino, cujus causam tractandam suscipimus, litteris consignaverint.

Veterum scriptorum de Clementis sanctitate, et doctrina, suffragia.

XX. Vixit Clemens tertio Ecclesiæ seculo ineunte; præceptorem coluit Pantænum qui Stoicam philosophiam professus est antequam christianæ religioni nomen daret; discipulum habuit Origenem. Alexandrinæ Ecclesiæ fuit presbyter; ibique celeberrimæ ejusdem Ecclesiæ scholæ præfuit. Eusebius Pamphili, qui sub quarti seculi initia floruit, *lib. 6. Historiæ ecclesiasticæ cap. 14.* affert fragmentum epistolæ sancti Alexandri Episcopi Jerosolymitani ad Origenem scriptæ, in qua *Sancti* titulo Clemens donatur : *Patres agnoscimus*, inquit, *Beatos illos qui viam nobis præiverunt... et sanctum Clementem dominum item meum, qui me plurimum adjuvit.* Sanctus Hieronymus *in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis*, quem circa finem seculi quarti elucubravit, fere geminas congerit laudes ab eodem sancto Alexandro Clementi tributas, hisce verbis : *Hæc vobis, domini ac fratres, scripta transmisi per Clementem beatum presbyterum virum illustrem et probatum. Theodoretus* quinto seculo clarus, *lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 6.* Clementem vocat *virum sanctum*; cui consonat *chronicon paschale*, ubi chronici auctor *pag. 7.* hæc habet : *Clemens sanctissimus Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter.* Eodem in sensu sanctus Maximus monachus Constantinopolitanus, cujus ætas ad septimum Ecclesiæ seculum revocatur, affert fragmentum quoddam ex *lib. de providentia*, quem dicit esse *sanctissimi Clementis presbyteri Alexandrini*, ut legimus *in tomo 2. Operum sancti Maximi* versionis atque editionis patris Combefis *pag. 144.* Succinit Joannes Damascenus octavi seculi scriptor notissimus, qui *in Tractatu de duabus Christi voluntatibus*, cujus fragmentum producitur inter *veterum scriptorum testimonia*, quæ *tomo 1.* Operum Clementis Alexandrini editionis Oxoniensis præmittuntur, pari laude Clementem *beatum* appellat. Missa facimus elogia quibus Clementis doctrina commendatur; cum omnium loco esse possit, quod sanctus Hieronymus *in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 38.* ipsius Clementis Operibus tribuit, ita scribens : *Feruntur ejus insignia volumina, plenaque eruditionis et eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, quam de secularis litteraturæ instrumento*; et in epistola ad Magnum : *Quid in illis indoctum? imo quid non e media philosophia est?*

*Adstipulantur recentiores.*

XXI. Eadem fere quæ veteres scriptores de Clementis sanctitate affirmant, repetunt Auctores quamplurimi, qui recentiori ævo claruerunt. Id vero cuique compertum erit qui consulat *tomum* 2. Operum Clementis præfatæ editionis Oxoniensis *pag.* 1041. *in not. ad num.* 8., *tomum* 1. *Bibliothecæ concionatoriæ patris Gombefis pag.* 9., patrem Ruinart *ad Acta Martyrum pag.* 135., patrem Honoratum a S. Maria in locis quamplurimis Operis cui titulus, *Animadversiones in regulas et usum critices*, patrem Aubrussell *de Abusibus criticæ tom.* 2. *pag.* 33., Natalem Alexandrum *tomo* 3. *editionis Parisiensis pag.* 307., patrem Calmet *lib.* 56. *Historiæ universalis tomo* 5. *pag.* 72 *et sequent. num.* 106. *et num.* 109.

*Martyrologia quamplurima, Usuardi cum primis, Clementi favent.*

XXII. Præterea in Martyrologio Usnardi quarta Decembris die occurrit memoria sancti Clementis, ejusdem scilicet Clementis de quo loquimur. Huic Martyrologio addi possunt et alia posteriora, nimirum Vespuccii, editum an. 1486., Maurolyci an. 1568., Galesinii an. 1578., Ferrarii, et aliorum, quæ missa facimus. Tantam enim sibi vindicat auctoritatem unum Usuardi Martyrologium, ut robur et firmitas aliunde frustra petatur. Ex quo factum, ut scriptores plurimi qui *Sancti* titulum Clementi Alexandrino conciliarunt, Usuardi sententiam prætendentes, quemcumque sive invidiam sive censuram effugerint, uti ratiocinantur Patres Bollandiani *tomo* 6. *Mensis Maji pag.* 777. *num.* 13. Baillet *ad diem* 4. *Decembris tomo* 3. *pag.* 65. *et seqq.*, Tillemont *tomo* 3. *pag.* 195. Haud satis igitur Clementis Alexandrini decori consuluisse videtur Cardinalis Baronius, qui Clementis nomen, quod in Usuardi Martyrologio perlegerat, in Romanum Martyrologium non transtulit.

*Alii Clementis errores denegent.*

XXIII. Neque hic sistunt Clementis patroni, ex quorum sententia hactenus locuti sumus. Multam illis ingerit difficultatem Gelasii Papæ decretum, quo Clementis Alexandrini Opera apocryphis accensentur; non enim levis suspicio est, Gelasii decretum in causa fuisse ne hujusce Clementis nomen Romanis fastis inscriberetur, ut scite animadvertunt celebres patres Bollandiani *tomo* 7. *Junii* in notis ad Martyrologium Usuardi. Hinc, ut ab hoc obice sese expediant qui Clementis causam tuentur, nullum non movent lapidem, ut Clementis Opera ab erroribus aut prorsus vindicent, aut saltem excusent. Pater Nourry *in Apparatu ad Bibliothecam Maximam Sanctorum Patrum tomo* 1. *lib.* 3. summa diligentia ac eruditione singula Clementis Opera recenset, illustrat, atque ab erroribus, quorum insimulantur, purgare contendit. Ceillier *tomo* 2. *de Scriptoribus ecclesiasticis cap.* 26. *num.* 14. *pag.* 314. errores quidem non diffitetur, sed alienos atque ab hæreticis insertos affirmat. Pari conatu in alio Opere, cui titulus, *Apologia moralis Sanctorum Ecclesiæ Patrum cap.* 2. maculas omnes quas Joannes Barbeirac in Clemente Alexandrino detegit, conatur diluere. Calmet in Opere et loco supra relatis fatetur, errores qui in Clementis Operibus occurrunt, non esse Clementis fetum, sed ab eo in aliena sententia, quam deinde refellit, produci.

*Excusant alii.*

XXIV. Alii vero ex Clementis fautoribus, cum fateri cogantur, Clementem Alexandrinum non in alieno, sed reipsa in proprio sensu alicubi errasse, aliam ineunt viam, ut reatum, quem omnino excludere nequeunt, saltem imminuant, atque in benigniorem partem excipiant. Dupinus *tom.* 1. *Bibliothecæ pag.* 208. *editionis Parisiensis anno* 1698. Clementem ait lapsum quo tempore christianæ religionis mysteriis nondum erat satis instructus. Annatus in *Apparatu Theologiæ positivæ lib.* 4. *art.* 7., Operum Clementis Alexandrini ndicem texit, et quæ contra objiciuntur studet evertere. Bollandiani Patres de Gelasii censura contra Clementis Opera multum solliciti, *tomo* 4. *mensis Julii in egregia Dissertatione de divisione Apostolorum pag.* 12. *num.* 27. probare conantur duos extitisse Clementes Alexandrinos cognomines; ideoque Gelasii decretum, quod *alterius Clementis Opuscula* rejicit, de alio quodam Clemente, non etiam de eo, de quo hic agimus, esse intelligendum. Joannes Baptista Poza Gelasiani decreti verba penitus introspiciens, *in Apologia quam scripsit ad Summum Pontificem Urbanum VIII.* ut Opus suum, quod inscribitur *Elucidarium*, vindicaret, *pag.* 3. *tergo* censet, Gelasiani decreti vim eam non esse, ut Opera omnia proscribat quæ inter apocrypha enumerat; sed illud dumtaxat discriminis statuisse inter Opera quæ publice, cum divina officia peragebantur,

legi poterant; et ea quæ nonnisi privatæ lectioni permittebantur; quo in sensu Clementis Opera dici putat apocrypha, quod inter divina officia, publica illorum lectio, non etiam privata inter domesticos parietes vetaretur. Hanc sententiam sequitur Galesinius *in Annotationibus*, quas Martyrologio suo addidit *sub die 4. Decembris*, ubi de Clementis Alexandrini Operibus ita loquitur: *Sunt tamen ejus Opera ex Gelasii sanctione in apocryphis, ita scilicet, quemadmodum Covarruvius interpretatur, ut caute privatim legantur, publice autem in Ecclesia nullo sane modo.*

*Graviores quæ Clementi obsunt difficultates proponuntur.*

XXV. Hæc sunt quæ a scriptoribus cum vetustis tum recentioribus, nedum catholicis sed etiam heterodoxis colligere licuit, atque huc transferre, non inani quadam affectatæ eruditionis ostentatione, sed eo dumtaxat consilio, ut quæ Clementi Alexandrino favere videntur, citra simulationem omnium oculis subjiceremus. Hæc vero tanta non sunt, ut Nos inducant in eorum sententiam, qui Clementis hujusce nomen Martyrologio Romano inscribendum putant. Rationes quibus innitimur, infra dabimus, non ut de Clementis Alexandrini laudibus quidquam detrahamus, sed ut pateant graviores difficultates, quæ Nobis impedimento sunt, quominus Clementis nomen, quidquid sit de ejus doctrina ac probitate, in Romanum Martyrologium inferamus.

*Veterum scriptorum de Clementis sanctitate silentium.*

XXVI. Prima quæ difficultatem ingerit ratio, petitur a veterum scriptorum silentio de moribus ac vita Clementis Alexandrini. Unus Eusebius Pamphili *lib.* 6. *cap.* 11. *Historiæ ecclesiasticæ* affert fragmentum epistolæ Alexandri, qui Jerosolymorum rexit Ecclesiam, multa sane cum laude de Clemento loquentis; quo eodem monumento Hieronymus, ut supra annotavimus, *in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis* usus est. Ita vero se habet Eusebii locus: *Porro has litteras, domini fratres, per beatum presbyterum Clementem ad Vos misi, virum virtute præditum, et probatum: quem Vos et nostis jam, et amplius cognoscetis. Qui quidem Dei nutu et providentia, dum hic apud nos præsens esset, Ecclesiam Christi et confirmavit, et magnopere auxit.* Etsi vero hæc verba, interprete Henrico Valesio qui hac in re D. Hieronymum sequitur, de Clemente Alexandrino sint excipienda, nihil inde colligitur, quod præcipuam quamdam insignemque Clementis prodat sanctitatem; cujus idcirco splendidum monumentum Martyrologii Romani tabulis sit consignandum. Non enim in una vel altera bonorum Operum specie sanctitas, de qua hic loquimur, sita est; sed virtutibus in gradu heroico assidue exercitis, atque ad obitum usque productis, probatur. Quocirca licet hic repetere quod Calmet loco superius indicato scriptum reliquit de Clemente Alexandrino: Nos memoriis vitæ quam peregit, et mortis quam obivit, destitui. Præterquamquod Eusebii hominis Ariani testimonium favoro Clementis Alexandrini, tamquam infidum ab iis traducitur, qui aliqua Arianismi semina in Clementis Operibus introspiciunt; in quorum numero habendus Petavius, qui *tomo* 2. *Theologicorum Dogmatum lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 1. ita Clementem sugillat: *Naturam ait Filii Omnipotenti Deo ultimam esse; quod Platonici et Ariani dogmatis indolem sapit.*

*Nulla de cultu Clementi exhibito, vela aut vestigium.*

XXVII. Altera ratio sic habet: Nullum monumentum, imo nec ullum quidem vestigium superest cultus, quem aliqua Ecclesia aut diœcesis, expresso vel tacito catholici Episcopi assensu, exhibuerit Clementi Alexandrino. Parum vero refert, eum vita cessisse antequam in Ecclesia Dei mos invalesceret publico cultu honorandi inclytos Christi confessores; qui mos in Ecclesia cum Orientali tum Occidentali nonnisi quarto Ecclesiæ seculo primum incepit, ut eruditi conveniunt, Nosque probavimus *lib.* 1. *de Canonizatione cap.* 5. *num.* 5. *et seq.* Etenim neminem latet, priscos Ecclesiæ fideles, ex præconcepta animisque indita eximiæ sanctitatis opinione, vel ipsos confessores qui in Domino obdormiverant, cultu publico venerari consuevisse; etiamsi hac de re solemnis disciplina ac ritus nondum ab Ecclesia fuisset introductus.

*Clementis Opera multis suspecta.*

XXVIII. Tertia sequitur ratio, quæ Clementis Alexandrini Opera sin minus erronea, saltem suspecta, Nobis inspicienda proponit. Enimvero Petavius, cujus verba supra recitavimus, Clementem Arianismi insimulat; esto Nourry *in Apparatu tom.* 1. *pag.* 683. *et seq.*, *et pag.* 932. *et seq.* hanc labem amoliri contendat. Cassiodorus hoc de Commentariis Clementis Alexandrini in canonicas epistolas judicium profert *tom.* 2. suorum Operum *de Institutione divinarum*

*litterarum cap.* 8. *In epistolis autem cononicis Clemens Alexandrinus presbyter, qui et Stromateus vocatur, id est in epistola sancti Petri prima, sancti Joannis prima et secunda, et Jacobi, quædam attico sermone declaravit, ubi multa quidem subtiliter, sed aliqua incaute locutus est, quæ Nos ita transferri fecimus in latinum, ut, exclusis quibusdam offendiculis, purificata doctrina ejus securius posset hauriri.* Aliquot et hic sibi quærunt effugium Clementis patroni, ajentes hoc Opus, in quo multa improbantur, non ipsi quidem Clementi, sed alteri incerto Auctori tribuendum. Libros octo Hypotyposeon sive Institutionum, multis scatere erroribus affirmat Photius, qui in Codice 109. suæ Bibliothecæ longum illorum attexit indicem, atque ita prosequitur: *Quin etiam et alia id genus sexcenta blasphema voce nugatur, sive ipse, sive quis alius ejus personam indutus; plane ut octo ipsos Libros hisce blasphemiarum portentis, de iisdem identidem disserendo, ac sparsim atque confuse veluti stupore perculsus, Scripturas producendo repleverit.* Graviora quidem sunt hæc; ea tamen intelligenda esse non de erroribus in quos Clemens lapsus fuerit, sed de iis quos ille ex aliena sententia refert atque refellit, sentiunt nonnulli qui Clementis partibus impensius student. Addunt insuper, arduum sane esse rectam ferre sententiam de memorato Clementis Opere quod nusquam existit, aut certe integrum non habetur, ut Calmet in loco superius citato ratiocinatur.

XXIX. Eadem tamen contra eos Clementis libros, qui et Clementem norunt auctorem, et eruditorum teruntur manibus (hi vero sunt libri Pædagogi, Stromatum libri, aliique numero pauci) objiciuntur incommoda. De hisce Operibus scribit Aubertus Miræus *in Bibliotheca ecclesiastica Fabritii cap.* 38. *pag.* 112. *In libris ejus nonnullæ sententiæ occurrunt quæ errorem sapiunt.* Miræo præiverat ven. Cardinalis Bellarminus, qui Clementis Opera in celeberrimis adversus hæreticos controversiis tractandis diligenter inspexit, subactoque judicio examinavit. *Non desunt*, ita ille in *lib. de Scriptoribus ecclesiasticis*, *in hoc insigni Auctore sententiæ aliquæ quæ errorem sapiunt, quas in libris nostris controversiarum notavimus etc. Utrum autem sententiæ illæ ab hæreticis insertæ sint, ut aliqui pie credunt, an Auctori more humano exciderint, ignoramus.* Alia scriptorum testimonia missa facimus, cum non levem de Clementis Operibus ingerat suspicionem censura decreti Gelasiani, quod ex antiquissimo codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ a Justo Fontanino Archiepiscopo Ancyrano editum est *in Appendice Antiquitatum Hortæ pag.* 317. *et seqq. primæ editionis.* Hocce decretum, ut prænotavimus, Clementis Opera recenset inter apocrypha; non eo quidem in sensu, ut eorum publicam dumtaxat lectionem, non etiam privatam interdicat; sed verius, quod Opera illa erroribus sint aspersa; quam interpretationem sequuntur et probant Doujat *de Prænotionibus canonicis lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 1. *in fine*, Cardinalis Bellarminus *de Scriptoribus ecclesiasticis*, *in Clemente Alexandrino*, Carolus Dufresne *in Glossario* ver. *Apocrypha*, Pagi *in vita Gelasii*, *num.* 4. *pag.* 227., Magri *in Vocabulario ecclesiastico* ver. *Apocryphus.*

Gravior in eadem Opera, ex Gelasiano Decreto censura.

XXX. Quisquis citra partium studia, maturo judicio secum expendat quæ a Nobis hucusque prolata sunt, profecto fateri cogitur, Clementis Alexandrini doctrinam dubiam saltem suspectamque esse de erroribus, quibus avertendis Clementis fautores animum torquent, atque a variis interpretationibus, effugiis, exceptionibus præsidium quærunt, ne gravior in Opera illa intorqueatur sententia. In hoc autem rerum statu, nemo qui sapiat, affirmabit Clementis Alexandrini nomen Martyrologii Romani venerando codici esse inscribendum. Enimvero quamvis Magni Constantini nomen in Græcorum Menologio inter Sanctos fuerit relatum; quamvis de cultu in Ecclesia Orientali illi exhibito nulla suboriatur dubitatio; nihilominus in Martyrologium Romanum Magni Constantini memoria nunquam translata est, quod illum aut hæresi Ariana aspersum, aut in Arianos propensiorem fuisse, nonnulli fuerint suspicati; quam tamen Arianismi maculam Bollandiani *tomo* 5. *mensis Maji die* 21., et Natalis Alexander *tomo* 4. *Histor. ecclesiasticæ dissert.* 24. a tanto viro student amoliri. Percurrenda item quæ a Nobis in hanc rem scripta sunt *in lib.* 2. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 36. *num.* 16.; et novissime a Costadono *in suis Observationibus super veterem Tabulam Græcam*, *num.* 14.

Clemens de erroribus suspectus, e Martyrologio excludendus.

Quæ opponuntur exempla, Clementis causam non juvant.

XXXI. Neque ad rem faciunt quæ opponuntur exempla, alterum Hilarii Arelatensis Episcopi, alterum Vincentii Lirinensis, quorum uterque, nimirum Hilarius die quinta, Vincentius vero die vigesimaquarta Maji in Martyrologio Romano commemoratur; quamvis eorum doctrina Semipelagianismi labe fuerit aspersa. Siquidem, etsi viros illos Semipelagianismi errore tactos concederemus, quod tamen plures denegant qui catholicam eorum sententiam egregie tuentur; excusandi tamen, si quid humani hac in parte illis exciderit; nondum enim catholica doctrina supremo apostolicæ Sedis judicio fuerat definita, ut in *lib.* 2. *Operis de Canonizatione cap.* 29. pluribus disputavimus. At contra Clemens Alexandrinus in ea catholicæ religionis dogmata, quæ pridem statuta fuerant, et inconcussis Ecclesiæ decretis firmata, peccasse creditur. Cum igitur plane dissimilia sint quæ producuntur exempla, immerito doctus pater Halloix *tomo* 2. *Scriptorum illustrium Ecclesiæ Orientalis* in notis *ad vitam Pantæni cap.* 2. conqueritur, se vehementer mirari, quod in Martyrologio Romano nomina aliarum veterum patrum, qui in varios errores lapsi fuerant, describantur; nomen vero Clementis Alexandrini nullibi reperiatur.

Quo in sensu *Sancti* titulo Clemens donetur.

XXXII. Nec majoris momenti sunt cetera quæ pro Clemente Alexandrino superius retulimus; atque illud cum primis, quod *Beati* ac *Sancti* nomine a multis donetur. Harum agmen, uti vidimus, ducit Eusebius, cujus verba e sancti Alexandri Jerosolymitani epistola deprompta supra produximus, quæ juxta versionem Henrici Valesii ita sonant, *Sanctum Clementem dominum item meum.* Verum si verborum proprietatem ad Græcum textum exigamus, *Sacer* potius quam *Sanctus* Clemens vocandus est; ita namque atticus sermo habet, τὸν ἱερὸν κλήμεντα. Sed etsi ultro daremus *Sancti* ac *Beati* nomen Clementi Alexandrino fuisse tributum, non ideo tamen de singulari illius sanctitate judicium ferendum est. *Sancti* denominatio primis Ecclesiæ temporibus, religionis potius quam christiani profitebantur, quam probati cujusque moris indicium erat. *Qui olim christiani*, inquit Spondanus in *Epitome Annalium Cardinalis Baronii ad an. Christi* 45. *num.* 4., *iidem nominabantur Sancti, ut a Paulo sæpe ac Luca, posterisque Ignatio, Philone, Polycarpo, Tertulliano et aliis.* Hinc ut *in lib.* 4. *de Canonizatione Sanctorum part.* 2. *cap.* 27. *num.* 14. satis probavimus, unus *Sancti* titulus par non est, ut corpora quæ ex catacumbis efferuntur, sacro cultu donentur; sicut enim prænotavimus, in primæva Ecclesia *Sancti* vocabulum nec vitæ sanctitatem, nec martyrium pro Christi nomine toleratum, sed christianæ religionis, quæ cuique fidelium communis erat, integritatem declarabat. Successu vero temporis, ut Spondanus animadvertit, *Sancti* titulus ad peculiarem vitæ sanctimoniam significandam translatus est: *Demum*, sic ille prosequitur, *obtinuit usus, ut illi tantummodo Sancti in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatiorique fulgerent morum sanctitudine.* In hac posteriori acceptione haud facile prudens Scriptor *Sancti* nomen Clementi Alexandrino hodie tribueret; aut si quid tale illi excideret, veniam peteret, ut revera petiit Combefisius. *De Sancti titulo, quo cum aliquando ornavit Combefisius, veniam petiit Bibliothecæ Concionatoriæ tomo* 1. *pag.* 9., verba sunt eruditi Dominici Georgii *in suis notis quas Martyrologio Adonis ad diem* 19. *Decembris* subjecit. Eodem pertinent quæ diligens scriptor pater Michael a sancto Joseph *tomo* 2. *pag.* 59. *suæ Bibliographiæ criticæ ver. Clemens*, de Sancti nomine, quo Clemens honoratur, annotavit: *In Expurgatorio Hispano tomo* 1. *pag.* 154. *ubi præscribitur correctio Bibliothecæ veter. Patrum, ad tom.* 6. *col.* 255. *deleri præcipitur titulus* Divi *appositus Clementi.*

Quamplura Martyrologia Clementis non meminère.

XXXIII. Equidem nonnulla Martyrologia, ut supra indicavimus, Clementis meminere, sed et alia proferri possunt, in quibus nulla Clementis Alexandrini fit mentio. Nil tale occurrit *in tomo* 5. *Thesauri Anecdotorum Martene et Durand; in tomo* 6. *Amplissimæ Collectionis veterum scriptorum*, quæ ab iisdem accuratis Auctoribus coordinatur: *in tomo* 2. *Spicilegii Lucæ d'Acherii; in tomo* 2. *Antiquarum Lectionum Canisii, in Martyrologio Florentinii; in tomo* 6. *part.* 2. *mensis Junii Patrum Bollandianorum;* esto multa ac vetusta in hisce locis exhibeantur Martyrologia. Usuardum seculi noni scriptorem, primum fuisse, qui in suo Martyrologio Clementis Alexandrini nomen conscripserit, haud improbabilis opinio est; verum nihil prohibet quominus, si res ita exigat, ab Usuardi Martyrologio, alioquin multis de causis venerando, liceat aliquando recedere.

*Prima Clementis mentio in Usuardi Martyrologio.*

XXXIV. Usuardum cum primis Clementis nomen suo Martyrologio addidisse affirmat eruditus Sollerius *in suis ad Usuardum notis sub die quarta Decembris*; quam sane Sollerii sententiam verosimillimam arbitramur. Usuardus enim in Opere suo adornando usus est præcedentibus Martyrologiis Hieronymi, Bedæ, Flori, Rabani, Wandelberti, et Adonis, ut præclare ostendit anonymus Monachus Benedictinus Congregationis sancti Mauri *pag.* 8. *suæ præfationis ad sincerum Usuardi Martyrologium*, quod Parisiis impressum est an. 1718. Cum autem in nullo ex præcedentibus Martyrologiis nomen Clementis legatur, haud temere affirmare licet, Usuardum omnium primum fuisse qui Clementis nomen in suum Martyrologium intulerit; potissimum cum ipsemet Usuardus in Prologo, quem ad Carolum Calvum scripsit, atque in prælaudato Opere impressus legitur, diserte fateatur se nonnulla Sanctorum nomina, quæ in præcedentibus Martyrologiis deerant, Operi suo addidisse. *At si quid, præter quod ab illis accepi, in hoc Opere auctum vel mutatum est, sagaci a me indagine id perquisitum agnosci poterit.* Hæc Usuardus.

*Accuratissima Martyrologii Adonis editio Clementem prætermittit.*

XXXV. Alia quidem sententia arridet Dominico Georgio, qui in loco mox allato putat nomen Clementis ante Usuardum ab Adone in suo Martyrologio fuisse descriptum. Verum id longe facilius asseritur, quam probatur. Plurimi, et merito quidem, Georgius facit editionem Martyrologii Adonis, quam curandam suscepit Rosweydus, cujus exemplar extat *tomo* 16. *Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunensis an.* 1677., de qua sic loquitur *in præfatione pag.* 12. *Quanti vero fecerimus Rosweydi editionem, facile intelliges, cum videris, ad illius fidem Nos omnia expressisse: nihil e textu detraxisse, sed ad scrupulum usque retinuisse omnia, et quæ ex Apographis nostris delibavimus, in varias Lectiones transtulisse.* Si tanta hujusce editionis Georgio fides, cur ille Clementis nomen inserit, quod hæc probatissima editio prætermittit? Equidem ille provocat ad vetera Martyrologii Adonis exemplaria, quæ *in Cod.* 511. 512. *et* 514. Bibliothecæ Vaticanæ exscribuntur; in quibus post sancti Aviti Abbatis memoriam ita legimus: *Alexandriæ beati Clementis presbyteri, qui in divinarum eruditionum scholis quammaxime effloruit.* Verum ipsa Codicum, qua scripti sunt, ætas, illorum auctoritatem hac in re dubiam evincit. Audiendus ipsemet Georgius *in præfatione pag.* 9. *Alter*, inquit, *signatus num.* 511., *ex specimine characteris, seculo Christi undecimo scriptus esse mihi visus est; reliqui vero duo signati num.* 512. *et* 514. *seculo duodecimo exarati fuisse visi sunt.* Quocirca nec omnino antiqua, nec ab Adonis tempore parum dissita dicenda sunt tria illa Bibliothecæ Vaticanæ exemplaria, quæ plurium seculorum spatio ab Auctoris ætate dissociantur. Ex quo et illud sequitur, fieri facile potuisse, ut aliqui sequioris ævi scriptores, pietatis ac religionis prætextu, privato consilio, veteribus Martyrologiis nova Sanctorum nomina addiderint; quod multis exemplis, apud eruditos, ipsumque Georgium satis frequentibus, illustrare possemus.

*Fas aliquando ab Usuardi sententia discedere.*

XXXVI. Hoc autem semel statuto, Usuardum nempe primum fuisse qui Clementis nomen in Martyrologium invexit, tanta profecto non est illius auctoritas, ut grande sit piaculum ab ea aliquando recedere; cum Nobis compertum sit, ejusmodi Martyrologii lectionem primo in monasteriis Benedictinis in usu fuisse; moxque ab aliis Ecclesiis fuisse adoptatam, ut in Opere *de Sanctorum Canonizatione lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 17. *num.* 3. observavimus. Neque unum est, in quo Usuardus fallitur, Clementis nomen. Si ea ad trutinam revocentur, quæ in Martyrologio Usuardi circa festum Assumptionis beatæ Mariæ Virginis enarrantur, et quorum a Nobis in *Opere de Festis Domini nostri Jesu Christi, ejusque beatissimæ Matris, ad diem* 15. *Augusti* accurata fit mentio, fateri oportebit, Usuardi testimonium esse rejiciendum, ubi majora ac meliora id suadeant argumenta. Quæ cum ita sint, iis profecto assentiri non possumus, qui per summam injuriam reprehendunt eximios illos viros a Gregorio XIII. Romani Martyrologii emendationi præpositos, quorum nomina in præcitato Operis nostri loco *sub num.* 5. singillatim enumeravimus: non enim ideo culpandi, quod a Clementis Alexandrini nomine, cujus Usuardi Martyrologium meminerat, abstinuerint. Enimvero argumentorum, quæ supra retulimus, tanta vis est, ut et Usuardi testimonium infirmet, et Romani Martyrologii emendationem a quavis obtrectatione et censura prorsus eximat.

Alia de Severi Sulpitii nomine proponitur controversia.

XXXVII. Absoluta de Clementis Alexandrini nomine controversia, alia succedit de *Severo Sulpitio sancti Martini discipulo*. Martyrologii correctores sub Gregorio XIII. hoc elogium ad diem 29. Januarii apponendum censuerunt: *Apud Bituricas sancti Sulpitii Severi Episcopi, discipuli sancti Martini, virtutibus et eruditione conspicui*. Qui vero, Urbano VIII. mandante, novam Martyrologii emendationem instaurarunt, idem elogium, verbis aliquot intermediis dumtaxat exclusis, ita contraxerunt: *Apud Bituricas sancti Sulpitii Severi Episcopi, virtutibus et eruditione conspicui*. Tota igitur circa voces illas, *discipuli sancti Martini*, versatur emendationum varietas, de qua multa scripserunt Patres Bollandiani *ad diem* 29. *Januarii in vita sancti Sulpitii Severi Episcopi Bituricensis*, §. 2. *num.* 12., Florentinius in admonitione II. quæ præponitur ejus Martyrologio *pag.* 51., Baillet *ad diem* 29. *Januarii num.* 1. *et num.* 4., Tillemontius *tom.* 10. *Memoriarum nota* 5. *super vita Sulpitii Severi*, Graveson *tom.* 12. *Historiæ ecclesiasticæ pag.* 157. Romanæ Editionis an 1717., aliique complures, quibus et nostrum *de Canonizatione* Opus addendum *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 17. *num.* 7.

Quænam Gregorianæ correctioni faveant argumenta.

XXXVIII. Ut gravior hæc controversia pro meritis expendatur, illud in quo præcipuus difficultatis cardo sistit, inspiciendum, an Sulpitius Severus sancti Martini discipulus, fuerit an non Episcopus Bituricensis; ideoque jure ne, an injuria, verba illa *discipuli sancti Martini* fuerint expuncta. Correctores sub Gregorio affirmativam sententiam secuti sunt; hinc duo illa in elogio sociarunt: *Apud Bituricas sancti Sulpitii Severi Episcopi, discipuli sancti Martini*. Hanc ipsam correctoribus insedisse opinionem testatur Cardinalis Baronius in suis ad Martyrologium notis *sub die* 29. *Januarii*. Neque vero hæc sententia omnimoda caret probabilitate; quandoquidem ea innititur additionibus a Molano factis ad Usuardum, ubi *ad diem* 29. *Januarii* hæc habentur: *Bituricas civitate sancti Sulpitii Severi Episcopi et confessoris, discipuli beati Martini;* fulcitur testimonio Maurolyci, qui in suo Martyrologio ad præcitatam diem ita scripsit: *Bituricis Severi præsulis, discipuli sancti Martini;* et postremo juvatur Apologia quam pro Sulpitio Severo discipulo sancti Martini scripsit Guibertus Martinus Abbas Gemblacensis, qui ineunte seculo tertiodecimo floruit. De hac Guiberti Apologia consulendus Hieronymus de Prato Veronensis, qui illam inseruit *tom.* 1. *Operum Sulpitii Severi*.

Hinc querelæ contra correctionem sub Urbano institutam.

XXXIX. Hisce vero momentis nimium præfidentes insurgunt aliqui, atque in Martyrologii correctionem ætate Urbani factam subinfensi, apertis verbis loquuntur simul et obloquuntur. Aut enim, ita ratiocinantur, locus est conjecturis supra propositis; jamque Gregoriana emendatio sarta tectaque servanda erat: aut nova contra conjecturas illas supervenerunt monumenta, atque hoc in casu satis erat Episcopi titulum Severo Sulpitio adimere, et interim quæ sequuntur verba illa, *discipuli sancti Martini*, immutata relinquere. Hoc autem temperamento posthabito, Martyrologium Romanum, ex nupera correctione non uno sed duplici gravatur incommodo; tum quia alter Sulpitius Severus Episcopus Bituricensis, a Sulpitio Severo sancti Martini discipulo diversus, perperam effingitur; tum quia Sulpitius Severus discipulus sancti Martini, de cujus laudibus sanctus Paulinus Nolanus, Paulinus Petrocoriensis, Venantius Fortunatus, Gregorius Turonensis, aliique palam loquuntur, a Martyrologio exploditur, ac non sine injuria e vetustissima illa tituli sanctitatis possessione deturbatur. *Valde autem Sulpitii sanctimoniam commendat*, inquit Gerardus Joannes Vossius in vita Severi Sulpitii, quæ in fronte ejus Operum Editionis Amstelodami præponitur, *quod in Romano Martyrologio ejus memoria celebretur ad* 4. *Kal. Februarii*. Gemina occurrunt apud Patrem Brassichelli, qui ante Urbani VIII. emendationem ita de Severo Sulpitio loquitur in Indice librorum expurgandorum: *Ut interim omittamus Episcopatum, quem in ancipiti quibusdam conjecturis Baronius tom.* 5. *Annalium posuit; de sanctitate tamen Severi Sulpitii, cujus tam illustre elogium extat in Martyrologio Romano* 29. *Januarii*, *ambigere*, *nescio quam tutum*. Hæc illi, qui Gregorianæ correctioni favent impensius.

Sulpitius Severus Pelagianis et Millenariis adhæret.

XL. Hæc tamen iis non probantur, qui Severum Sulpitium sancti Martini discipulum in plures errorum scopulos turpiter impegisse contendunt. Compertum namque est, cum jam ætate provectum, erroribus Pelagianorum adhæsisse, et in suis Dialogis errores Millenariorum fuisse secutum; ex quo Dialogi

illi a Gelasio Pontifice in memorato de ecclesiasticis libris Decreto, apocryphis accensentur, hisce verbis: *Opuscula Posthumiani et Galli apocrypha*; qua in re conveniunt scriptores non modo heterodoxi, nempe Casimirus Oudinus *de Scriptoribus ecclesiasticis seculi quinti pag.* 495., *et* Cave *de Scriptoribus ecclesiasticis seculi Nestoriani*; sed et catholici Auctores satis accurati, veluti Joannes Trithemius *de Scriptoribus ecclesiasticis*, Cardinalis Bellarminus *in eodem Tractatu*, Philippus Labbe *in sua Dissertatione historica* quæ prostat *in tom.* 7. *Operum Cardinalis Bellarmini* Venetæ editionis anno 1728., Natalis Alexander *in Historia ecclesiastica seculi quinti cap.* 4. *art.* 2., Longueval *in Historia Ecclesiæ Gallicanæ tom.* 1. *lib.* 3. *pag.* 397., Doujat *in Prænotionibus canonicis lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 5. Quid vero ad hæc Sulpitii patroni?

XLI. Reponunt, ejusmodi probra, quæ in Severum Sulpitium vibrantur, futilia plane esse ac inania; ideoque Martyrologii reformatores sub Urbano, levi nimium innixos fundamento, Severi Sulpitii, qui sanctum Martinum præceptorem habuit, nomen e Martyrologii Codice expunxisse. Etenim qui primus memoriæ mandavit, Sulpitium a Pelagianis deceptum, a catholica veritate declinasse, fuit Gennadius quinti seculi scriptor, de quo ita loquitur Guibertus Martinus Abbas Gemblacensis in prælaudata Apologia: *Quod a Pelagianis seductus, in aliquo a regula orthodoxæ Fidei exorbitaverit, nusquam omnino nisi in solo legi Gennadio, qui, nescio utrum hoc alicubi et ipse legerit, et an ex sola fama quæ facta et infecta loquitur, didicerit.* Addunt præterea, eumdem Gennadium, et Sulpitii errores, et pœnitentiam una sociasse; quæ sane tanta fuit, ut quoad vixit, perpetuum sibi silentium servandum indixerit, et reipsa servaverit: si quid ergo peccavit, crimen illustri pœnitentia delevit. Quod vero attinet ad Millenariorum errores, ad Gelasiani Decreti censuram, ad ea demum maledicta quæ Joannes Clericus in Opera Severi Sulpitii sancti Martini discipuli infenso congessit stylo, eadem repetunt quæ prælaudatus Hieronymus de Prato in *Opere supra relato* in rem hanc scripsit, ut Severum Sulpitium ab impactis criminibus vindicaret. Illud tandem Sulpitii fautores ingeminant, correctores Urbani tempore modum nequaquam servasse; si quid enim castigatione dignum inciderat, immutandum paulisper erat, non omnino delendum. Qua ferme ratione Saussajus in Martyrologio Gallicano quod an. 1637. editum est, *ad diem* 29. *Januarii* ademit quidem Sulpitio Severo titulum Episcopi, sed cetera quæ Sulpitium illum sancti Martini discipulum fuisse demonstrant, intacta reliquit, hoc pacto: *Eodem die in Aquitania pago Primuliaco sancti Severi Sulpitii presbyteri et confessoris, doctrinæ et sanctimoniæ laude perillustris, qui sancti Martini res gestas nitido stylo conscripsit, atque non minus actibus expressit, quam calamo, paupertatis cultor egregius, ac humilitatis persincerus amator, cujus præconia ob claras sapientiæ dotes, et sublime vitæ institutum sanctus Paulinus Nolæ Episcopus efferens, magnifice prosecutus est.*

Sunt qui vindicias, et pœnitentiam obtendant.

XLII. Atque hæc quidem sunt, quæ de Sulpitio Severo sancti Martini discipulo cum ex eruditorum colloquiis Nobiscum habitis, tum maxime ex privata librorum lectione Nobis licuit haurire. Nullum vero ex tanta rerum congerie satis efficax argumentum occurrit, quod nostrum inducat animum, ut a correctione, quæ sub Urbano VIII. peracta est, recedamus. Enimvero post accuratam causæ discussionem, illud tandem comperimus, universum oppositæ sententiæ systema huic propositioni, quam axiomatis loco præsupponit, inniti, nimirum die 29. Januarii inscriptum fuisse in Romano Martyrologio nomen Sulpitii Severi discipuli sancti Martini. Hinc querelæ illæ atque repetitæ expostulationes ob non servatam hanc saltem elogii partem, *discipuli sancti Martini*, si forte Episcopatus insignia Severo Sulpitio minus conveniant. Verum hæc præcipua erroris causa, quod ratiocinium, cui omnimoda fides adhibetur, falso laborat supposito; unde sequitur, ut, quæ supra extruitur, argumentorum moles sponte sua corruat.

Ratio potissima cur Sulpitii nomen Martyrologio non inscribatur.

XLIII. Id vero exploratum cuique erit, si ad ea, quæ Martyrologii reformatoribus sub Urbano Pontifice bene perspecta erant, animum convertamus. Norant hi, Sulpitium Severum, de quo in Romano Martyrologio sub die 29. Januarii fit mentio, revera Episcopum Bituricensem fuisse, cum hac in re omnia conveniant Martyrologia quæ Gregorianam correctionem ætate præcedunt. Norant item,

Status controversiæ reformatoribus sub Urbano bene perspectus.

Severum Sulpitium sancti Martini discipulum numquam ad Bituricensem Episcopatum fuisse evectum, quidquid Guibertus commentus fuerit, quem tamen Hieronymus de Prato in vita Sulpitii Severi discipuli sancti Martini §. 13. ita refellit : *Pergit Guibertus narrans, Severum a Bituricensi clero ex monasterio adductum, Archiepiscopum ejus urbis constitutum. Nihil magis repugnans veritati, quam Severum nostrum Bituricensem Episcopum fuisse.* Sed et illud, vel ex ipso Gennadio nosse poterant, Sulpitium Severum nonnisi presbyterum fuisse; quod deinde recentiori ævo indubium reddidit gemina ejusdem Sulpitii Severi epistola a Balutio reperta, et *Miscellaneorum tomo* 1. inserta, hac apposita epigraphe : *Epistola sancti Sulpitii Severi presbyteri.* Utramque hanc epistolam a Balutio collectam probat Tillemontius *in Annotatione quinta ad vitam Sulpitii Severi sancti Martini discipuli;* nec dissentit Hieronymus de Prato §. 10. *vitæ Sulpitii Severi*, monumentorum potius quæ Balutius edidit, quam Gennadii, cujus fidem habet suspectam, auctoritate commutus. Libet Hieronymi locum, etsi longiusculum, integrum hic exscribere. *Uno itaque*, inquit, *Gennadii testimonio innititur Severi presbyteratus, quod tacentibus ceteris, quid valeat non video. Moneo tamen, Balutium in Miscellaneorum libro primo exhibere epistolas duas Sulpitii Severi presbyteri Aquitani, quas et nos dabimus in Appendice tomi secundi, quarum utraque hunc præfert titulum :* Epistola sancti Severi presbyteri; *prima vero etiam hanc appositam habet coronidem.* Explicit epistola Severi presbyteri ad Claudiam sororem suam. *Itaque ni malimus ex auctoritate Gennadii huic nostro Severo, cui duæ illæ epistolæ adscribendæ videntur, presbyteri titulum a librariis additum, aliquantulum hinc ejus sententiæ accederet momenti.*

Sub uno Sulpitii Severi nomine, duo secernendi.

XLIV. Falluntur ergo qui putant, Sulpitium Severum, cujus memoria incidit in diem 29. Januarii, esse discipulum sancti Martini, cum Sulpitius ille Bituricensis Episcopus dicatur; hic vero sola presbyteratus prærogativa præfulgeat. Ex qua præpostera sententia illud necessario sequitur, ut e duplici Sulpitio Severo, ministerio ac dignitate plane dissimili, unus confletur, cui duo hæc simul conveniant, quod Episcopus Bituricensis fuerit, itemque discipulus sancti Martini. Quo quid absurdius? Hæc tamen personarum commixtio suam duxit originem ab Apologia Abbatis Gemblacensis, cujus opinio Sigonium, Galesinium, Victorem, Giselinum, aliosque plures in eumdem errorem pertraxit.

Controversiam de Sulpitio presbytero correctores non attigerunt.

XLV. Neque egregios illos viros, qui Martyrologii emendationem sub Urbano excuderunt, latuit absurda hæc opinio; quamvis compertum sit, nihil de ea rejiciendа fuisse solicitos. Cum enim certo noscent, Sulpitium Severum, de quo in Romano Martyrologio ad diem 29. Januarii, Episcopum Bituricensem fuisse, ideoque plane diversum a Sulpitio Severo sancti Martini discipulo, nihil illis curæ fuit ea ad examen vocare, quæ contra posteriorem Sulpitium Severum opponi solent, ne alioqui extra præstitutos fines vagari viderentur. Huic quæstioni locus quidem fuisset, si de Sulpitio Severo sancti Martini discipulo, aut in Martyrologium inferendo, aut inde expungendo, judicium instituеretur. Verum cum nil tale in disputationem veniret, rem hanc intactam relinquere satius duxerunt. Quod enim ad hujusce Sulpitii sanctitatem attinet, nemo est ex antiquis scriptoribus, qui eum Sancti titulo exornet : *Sane ab antiquis sanctitatis titulo haud decoratur;* ita legimus *in Bibliographia* Patris Michaelis *tom.* 4. *pag.* 55. Quod si apud Saussajum et Petrum de Natalibus Sancti nomine aliquando donetur, nihil inde conficitur : jam enim præmonuit Longueval *in Historia ecclesiast. Eccles. Gallicanæ tom.* 1. *lib.* 3. *pag.* 397. *in not. sub lit. A.*, optandum esse ambos ea auctoritate fuisse donatos, quam non habebant, et quam habere sibi falso persuaserant.

Acta Congregationis quæ sub Urbano habita est, producuntur.

XLVI. Quæ de Martyrologii correctione Urbani tempore instituta, ac de methodo quam reformatores sibi servandam proposuere, huc usque narravimus, historicæ veritati, quæ ex actis Congregationis indubia est, plane consonant. Rei gestæ seriem paucis hic repetere, nec inutile erit, nec injucundum. Die 27. Januarii 1628. habita est celeberrima Congregatio coram Cardinali de Torres, cui præter alios interfuere Fortunatus Scacchus, Bartholomæus Gavantus, Terentius Alciatus, et Hilarion Abbas sanctæ Crucis in Jerusalem, ut ex actis quæ recensentur *in Codice* 1240. *manuscriptorum insignis Bibliothecæ Barberinæ pag.* 527. manifestum est. Primo loco igitur vetus elogium ex Martyrologio jussu Gregorii XIII. castigato productum est, atque inter acta relatum, cujus tenor qui sequitur : *Januarii* 29.

*Apud Bituricas sancti Sulpitii Severi Episcopi, discipuli sancti Martini.* Quid de ejusmodi elogio senserint egregii viri, queis emendatio erat concredita, ex historica, quam subjicimus. narratione audiamus : *Videbatur hoc loco agi de eo qui scripsit vitam sancti Martini, qui tamen mortuus est presbyter non Episcopus, et incidit in errores Origenis et Pelagii, licet resipuerit, testibus Gennadio, Bellarmino de Scriptoribus ecclesiasticis, et Baronio in Annalibus. Fuit alius hujus nominis Episcopus Bituricensis, ex Antonio Democar in Catalogo Episcoporum Bituricensium, qui tamen non vixit nisi longe post sanctum Martinum Turonensem Episcopum, cujus fuit alioquin imitator, ex Petro de Natalibus. Quibus omnibus consideratis, decretum est deleri ea verba :* Discipuli sancti Martini, *ut de Episcopo Bituricensi statim intelligatur Martyrologii textus, non de alio, discipulo sancti Martini, et scriptore vitæ.*

**Sulpitii duo, uterque Bituricensis Episcopus, numerantur.**

XLVII. Quæ verba cum satis aperta sint, nullisque ambagibus involuta, nihil iis quæ supra retulimus addendum superest. Hoc unum, antequam controversiæ finem imponamus, juvat hic annotare, duos nimirum Sulpitios Episcopos Bituricenses extitisse : quibus nihil commune est cum Sulpitio Severo sancti Martini discipulo. Primus obiit anno 591. alter vita cessit an. 694. De priori loquitur Martyrologium die 29. Januarii, posteriorem die 17. ejusdem mensis commemorat. Ne nominis atque Episcopatus affinitas confusionem pareret, alteri cognomen *Severi*, alteri *Pii* cognomen est additum; hinc de altero Sulpitio die 17. Januarii legimus : *Apud Bituricas depositio sancti Sulpitii Episcopi cognomento Pii. cujus vita et mors pretiosa gloriosis miraculis commendatur.* De Sulpitio, qui *Severus* cognominatur, non etiam de alio, qui *Pius* vulgo audit, excitatur controversia, sitne a Sulpitio Severo sancti Martini discipulo secernendus; quæ tamen controversia post correctionem Urbani VIII. e medio sublata est. De gemino Sulpitio Bituricensi Episcopo consulendus Cardinalis Baronius *tom.* 5. *Romanæ editionis ad an. Christi* 431. §. *Sed illud hic considerandum*, et in *Notis ad Martyrologium Romanum die* 29. *Januarii*, Patres Bollandiani *die* 29. *Januarii in vita sancti Sulpitii Severi Episcopi Bituricensis* §. 2. *num.* 12., Mabillonius *in Annalibus Benedictinis lib.* 2. *num.* 91. *ad an.* 624., *et in actis Sanctorum Ordinis sancti Benedicti Sec.* 2. *ad an.* 644. *in Observationibus præviis ad vitam sancti Sulpitii Pii num.* 1., Dionysius Sammarthanus in *Gallia Christiana tom.* 2. *edition. Parisiensis an.* 1720. *pag.* 14. *num.* 25., *et pag.* 16. *num.* 19., Le Coint *in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad an. Christi* 591. *pag.* 392., ubi ad rem nostram ita scribit luculentissime : *In cathedra Bituricensi duo sederunt Sulpitii : hic Severi nomen obtinuit, ut ab altero distingueretur, cui cognomen Pii cessit; atque inde factum est, ut a posterioris ævi scriptoribus discipulus sancti Martini prædicaretur, ac talis in Martyrologium Romanum irreperet quarto Kalendas Februarii : donec Urbani VIII. Romani Pontificis auctoritate abrasæ sunt illæ voces* discipuli sancti Martini, *his duntaxat servatis : Apud Bituricas sancti Sulpitii Severi Episcopi virtutibus et eruditione conspicui.* Consulendi quoque Annatus *lib.* 4. *Theologiæ positivæ art.* 26., et Dominicus Georgius *in notis ad Martyrologium Adonis die* 17. *Januarii.*

**Bollandiani instant pro Theodori Pontificis nomine; sed rejiciuntur.**

XLVIII. Eruditissimis Patribus Bollandianis *tomo* 3. *mensis Maji die* 14. *pag.* 263. mirum plane subit quod in Romano Martyrologio Theodori Summi Pontificis nomen nullibi occurrat, cum illius expressa fiat mentio in gemino Martyrologio Florentino, altero Magni Ducis Etruriæ, altero Senatoris Strozzi; quibus et illud accensendum quod Florentiæ typis excusum est an. 1486. Hinc ea Bollandianorum expostulatio : *Contigit hæc depositio; seu potius ejus (Theodori) obitus hac die* 14. *Maji an.* 649.; *sed, quod miramur, nullis aliis fastis, maxime Romanis, ejus nomen insertum reperimus.* Quæ verba de Theodoro I. Summo Pontifice intelligenda esse, temporis definita ratio demonstrat; cum Theodorus II. post dies xx. in Pontificatu actos, ex hac vita migraverit an. 901. Bollandianis adhæret Franciscus Pagi in *vita Theodori I. tom.* 1. *Breviarii Romanorum Pontificum.* Mirari tamen desinet quisquis animadvertat, correctores Romanos ea tantum in Martyrologium transtulisse Sanctorum nomina, quæ ex veteribus probatisque Martyrologiis petebantur. Porro tantam auctoritatem recensitis Martyrologiis conciliandam non esse arbitrati sunt : hine, cum alia deficerent monumenta, uni Codicum illorum fidei acquiescere noluerunt.

Alia de Siricio Pontifice controversia. Florentinius ac Norisius pro Siricio decertant.

XLIX. Quod vero satis mirari non possumus, illud est, Siricii Pontificis nomine, quod vetusta æque ac probata exhibent quamplura Martyrologia quæ a Bollandianis commemorantur *tom. 3. Februarii pag.* 282., Nosque infra indicabimus, Romani Martyrologii Codicem tamdiu caruisse. Ubi primum post Gregorianam correctionem innotuit, ejusmodi Pontificis nomen in diem 26. Novembris relatum non fuisse, clarus vir Franciscus Maria Florentinius doctam scripsit exercitationem, quæ *in Martyrologii sui notis ad dictam Novembris diem jacet ordine XVI.*, in qua multa sane cum laude ac eruditione demonstrat quam consentaneum sit ut tanti Pontificis nomine Martyrologium ditetur. At Florentinii lucubratio suo caruit effectu, cum nonnisi post absolutam Martyrologii correctionem, Romam pervenerit. Iterum instituta Urbani VIII. tempore nova Martyrologii correctione, nulla de Siricii nomine incidit mentio, quia nulli curæ fuit ejusmodi causam, qua decebat vi et alacritate tractandam suscipere. Cum vero, Clemente X. Ecclesiæ clavum gubernante, Sacra Rituum Congregatio Basilicæ Lateranensi Officia propria sanctorum Romanæ Ecclesiæ Pontificum concessisset, Siricio prætermisso, rursus de hujusce Pontificis sanctitate, ejusque Officii concessione agi cœptum; irrito tamen eventu; siquidem Archiepiscopus Myræ, qui tunc temporis Promotoris Fidei munere fungebatur, acriter obstitit, quod Siricii nomen in Romano Martyrologio nusquam occurreret; ea namque Sacræ Congregationis mens erat, ut sanctorum Pontificum Romanorum, quorum nomina in Martyrologium relata fuerant, Officia concederentur. Et quoniam ipsemet Fidei Promotor in suis animadversionibus obiter attigit rationes præcipuas, ob quas Siricii nomen in Martyrologii emendatione fuerat prætermissum; hinc monitu atque hortatu claræ memoriæ Cardinalis Casanattæ, celebris Henricus Noris tum Augustiniani Ordinis Professor, mox communi plausu ab Innocentio XII. inter Romanæ Ecclesiæ Cardinales adscriptus, pro tuenda Siricii Pontificis sanctitate, satis accuratam ac validam edidit Apologiam, quæ nulli tamen fuit usui; cum ea quæ in Sacra Rituum Congregatione agitabatur causa de concessione Officiorum, ad exitum pervenisset; nec jam liceret post absolutum judicium, veterem excitare controversiam. En igitur Siricii causam iterato propositam, atque ad primævas silentii tenebras iterum redire jussam.

Quæ nostra ætate pro Siricii causa gesta sunt, enarrantur.

L. Tandem nostra ætate, Nobisque id agentibus, novus de Siricio Pontifice recurrit sermo. Cum enim felicis recordationis Clemens XI. prædecessor noster munus Promotoris Fidei, et deinde paucos post annos Præbendam theologalem in Basilica Vaticana Nobis contulisset, e re nostra fuit, Sacræ Rituum Congregationi supplices offerre preces, ut quæ Basilicæ Lateranensi pridem concessa fuerant sanctorum Pontificum Romanorum Officia, ad capitulum, canonicos, et clerum Basilicæ Vaticanæ extenderentur; quod obtinuimus: similique exemplo commoti Basilicæ Liberianæ canonici par privilegium haud multo post impetrarunt. Tum vero opportunam occasionem nacti, Siricii causam urgere, et eximiam Florentinii exercitationem proferre cœpimus. Cumque Nobis nuntiatum esset, celeberrimam a Cardinali Norisio super eodem argumento procusam fuisse lucubrationem, ad eam perquirendam curas animumque convertimus, ut validiori præsidio muniti, rursus Siricii causam deliberandam proponeremus. Sed quamdiu Promotoris Fidei munus obivimus, Norisiana Dissertatio fuit nobis impervia. Postquam vero singulari beneficentia Benedicti XIII. prædecessoris nostri, ad Cardinalatus dignitatem ascendimus, quo tempore scripturarum Cardinalis Casanattæ ad sacra Missarum Officia spectantium, indiculum conficiebamus, ut Operis de Canonizatione Sanctorum, quod tum meditabamur, bono ac utilitati prospiceremus, inopinato optatissima illa Norisii Dissertatio ad nostras pervenit manus; quam idcirco summa diligentia ac fide exscribendam curavimus, ejusque exemplar una cum aliis monumentis, quæ ex prælaudati Cardinalis Casanattæ scriptis accepimus, Nobiscum Anconam primo, mox Bononiam detulimus. Scripturarum memorati Cardinalis integra series in celeberrima Casanattensi Bibliotheca summa cura asservatur; quæ vero a Norisio procusa est lucubratio, *tomo 4. ejus Operum editionis Veronensis an.* 1732. *pag.* 722. *et seqq.* impressa est. Nec defuere ex recentioribus alii, qui de gestis sancti Siricii multa cum laude ac eruditione disseruerint. Consulendi inter

ceteros Franciscus Pagi *in Breviario Romanorum Pontificum in vita Siricii*, et Antonius Pagi ejus patruus *in Annotationibus criticis ad Annales Baronii.*

LI. Quæ cum ita sint, nostro muneri deesse profecto videremur, si Nos, quibus de Siricii Pontificis sanctitate multa præsto sunt argumenta, quam olim in minoribus curam suscepimus, ad Summi Pontificatus apicem divina miseratione evecti, ad optatum exitum non perduceremus. Hoc autem negotium, mutatis vicibus, dissimili ratione ac methodo est hodie pertractandum. Olim Nos in filiorum numero positi, a majoribus et patribus quæ gerenda essent audiebamus: jam vero cum e filiorum statu, in Ecclesiæ Pastorem ac Patrem evaserimus, quid hac in re decernendum sit, aliis indicimus. Siricii Pontificis nomen Romano Martyrologio inscribendum censemus; neque idcirco anterioribus Martyrologii emendationibus, quæ Siricii numquam meminere, aperte contradicimus. Unius quippe nominis additamentum, quod nova ac validissima suadent argumenta, aut præteritis correctionibus nihil officit, aut usque adeo levem infert varietatem, ut nullum aut fere nullum ex eo obveniat detrimentum.

*Summus Pontifex Siricio favet.*

LII. Atque ut totius controversiæ status, qua decet methodo ac ordine pertractetur, rem universam in quatuor summa capita secernendam decernimus; ita nempe ut primo loco inquiramus quæ fuerit Siricii Pontificis cum adhuc viveret, ac post ejus obitum, sanctitatis fama: secundo quænam Martyrologia, probatæ ne an potius suspectæ fidei, Siricii meminerint: tertio quænam contra Siricium militent rationes, ob quas ejus nomen Romano Martyrologio nunquam fuerit inscriptum: postremo quodnam de hisce rationibus judicium ferendum sit; num scilicet eæ sibi constent, an verius futiles sint, ideoque explodendæ.

*Controversiæ status in certa capita distribuitur.*

LIII. De sanctitatis fama, quæ Siricium adhuc superstitem commendavit, splendidum suppetit testimonium Valentiniani Imperatoris, in epistola ad Pinianum Urbis Vicarium sive Præfectum data. De Valentiniano hic loquimur, non jam recentioris ætatis, cum nempe adhuc puer, blanditiis ac suasionibus matris Arianorum erroribus imbutæ, erat implicitus; sed Valentinianum producimus grandævum, sapientia et virtutibus instructum, quas D. Ambrosius in Oratione in ejus obitu habita commemoravit. Porro Magnus hic Imperator suas ad Pinianum dedit litteras postquam sanctus Siricius, rejecto Ursicino qui schismate Romanam Ecclesiam turbaverat, concordi Romani populi acclamatione Summus Ecclesiæ Pontifex renuntiatus est. Hanc epistolam ex veteri Codice Bibliothecæ Vaticanæ erutam, suis Annalibus inseruit Cardinalis Baronius *ad an. Christi* 385., et Petrus Coustant *tom.* 1. *Epistolarum Romanorum Pontificum* edidit ordine *secundam* inter eas quæ Siricio Pontifici adscribuntur. Quid vero de Siricio senserit Valentinianus, quæ sequuntur verba demonstrant: *Proinde quoniam religiosum Siricium Antistitem sanctitatis sic præesse sacerdotio voluerunt, ut Ursicinum improbum acclamationibus violarent, nostro cum gaudio memoratus Episcopus ipse permaneat, Piniane charissime ac jucundissime. Siquidem magnum innocentiæ ac probitatis exemplum est, in una acclamatione et ipsum eligi, et ceteros improbari.*

*Splendidum Valentiniani testimonium de Siricii sanctitate.*

LIV. Himerius Episcopus Tarraconensis sanctum Damasum Siricii decessorem, gravissimis de rebus, ad ecclesiasticam disciplinam spectantibus, more Majorum consuluerat. Himerii tamen epistola Romam pervenit, cum jam sanctus Pontifex Damasus ad Superos evolasset. Hinc qui Damaso successor datus est Siricius, rem confecit, atque hisce verbis Himerium est allocutus: *Quia necesse nos erat in ejus labores curasque succedere, cui per Dei gratiam successimus in honorem.* Magna quidem Ecclesiæ catholicæ utilitate, magnoque ecclesiasticæ disciplinæ profectu, quidquid Himerius Damaso proposuerat, exposuit, declaravit, ac definivit Siricius, ut patet ex illius epistola, quæ inter collectas a Petro Coustant occurrit ordine *prima*. Quam quidem epistolam tot nominibus commendatam, usque adeo utilem ac necessariam, notis illustravit Cardinalis *de Aguirre tom.* 2. *Conciliorum Hispaniæ dissert.* 5. *in epistolam Siricii Pontificis pag.* 126. *et seq.* Etsi namque Siricius solum Himerium alloquatur, decernit tamen, ut quæ ad unius consulta rescripsit, ad omnium Coepiscoporum notitiam perveniant, nec eorum omnium dumtaxat, qui in Himerii provincia erant constituti, sed præterea ad *Carthaginenses ac Bæticos*, *Lusitanos*, *atque Gallicos*, vel ut in aliis manuscriptis legimus, *Gallicanos* vel *Gallicianos*, hoc est Gallæciæ Antistites universos.

*Siricii epistola ad Himerium data, auctorem commendat.*

Ex quo factum, ut integerrimum Siricii responsum, clericorum mores in variis orbis catholici partibus corruptos emendaverit, ac pristinæ integritati restituerit.

*Siricius cœlibatus legem asserit, pœnisque indictis confirmat.*

LV. Non levem sancto Siricio conciliat laudem, quod cœlibatus legem in clero firmaverit, ac pœnis in violatores indictis stabiliverit, ut liquet ex ejus epistolis, et præsertim ex ea quam memoratus Petrus Coustant exhibet ordine *quintam*. Hoc uixus fundamento sanctus Innocentius I. *in epistola ad Exsuperium Episcopum*, quæ in prællata collectione jacet ordine *sexta*, contra diaconos et presbyteros incontinentes, easdem pœnas, quas Siricius pridem statuerat, exequendas decernit hisce verbis : *De his, et divinarum legum manifesta est disciplina, et beatæ recordationis viri Siricii Episcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in Officiis talibus positi, omni honore ecclesiastico priventur, nec admittantur accedere ad ministerium, quod sola continentia oportet impleri.* Eodem fultus præsidio Æneas Episcopus Parisiensis nono Ecclesiæ seculo clarus, quem Lupus Ferrariensis Episcopus *in epist.* 87. multis effert laudibus, quæstionem de cœlibatu contra Græcos pertractans, in libro contra eos scripto *cap.* 102. apud d'Acherium *tomo* 1. *Spicilegii editionis Parisiensis an.* 1723. *pag.* 133. urget auctoritatem epistolæ *quintæ* Siricii ad Episcopos Africæ, quam his verbis extollit : *Sanctus Siricius Papa in Ecclesia beati Petri Apostolorum Principis in concilio residens, et Fratribus et Coepiscopis per Africam ecclesiastica jura describens, inter cetera, hæc de pudicitia intulit*, etc.

*Apostolicus Siricii zelus in hæreticos, præcipue in Jovinianum.*

LVI. Præterea ardens pietatis studium, et eximium catholicæ veritatis amorem ostendit sanctus Siricius in damnandis erroribus Joviniani, aliorumque ejusdem sectæ hæreticorum, ut ex verbis epistolæ *septimæ* in prænarrata Coustantii collectione compertum est. *Apostoli secuti præceptum*, ita Siricius loquitur, *quia aliter quam quod accepimus annuntiabant, omnium nostrum tam presbyterorum et diaconorum, quam etiam totius cleri unam scitote fuisse sententiam, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Plotinus, Martinianus, Januarius, et Ingeniosus, qui incentores novæ hæresis et blasphemiæ inventi sunt, divina sententia, et nostro judicio in perpetuum damnati, extra Ecclesiam remanerent.* Apostolicam hanc Siricii Pontificis solicitudinem ac vigilantiam sanctus Ambrosius una cum aliis Episcopis in Mediolanensi Concilio congregatis, summis effert laudibus, ac pontificiæ sanctioni sese ultro conformat. *Recognovimus* (sic ad Siricium Ambrosius aliique Episcopi in epistola *octava* memoratæ collectionis) *litteris Sanctitatis tuæ, boni Pastoris excubias, qui diligenter commissam tibi januam serves, et pia solicitudine Christi ovile custodias, dignus quem oves Domini audiant, et sequantur* ; et in fine : *Itaque Jovinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Genialem, Martinianum, Januarium, et Ingeniosum, quos Sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos.*

*Par Siricii solicitudo contra Manichæos, eorumque asseclas.*

LVII. Albo sive Abbo Floriacensis de Siricio Papa memoriæ tradidit, quod exosos habuerit omnes hæreticos, maxime Manichæos. Enimvero eum Priscillianistas, qui cum Manichæis in multis nefario conveniebant, et scelestе conspirabant, Urbe ejicere armis spiritualibus non potuisset, opem Theodosii imploravit, ejusque præsidio, quod summopere optabat, tandem obtinuit, ut prudenter conjicit Cardinalis Baronius *anno Christi* 389. *num.* 65. Haud impari solicitudine ad coercendam audaciam Bonosi Episcopi Macedoniæ, impie asserentis beatam Virginem post incontaminatam Christi Domini nativitatem alios filios peperisse, Episcoporum concilium Capuæ indixit, ut colligitur ex epistola *nona* inter eas quas Coustantius coordinavit. Plura adhuc ex aliis Siricii epistolis, præsertim ex *decima*, proferre possemus de singulari tanti Pontificis solicitudine pro restituenda in Galliæ partibus ecclesiastica disciplina. Verum hanc provinciam [illegible]tractandam relinquimus, qui Siricii vitam ac gesta commentariis illustranda su[illegible]t ; quibus satis amplam de Siricii laudibus materiem suppeditant Anastasius, si e[illegible]ctor Pontificalis *tom.* 3. *Romanæ editionis* : et quæ ab eruditis viris Schelstrato, Altaserra, Bencinio, Blanchinio, Ciacconio, Somiero, ac Pagio subjiciuntur annotationes.

*Testimonia de Siricii sanctitate post ejus obitum.*

LVIII. Ex dictis satis constat de fama sanctitatis quam Siricius vigilantissimus Ecclesiæ Pastor, et catholicæ religionis assertor sibi adhuc vivens conciliavit. Nec minor, postquam e vivis excessit, invaluit opinio. S. Innocentius I. *in epistola prima collectionis Coustantii*, pari elogio commendat Dam[illegible]um,

Siricium, ejusque successorem Anastasium, ita scribens: *Cui etiam anteriores tanti ac tales viri prædecessores mei Episcopi, id est sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque suprammemoratus vir* (Anastasius) *ita detulerunt, etc.* Porro de Damasi atque Anastasii sanctitate nemo dubitat. S. Leo in epistola ad Anastasium affirmat, se illi conferre primatum super Illyrici Ecclesias, *beatæ recordationis Siricii exemplum secutum.* Eodem in sensu concilium I. Toletanum, quod paulo post obitum sancti Siricii habitum est, litteras *sanctæ memoriæ Ambrosii, et sanctæ memoriæ Siricii* multa cum laude commemorat. Ex quibus monumentis rite expensis, Cardinalis Norisius in præcitata Dissertatione, et ante Nurisium Florentinius *in Exercitatione* 16. *post diem* 26. *Novembris pag.* 1006. *et seqq.*, solido inferunt ratiocinio, ejusmodi laudum titulos non pontificiæ dignitati dumtaxat, sed insuper vitæ sanctitati esse tribuendos, cum Siricius Summo Pontificatus honori multa ac splendida virtutum, religionis, ac pastoralis vigilantiæ exempla bene sociaverit. Hine illud Petri de Natalibus pro Siricio elogium: *Et postquam Sedem apostolicam feliciter gubernasset, dormivit cum patribus suis, et sepultus est ad sanctum Petrum plenus sanctitate.* Nec desunt in scriptoribus, qui Petri de Natalibus ætatem præcessere insignia de Siricii sanctitate documenta; siquidem Hordericus Vitalis affirmat, *Siricium circa gregem dominicum valde fuisse solicitum;* et Luitprandus Horderico vetustior, Siricium *sanctæ memoriæ* Papam appellat.

LIX. Ad aliud controversiæ caput, quod Martyrologia considerat, in quibus de sancto Siricio fit mentio, nostra hæc oratio progreditur. Qua quidem in re non tam Codicum numero, quam eorum auctoritati studemus. Hinc Martyrologia, quæ minori habentur in pretio, missa facimus; quibus ea item accensemus, quæ Cyriacum Papam, hoc est Siricium, ut nonnulli perperam interpretantur, commemorant; nullus enim Cyriacus nomine, ut cuique notum, inter Summos Pontifices numeratur. Ea igitur, quæ majoris momenti sunt, Martyrologia innuamus, quæ sancti Siricii nomen præseferunt. Hæc inter sese Nobis offert Martyrologium Bedæ, Rabani, et monasterii sancti Cyriaci hujus almæ Urbis, quo toties usus est Cardinalis Baronius in Romani Martyrologii emendatione. Succurrit præterea Martyrologium Ecclesiæ Occidentalis, editum a Florentinio *die* 26. *Septembris;* necnon Antverpiense, et Corbejense, utrumque antiquissimum, de quo ipsemet Florentinius in notis. Alia insuper Martyrologia numerantur ab eodem scriptore *in citata Exercitatione* 16., et a patribus Bollandianis *die* 22. *Februarii pag.* 282., quorum aliqua nec Cardinalis Baronius, nec qui secuti sunt Martyrologii Romani reformatores, nosse poterant, cum eorum ætate in Archivis et Bibliothecis adhuc delitescerent. Hinc fortasse, ut prudens Florentinius haud temere suspicatur, Siricii nomen a Romano Martyrologio tamdiu abfuit, quod veteribus multa fuerint incognita, quæ posterior ætas manifestavit: *Accidere facile potuit, quod nostra ætate inventa plura vetustioris Martyrologii exempla non viderint.* Quamplura probatæ fidei Martyrologia Siricium nominant.

LX. Hanc tamen Florentinii conjecturam non probant qui multa, eaque non levia, contra Siricium objiciunt crimina, quæ a Nobis singillatim enumeranda sunt, ut tertium controversiæ caput, juxta propositam divisionem, expediamus. Primo loco, vitio datur Siricio, quod in apostolicis litteris conscribendis sancti Hieronymi opera usus non fuerit; qua in re nec prædecessoris Damasi exemplum secutus est, nec Hieronymi famæ satis consuluit. Notum quippe est, sanctum Hieronymum a Siricio neglectum, inimicorum calumniis ac maledictis usque adeo fuisse obnoxium, ut coactus idcirco fuerit ex illorum conspectu sese proripere, atque ex Urbe discedere. Secundo, haud obscuris indiciis manifestum est, Siricium Pontificem sin minus infenso, saltem minus æquo fuisse animo in sanctum Paulinum [illegible]m moribus ac vita integerrimum. Tertio, improvidum nimis ac tardum Si[illegible] consilium reprehenditur in rejiciendis Origenistis, eorumque hæresi coercenda [illegible] in Rufinum et Melaniam, longam nimium patientiam adhibuerit; quam ob causam festinavit ex hac mortali vita educere illum Dominus, atque Anastasium sufficere, acerrimum Origenistarum oppugnatorem. Multa in Siricium objiciuntur crimina.

LXI. Neque tria hæc quæ in Siricium congeruntur crimina, quorum item meminere Florentinius atque Norisius, Nosque meminimus *lib.* 4. *de Canonizatione Sanctorum part.* 2. *cap.* 5. *sub num.* 4. gratis conficta sunt, sed ex validis ecclesiasticæ historiæ monumentis confirmantur. Quod enim ad Hieronymum Romæ Horum criminum veritatem haud diffitetur Baronius.

male habitum attinet, hæc habet Baronius *ad annum Christi* 385. *Cum autem, non ut Damasus fecerat, Siricius Papa in scribendis ejusmodi litteris Hieronymi opera uteretur, neque eum, ut ille, quod par erat, amplecteretur atque foveret, mox Pontificis Romani destitutus præsidio, idem Hieronymus acerbissimos pati cepit persecutores, illos scilicet clericos quorum mores improbos scriptis editis sugillasset.* De subinfenso Siricii in Paulinum animo, validum ex epistola 1. ejusdem Paulini ad Sulpitium Severum eruitur argumentum. Cum enim de Romanis clericis ille conqueratur, hæc addit : *Quantum nobis gratiæ dominicæ detrimentum faciat Urbici Papæ superba discretio etc.* quæ verba magnus Annalium Parens de Siririo interpretatur, ita scribens *ad an. Christi* 394. *Jam puto sentis, lector, quem Paulinus per Urbicum Papam intelligat, non alium quidem quam qui tunc Romanæ præerat Ecclesiæ, Pontificem ipsum Siricium, quem infensum absque causa aliqua. ut ait, pati coactus fuerit. Accidit plane sanctum Paulinum juste conqueri de Siricio Papa, atque aliis nonnullis Romanæ Ecclesiæ clericis, de quibus etiam conquestum vidimus sanctum Hieronymum, quod sæpe superius diximus. Ut plane acciderit hac ex parte male audire Siricium, quod adversus adeo insignes sanctitate et doctrina viros ubique spectatos, fuerit commotus.* Postremo, de nimia contra Origenistas Siricii tarditate, ejusque præcoci obitu, testem habemus eumdem Baronium *ad an. Christi* 397., ubi sic laquitur : *Ceterum quod haud velociter Siricius periclitanti, occasione Origenis errorum, occurrit Ecclesiæ, quamcitius, nempe anni sequentis exordio, ex hac vita sublatus est; erectusque super cathedram Petri acerrimus oppugnator Origenistarum hæreticorum Anastasius Papa. Sæpe quidem atque pavendis est demonstratum exemplis, ut Pontifices illi, qui causam fidei paulo segnius tractaverunt, ac remissius curaverunt, a Christo primario omnium Pastore fuerint quam celeriter ex hac vita subducti; adeo ut manifeste fuerit declaratum, summo jugique studio, specialique diligentia semper invigilasse super Romanam Ecclesiam divinam Providentiam, ne qua vel levi saltem suspicione hæreticæ contagionis aspergeretur.*

Hieronymi ad Urbem accessus; egregiæ illius dotes, multaque cum Damaso familiaritas.

LXII. An hæc quæ in Siricium vibrantur tela, aliquod contra sanctitatem incorruptumque gubernium inferant vulnus, ex quo correctores ejus nomen Martyrologio non inseruerint, in hoc postremo controversiæ capite superest inquirendum. Cumque ex historicis monumentis Siricii crimina repetantur, historica veritas paulo accuratius examinanda. Ab iis, quas Hieronymus passus est, curis atque molestiis, exordiamur. S. Hieronymus duodeviginti annos natus Romam accessit, ibique Grammaticæ, Rhetoricæ, ac Philosophiæ scholas frequentavit. Quinquennio Romæ commoratus, inde recessit annum agens tertium supra vigesimum; neque ante Damasi Pontificis ætatem in Urbem regressus est. Cum enim Damasus generale concilium Romæ habendum indixisset, ea occasione Hieronymus una cum Paulino Antiocheno, et Epiphanio Episcopo Salaminæ in insula Cypro, rursus Romam advenit. Tanti viri fama commotus Pontifex Damasus, erat quippe Hieronymus summo ingenio, excellenti doctrina, sanctisque moribus præditus, eum designavit, ut et ab epistolis esset, et totius orbis consultationibus, quæ ad Sedem apostolicam mittebantur, responderet. Ex quo sanctus Doctor intima Damasi familiaritate usus est; et vicissim multo in honore a Damaso est habitus. De munere quo apud Damasum fungebatur, ita loquitur ipse Hieronymus in epistala ad Ageruchiam : *Ante annos plurimos cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, et Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem.* Solo tamen triennii spatio concreditum sibi munus obivit, quod nonnisi triennii spatio Damasum habuerit superstitem.

Hieronymus Siricii tempore multis invisus, et quare.

LXIII. Siricio in Damasi locum suffecto, mirum dictu est quot motus, quantæque in Hieronymum excitatæ sint turbæ; in quem idcirco tota pene civitas commota videbatur; quod ille sub Pontifice Damaso multorum, quorum vitia voce ac scripto exagitaverat, odium atque offensionem incurrisset. *Nos vitiis detrahentes*, verba sunt Hieronymi, *offendimus plurimos;* et in præfatione ad librum Dydimi fatetur se, *cum esset in Babylone* (hoc nomine Romam sibi infensam appellat) expositum fuisse odio maledicæ civitatis, *et purpuratæ meretricis*. Mox in adversarios insurgens, subdit post pauca : *Ecce Pharisæorum conclamavit Senatus, et nullus Scriba vel fictus* (vel ut alii legunt, *velificatus*) *sed omnis quasi indicto sibi prælio doctrinarum, adversum me imperitiæ factio conjuravit.*

Graviores Hieronymi contra æmulos querelæ excusantur.

LXIV. Liberiorem hunc loquendi morem Rufinus exprobrat Hieronymo, ac miratur: *Quomodo de urbe Roma, Deo favente, capite Christianorum, ea dicat quæ dicebantur tunc cum gentiles in ea populi, et persecutores principes morabantur.* Æquior tamen Baronius rigidiora illa S. Doctoris verba ex justo dolore potius quam ex furore odiove prolata explicat; simulque excusat *ad an. Christi* 385., ita scribens: *At hic lector attende, hæc a S. Hieronymo scripta de inscitia Romanæ Ecclesiæ ministrorum, non sic quidem accipienda esse, prout hyperbolicus sonat sermo, omnes Romanæ Ecclesiæ clericos fuisse doctrina expertes, cum dicit, quod nullus ibi scriba vel fictus, nempe Doctor, sed Pharisæi omnes, nempe scelesti, cautela vero et hypocrisi scelera contegentes. Concedendum aliquid Hieronymo justissima causa indignanti, qui oculos in eos tantum conversos habens, a quibus contumeliis et calumniis impeteretur, omnes illos pravos dixerit et imperitos. Certe quidem qui tempora hæc exacte considerat, intelliget plane hoc tempore coaluisse in Ecclesia Romana clericos doctrina atque scientia claros.* Si quid ergo vehementiori stylo Hieronymus aliquando protulerit, venia dignus; non enim in probos atque innoxios, sed in eos, quorum vitia damnaverat, sermonem convertit. Enimvero suis epistolis Monachos insectatus fuerat, qui suæ professionis obliti, vitio gulæ se dederant, divitum domos frequentabant, efferebantur superbia, superstitione tenebantur. Virgines quoque, quæ nimia familiaritate cum viris versabantur, acrius reprehenderat. Hinc odia, obtrectationes, ac maledicta pravorum hominum, qui insaniebant in medicum, a quo sanabantur.

Roma abit atque in Orientem secedit.

LXV. Quamdiu vero vixit Damasus, igneus ille inimicorum furor, veluti doloso cinere tectus delituit. Tunc vero exarsit, incendiumque excitavit, cum, Damaso sublato, Siricius in Petri cathedram evectus est. Innumeræ criminationes, calumniæ, ac irrisiones in Hieronymum congestæ; de quibus sic ille conqueritur: *Alius incessum meum calumniabatur et risum; ille vultui detrahebat; hic in simplicitate aliud suspicabatur.* Quocirca cum eo res pervenisset, ut jam vix sibi posset Hieronymus temperare, tandem Roma abiit, atque in agrum se recepit, ubi suas ad Marcellam dedit litteras. Sed remotiorem secessum anhelans, oblata sibi opportunitate in Orientem abeundi, eo pergere statuit; jamque navigium conscensurus, ad Asellam scripsit, suamque cum Paula et Melania familiaritatem, quam maledici criminabantur, egregie vindicavit. Meminit quoque injuriarum quas acceperat; fatetur tamen se æquo animo eas ferre, proposito sibi exemplo Christi Domini, qui a Judæis seductor et dæmoniacus est habitus; tandemque concludit: *Scio per bonam et malam famam perveniri ad regna cœlorum.*

Nullæ Siricii partes quoad Hieronymum male habitum, et Roma abeuntem.

LXVI. Cum igitur privato consilio, quod tamen pravorum hominum molestiæ excitarunt, suum ab Urbe discessum Hieronymus decreverit, non est cur ullam discessus causam in Siricium refundamus, ut scite ratiocinatur vir eruditus Dominicus Vallarsius in vita S. Hieronymi *tom.* 2. *Operum S. Doctoris editionis Veronensis an.* 1742. *cap.* 16. *Neque ab eo*, loquitur de Siricio, *est illa conflictationum sancti Patris cum æmulis malisque hominibus causa repetenda; sed ipse utique, quid causæ fuerit, Hieronymus novit, et fassus est epistola* 40. *Nos, inquiens, vitiis detrahentes, offendimus plurimos.* Sed nec illud Siricio opponi potest, quod Hieronymum in eum dignitatis gradum, quem Damasus illi contulerat, non restituerit; ideoque tot bella et contentiones in Hieronymum exarserint, quæ alioquin sub Siricii tutela S. Doctor effugisset. Non enim cæco modo de rebus a nostra ætate adeo dissitis judicium ferendum est; neque conjecturis agendum, ubi in summa rerum caligine versamur. Quid? quod si illorum temporum ac rerum conditionem spectemus, fortasse intelligi poterit, non sine causa Hieronymum a Siricii familiaritate fuisse sejunctum; ne alioquin, quæ in Hieronymum fervebant odia, in Siricium converterentur.

Haud culpandus Siricius, quod Hieronymi discessum non retardaverit.

LXVII. Abiit Roma Hieronymus, non jam Siricio aut mandante, aut impellente, sed proprio actus consilio, atque illud Evangelii monitum secutus: *Si vos persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam.* Poterat sane Siricius prohibere, ne Hieronymus ab Urbe recederet: nulla tamen, quæ Siricium obstringeret, urgebat lex. Neque Hieronymi opera, etsi Damasi tempore commendatissima, usque adeo necessaria erat sub Siricio, ut dempto Hieronymo,

et apostolico muneri ferendo, et totius orbis catholici consultationibus expediendis impar esset Siricius, S. Doctoris præsidio destitutus. Constat enim e Pontificis Siricii litteris ac responsionibus, nihil in iis occurrere, quod multum Pontificis pro catholica religione atque ecclesiastica disciplina studium summopere non commendet: adeo eximiæ illæ sunt, adeo solidæ ac pastoralis sollicitudinis, vigilantiæ, ac majestatis zelo ubique refertæ. Hinc summo ab omnibus habentur in pretio, esto, inscio Hieronymo, fuerint conscriptæ. Petrus Coustant in præfatione, quam Siricii litteris anteponit, fatetur, *eum amore potius, quam auctoritate populum rexisse.* Ne autem quis, Hieronymi sententiam secutus, Siricium aut inexpertum, aut minus providum arbitretur, hæc subdit: *Quæ autem ad nos pervenerunt ipsius scripta, summum fidei catholicæ, et canonicæ disciplinæ servandæ studium spirant.*

*Hieronymus, Urbe relicta, sacrarum Scripturarum studiis vacat impensius.*

LXVIII. Si arcana divinæ Providentiæ consilia scrutari liceret, duce Gennadio Massiliensi, vel alio, quisquis ille fuerit, scriptore vitæ S. Hieronymi, quam in citato tom. 2. Vallarsius edidit, haud dubitaremus asserere, Deum qui satius duxit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere, maximum ex conspiratione in Hieronymum Romæ facta, ejusque ab Urbe recessu, elicuisse bonum; ut nimirum S. Doctor a publicis negotiis et Urbis strepitu remotissimus, sacrarum Scripturarum studio totus vacaret, suasque vigilias ac curas omnes, nullo prohibente, in præclarum illud Opus, utilissimum æque ac commendatissimum conferret. *Verum enimvero*, ita loquitur scriptor vitæ *apud Vallarsium pag. 243. hunc ego felicem dixerim, hujus fugæ eventum corrigentis Christi judicio dispensatum, quem pravorum hominum persecutionibus paratum fore existimo: scilicet ut Romana Ecclesia, Petri instituta regimine, omniumque veteris Testamenti librorum edocta veritate, Christo Deo volente, et Hieronymo speciali studio desudante, hebraicam quoque habeat veritatem; et Græcorum quorumdam levitas, quæ sibi Romanos a se omnes Scripturas divinitus inspiratas accepisse plaudebat, eos habere quod non habet, recognoscat.*

*Nullæ simultates Siricium inter ac Hieronymum intercesserunt.*

LXIX. Quæ hactenus pro Siricio locuti sumus, ea profecto sunt, ut sanctum Pontificem ab iis omnibus, quæ contra D. Hieronymum illatæ fuerunt, injuriis ac contumeliis prorsus eximant. Ne tamen in re tanti momenti quidquam intactum prætereamus, ad ea quæ inter Siricium ac Hieronymum contigisse dicuntur, oculos convertamus. Sunt enim qui privatas quasdam simultates obtrudant, quæ sicut christianæ charitatis legibus adversantur, ita Siricii virtutibus et sanctitati obesse videntur. Nihil vero quæcumque in hanc rem proferri possunt argumenta, Nos commovent; aut enim falsa omnino sunt, aut si veritati consonent, Siricium non lædunt, ut modo demonstrabimus.

*Hieronymi sententiam de bigamis Siricius non attigit.*

LXX. S. Hieronymus in ea fuit sententia, ut nullam irregularitatis notam contrahat, qui duas ante Baptismum, aut etiam unam ante, alteram post Baptismum uxores ducat, modo priori defunctæ succedat conjux altera, ut multis in epistola ad Oceanum probat argumentis. Hinc colligit S. Doctor, validam simul ac licitam fuisse ordinationem Carterii Episcopi in Hispania, qui nondum sacro tinctus lavacro, matrimonium semel contraxerat; moxque, uxore viduatus, aliam sibi sociaverit post Baptismum. Rentur aliqui, hanc Hieronymi sententiam a Siricio sub ipsis Pontificatus initiis fuisse improbatam; ideoque Hieronymum illius assertorem, ex insigni æstimationis ac famæ gradu, in quem conscenderat, excidisse. Huic opinioni adhæret memoratus Vallarsius *in vita sancti Hieronymi cap. 16.*, sed negat, Siricium, qui sententiam illam rejecit, Hieronymi nomini ac famæ ullo parto nocuisse: *Nemo hinc tamen sibi in animum inducat, eum quidquam in sanctum Doctorem commisisse, unde is in aliorum criminationes atque odia incideret.* Sua Vallarsio sit sententia: Nobis enim alia, quæ Siricii causam magis juvat, arridet responsio. Enimvero sanctus Siricius, cum in epistola prima ad Himerium Episcopum Tarraconensem, tum in alia ad Episcopos Africæ, hoc unum statuit, bigamum scilicet habendum esse qui aut duas uxores duxerit, aut unam, quæ virginitatem amisit, sibi sociaverit. Ceterum cam facti speciem ac circumstantias de gemino ante Baptismum inito matrimonio, aut de conjugio semel ante Baptismum, iterum post Baptismum contracto, de quibus Hieronymus loquitur, Siricius non attigit, ut ex *capite 10. et 11. epistolæ ad Himerium, et ex num. 4. et 5. epistolæ ad Episcopos Africæ*, patet legenti.

Ex quo sequitur, ut nec sententiam Hieronymi Siricius directe improbaverit, nec indirecte S. Doctoris nomini ac dignitati quidquam detraxerit.

LXXI. Hieronymianam de bigamis opinionem impugnavit S. Innocentius I. *in epistola secunda ad Victricium Episcopum Rothomagensem cap.* 6. ubi non de bigamis generatim, quo in sensu Siricium locutum novimus, sed de ipsa bigamia ante Baptismum contracta, quam plane circumstantiam Hieronymus exprimit, aperte loquitur hisce verbis : *Ac ne ab aliquibus existimetur, ante Baptismum si forte quis acceperit uxorem, et ea de seculo recedente, alteram duxerit, in Baptismo esse dimissum, satis errat a regula qui in Baptismo hoc putat dimitti. Remittuntur peccata, non acceptarum uxorum numerus aboletur* : et post nonnulla : *Quod si non putatur uxor esse computanda quæ ante Baptismum ducta est; ergo nec filii, qui ante Baptismum geniti sunt, pro filiis habebuntur.* Immerito igitur Siricio tribuitur, quod Innocentio I. adscribendum. Nec dissentit Baronius, qui *ad an. Christi* 405. putat, memoratam de bigamis sententiam, quam S. Hieronymus Romæ tenuit, ab eodem S. Doctore majori contentione ac nisu fuisse propugnatam in litteris quas ad Oceanum misit, ut Carterii Episcopi ordinationem vindicaret; ideoque ab Innocentio potius, quam a Siricio eam fuisse improbatam. Petrus autem Coustant *in notis ad eamdem Innocentii epistolam pag.* 751. prudenter observat, sanctum Innocentium Siricii verba usurpasse, ut decerneret quidnam statui oporteret de marito, qui duas uxores ante Baptismum acceperat; qua de re Siricius non loquitur, ut supra animadvertimus. *In hoc atque superiori decreto*, ita Constantius, *Innocentius ita Siricii verba exscribit, ut in utroque de uxoribus ante Baptismum ductis, de quibus Siricius nihil dixerat, quid sentiendum sit, sibi necessario definiendum duxerit.* Utra eligatur sententia Baronii, an Constantii, sancti Siricii causa egregie vindicatur.

Eam tamen rejecit Innocentius.

LXXII. Cum multa eloquentiæ vi, ac fervido in Dei gloriam et animarum salutem studio polleret Hieronymus, Jovianum seu Jovinianum novum Christianorum Epicurum vehementer insectatus est. Qua in re tot tantisque laudibus virginitatem extulit, ut in quorumdam suspicionem venerit S. Doctorem in extrema prolapsum, legitimas nuptias damnasse. Etsi vero a mente et consilio Hieronymi alienissimum id esset, nihilominus inanis rumor in Urbe invaluit, multosque in pravam hanc de Hieronymi doctrina suspicionem adduxit. Hinc Pammachius, qui D. Hieronymo intima familiaritate conjunctus erat, Opuscula omnia undequaque colligere, atque ex aliorum conspectu subducere studuit. Postquam vero sanctus Doctor eximiam contra Jovinianum edidit Apologiam, in qua tenebras omnes, quas iniquus ille virginitatis impugnator obtenderat, ne catholicæ veritatis lumen innotesceret, eloquentiæ ac doctrinæ fulgore disjecit, Jovinianus a Siricio damnatus est. Porro vel ex hac una Siricii sententia satis patet, quanto catholicæ veritatis servandæ studio S. Pontifex hæreticos oppugnaverit, et quo animo fuerit erga Hieronymum catholicæ veritatis propugnatorem. *Affulsit tandem veritas, nec tantum se luculenter purgavit Hieronymus, sed ipsius Pammachii opera a Siricio damnatus est Jovinianus, quod idem est ac dicere, Siricium in sententiam Hieronymi ivisse.* Ita loquitur Florentinius *in citata Exercitatione pag.* 1004.

Siricius Hieronymi sententiam secutus, Jovinianum damnat.

LXXIII. Nondum tamen hac in re nodos omnes dissolvimus; hinc ad seriem historicam regrediamur oportet. Quo tempore gravior illa de Hieronymi doctrina contra Jovinianum fervebat in Urbe disceptatio, S. Doctor suam ad Pammachium scripsit epistolam, quæ *in tom.* 1. *editionis Veronensis est* 49., in qua postquam meritas reddidit amico grates, quod exemplaria Romæ suspecta prudens subtraxerit, *De Opusculis meis contra Jovinianum, quod et prudenter et amanter feceris exemplaria subtrahendo, optime novi*, subdit post pauca : *Audio totius in te Urbis studia concitata : audio Pontificis et populi voluntatem pari mente congruere. Minus est tenere sacerdotium, quam mereri.* Hisce verbis expendendis intentus Florentinius *in relata Exercitatione pag.* 1003. sic fatur : *Verum ea occasione Siricium commotum in Pammachium, nedum in Hieronymum, ex omnibus fere clamoribus ita idem Hieronymus affirmat : Audio totius in te Urbis studia concitata : audio Pontificis et populi voluntatem pari mente congruere. An vero amarulentum illud, quod sequitur, in Siricium jactatum sit, hæreo : Minus est tenere sacerdotium, quam mereri.* Hæret ergo Florentinius, nec audet hæc verba ad Siricium transferre. Quod si quis præfidentior, ea de Siricio intelligenda

Hieronymi censura Siricii sanctitati non officit.

esse obfirmato animo contendat, tandem id dabimus; ita tamen ut nullo pacto Siricium ex Hieronymi testimonio Pontificatus honore indignum fuisse concedamus. Quidquid enim hac in re S. Doctor ex aliena potius quam ex propria sententia protulerit, ut infra explicabimus, profecto privata unius vel alterius auctoritas, publico totius Romani cleri populique judicio non est anteponenda. Cumque splendidum atque inconcussum ex Valentiniani Imperatoris epistola petatur argumentum de provida Siricii electione, ejusque innocentia ac probitate, sileat oportet quicumque obtrectator, hujusce elogii, quod pro Siricio Valentinianus attexuit, auctoritate convictus : *Magnum innocentiæ et probitatis exemplum est, in una acclamatione et ipsum* (Siricium) *eligi, et ceteros improbari.*

Hieronymi in Siricium duriora verba excusantur.

LXXIV. Sed neque lividam obtrectationis maculam Hieronymo inurendam censemus; quidquid enim hac in parte illi excidit quod Siricii sanctitati injurium videatur, inani potius illius credulitati, quam infenso in optimum Pontificem animo tribuendum. Potuit sane S. Doctori contigisse, quod iis passim usuvenit, qui remotissimas regiones inhabitant; ut nimirum ex falso quopiam rumore Jerosolymam perlato, in errorem inductus, minus æquam de Siricii virtutibus, regimine, ac probitate conceperit opinionem. Quod animo imbiberat, privatis ad amicum Pammachium litteris aperuit; atque ob eam, quæ inter amicos obtinet, familiaritatem, fortasse minus cautus, de iis facile locutus est, quæ ex incerto, atque inani rumore in vulgus disseminabantur. Accedit quod litteras ad Pammachium Hieronymus dederit, quo tempore disceptatio contra Jovinianum adhuc fervebat, et Siricius populari Urbis opinione deceptus, adversariis Hieronymi liberius fortasse quam oportebat, favere videbatur. Hinc nova Hieronymum incessit suspicio, novus timor, qui tandem in voces, quæ Siricii integritati adversari videntur, erupit. Quo ferme pacto inter collitigantes occurrunt aliqui, qui cum bonam foveant causam, si judicem in adversam partem propendere suspicantur, in judicem ipsum insurgunt, obloquuntur, ejus laudibus obtrectant, munere quo fungitur indignum affirmant, donec judicium, de quo sibi metuunt, definiatur. Ubi vero juri consonam judex sententiam tulit, versis vicibus, sermonem corrigunt, suspicionem execrantur, palinodiam recinunt, summamque prætoris scientiam atque integritatem commendant. Hæc eadem facile Hieronymo possunt accommodari. Cum enim, pendulo adhuc judicio, anceps hæret ac dubius, de Siricio conqueritur; at contra, re integra, et quavis suspicione remota, Siricium veneratur, ac multa cum laude commemorat, ut infra patebit.

Rejiciuntur qui Hieronymum ex invidia locutum putant.

LXXV. Hasce conjecturas amplectimur, quæ et Siricii sanctitati, et Hieronymi famæ ac dignitati bene consulunt. Eos namque aversamur, qui de celeberrimi Ecclesiæ Doctoris honore tuendo nihil plane solliciti, ut Siricium vindicent, damnant Hieronymum; in quem idcirco nedum maledicentiæ, sed et invidiæ ac ambitus crimina congerunt. Ferunt enim, illum secunda populi acclamatione in Damasi successorem propositum, sed mox in electione Siricio posthabitum, verba illa in æmulum immerito sibi præpositum protulisse : *Minus est tenere sacerdotium, quam mereri.* Præposteram hanc verborum D. Hieronymi interpretationem refert Florentinius, quamvis eam omnino non approbet. At Nobis nullo modo ferenda videtur; non enim citra summam injuriam, illud de Hieronymo aut sentire, aut etiam suspicari possumus, tantum virum usque adeo ambitus crimine abreptum fuisse, ut et futurum Pontificatum concupiverit, et deperditum ingemuerit.

Litteras communicatorias Rufino traditas Hieronymus improbat, excusat Baronius.

LXXVI. Rufinus Roma discessurus ut in patriam reverteretur, litteras communicatorias a Siricio petiit et impetravit. Cardinalis Baronius rem hanc expendens *ad an Christi* 397., Siricium reprehendere non audet, cum nulla S. Pontifici causa suppeteret, cur petitas litteras Rufino denegaret : *Sed quod ad Rufinum spectat, etsi profecturus Aquilejam solum patrium, petierit et acceperit ab ipso Siricio Romano Pontifice communicatorias litteras, Catholicis tantum, ut sæpius diximus, impertiri solitas, minime cessit culpæ Siricio. Nam cum ipsa hæretica interpretatio Periarchon Origenis, nomine careret Auctoris; nec a quo præfatio illa esset scripta, liqueret, nihil est quod Rufinum nondum detectum, imo Catholicum se clamantem, et ab omni hæresi se alienum extrinsecus profitentem,*

*a communione extorrem facere deberet; nec Romanæ Sedis moris est, non convictum quempiam condemnare.* Hæc Baronius. Erant igitur communicatoriæ litteræ, catholicæ communionis indicium atque argumentum; quo sane argumento Optatus usus est, ut ostenderet Ecclesias Africæ, quæ Cæciliani ordinationem tuebantur, omnimodam cum Ecclesia catholica servare communionem. *Sedit prior Petrus*, loquitur de cathedra Romana, et enumeratis Petri successoribus usque ad Siricium, ita prosequitur : *Siricius hodie, qui noster est socius, cum quo Nobis totus orbis commercio Formatarum*, communicatorias intelligit, *in una societatis communione concordat.* Hasce litteras vaferrimus Rufinus magnopere ostentavit venditavitque, præsertim post mortem Siricii, ratus sibi profuturas tempore Anastasii Pontificis qui Siricio successit, ut judicium contra se institutum, aut effugeret, aut infirmaret. Quocirca D. Hieronymus, cui prava Rufini indoles perspecta erat, catholicæ religionis studio actus, *in epistola 127. ad Principiam tom. 1. ejus Operum editionis Veronensis pag.* 951., postquam Marcellam, quæ errori strenuo restiterat, egregio commendavit, Siricium simplicitatis quodammodo insimulat, quod ex propriæ indulis ac probitatis mensura, alienos mores metiretur, se de iis judicium ferret. *Tunc sancta Marcella, quæ diu se cohibuerat, ne per æmulationem quidpiam facere videretur, postquam sensit fidem apostolico ore laudatam, in plerisque violari, ita ut sacerdotes quoque et nonnullos Monachorum, maximeque seculi homines in assensum sui traheret, ac simplicitati illuderet Episcopi, qui de suo ingenio ceteros æstimabat, publice restitit, malens Deo placere quam hominibus.*

LXXVII. Observat Cardinalis Baronius *ad annum Christi* 397., Siricium a Hieronymo, non doli, aut gravioris criminis, sed simplicitatis dumtaxat insimulari : *Sugillat sanctus Hieronymus Siricii Papæ simplicitatem, non dolum.* At Petrus Coustant in toties memorati Operis *pagina* 706. animadvertit, Rufinum tunc cum litteras communicatorias obtinuit, virum fuisse acris ingenii, multæ scientiæ, ac integræ famæ prærogativa commendatum; nondum enim, quod in imo pectore servabat, virus evomuerat : *Eo autem facilius Rufinus sibi ac sociis litteras a Siricio impetravit humanitatis ac benevolentiæ plenas, quod ille virtutis ac scientiæ fama clarus, necdum male audiisset.* Qua de re opportunior infra, ubi Origenistarum causam tractabimus, redibit sermo. Quod vero ad Siricii simplicitatem attinet, idem Coustantius quamcumque criminis invidiam amoliri studet, atque ita prosequitur : *In sinistram suspicionem non facile abit christiana simplicitas, nec male de quoquam judicare amat, præsertim de illo, de quo nihil se menti offert, unde non recte de illo sentiat.* Culpanda igitur simplicitas, quæ a fatuitate nimiave credulitate proficiscitur; excusanda vero quæ ortum ducit a christiana charitate, cui illud peculiare est, ut de alieno malo quod ignorat, non cogitet. Atque huc quidem revocari possunt verba Hieronymi, qui de Siricio jam vita functo sermonem habens, cum Rufino easdem, quas a Siricio acceperat litteras exprobraret, quod iis contra judicium ab Anastasio instructum abuteretur, uno eodemque sermonis contextu Rufinum objurgat, et Siricium commendat : *Siricii jam in Domino morientis profers epistolam*, ita sanctus Doctor Rufinum alloquitur, *et viventis Anastasii verba contemnis;* quibus verbis Siricium Pontificem, Beatorum, qui in Domino moriuntur, numero accenset. Hanc ipsam verborum Hieronymi interpretationem probat ac sequitur Pagius *in vita Siricii num. 77. Quæ verba*, inquit, *ostendunt Hieronymum credidisse, Siricium somno Sanctorum in Domino obdormivisse.*

*Quæ in Siricium objicitur simplicitas, culpa vacat.*

LXXVIII. Quoniam de Hieronymo satis hucusque egimus, proposita controversiæ methodus exigit, ut jam de sancto Paulino sermonem instituamus. Quia vero et hic nova criminum materies contra Siricium exorgit, rem paulo altius repetere juvabit. Quanta animi benevolentia Pontifex Anastasius Siricii successor prosecutus fuerit sanctum Paulinum tunc adhuc presbyterum, mox celeberrimum Nolæ Episcopum, ex ejusdem Paulini *epistola* 20. *ad Delphinum* data, satis compertum est. *Sciat veneratio tua*, inquit Paulinus, *sanctum fratrem tuum Papam Urbis Anastasium amantissimum esse humilitatis nostræ. Nam ubi primum potestatem charitatis suæ nobis offerendæ habere cepit, non solum suscipere eam a nobis, sed inserere nobis piissima affectione properavit.* Cujus quidem singularis benevolentiæ haud obscurum argumentum inde eruitur, quod Anastasius

*Sanctus Paulinus Anastasio Pontifici acceptissimus.*

ad diem suum natalem celebrandum, ad quem soli Episcopi convenire consueverant, nonnisi Paulinum presbyterum invitaverit; nec minori amoris significatione excusationem exceperit, quam, cur non veniret, Paulinus attulerat. *Postea quoque*, sic ille prosequitur in laudata epistola, *interposito tempore, etiam ad natalem suum, quod consacerdotibus suis tantum deferre solet, invitare dignatus est. Nec offensus est excusatione nostra, sed officium sermonis nostri, quod in vicem præsentiæ reddideramus, acceptans, animo nos paterno et absentes recepit.*

Longe dissimilis Paulini fortuna sub Siricio. LXXIX. Longe tamen dissimilem fortunam Paulinus expertus est sub Pontifice Siricio, qui Paulinum Romæ versari ægre ferebat; qua de re graviter conquestus est ipsemet Paulinus *in epistola* 5. *ad Sulpitium Severum*, in qua postquam motus ac turbas omnes ab invidis clericis contra se concitatas commemoravit, hæc subjicit: *Sed plenius indicare potuerunt conservi nostri pueri tui, quantum nobis gratiæ dominicæ detrimentum faciat Urbici Papæ superba discretio.* Urbici Papæ nomine Siricium intelligi, affirmat Baronius, cujus verba jam a Nobis supra relata, juvabit repetere: *Jam puto*, inquit *ad an. Christi* 394. *sentis, lector, quem Paulinus per Urbicum Papam intelligat, non alium quidem quam qui tunc Romanæ præerat Ecclesiæ, Pontificem ipsum Siricium; quem infensum absque causa aliqua, ut ait, pati coactus fuit.* Mox causam inquirens cur Siricius alieno fuerit animo erga Paulinum, hanc producit, quod nimirum Paulinus adhuc laicus a Lampio Barcinonensi Episcopo ad ordines fuerit promotus, legitimis temporum interstitiis nequaquam servatis. Id vero cum displicuisset Siricio, qui ecclesiasticæ disciplinæ vindex erat acerrimus, ideo iis benevoli animi significationibus, quæ tanti viri meritis ac virtutibus congruebant, Paulinum excipere noluit; quod tamen in Siricio Baronius non probat, cum Paulinus invitus ac nolens, ad sacra altaris ministeria obeunda fuerit initiatus. Neque vero deerant illustrium virorum exempla, veluti Ambrosii ac aliorum, qui vel ex ipso laicorum statu, vel etiam e catechumenorum ordine, nedum ad sacerdotii, sed etiam ad sublimiorem Episcopatus gradum ascenderant, verius evolaverant.

Nulla invidia, livor nullus Siricium impulit, ut Paulinum aversaretur. LXXX. Meminit idem Baronius quo plausu Paulinus Romam adveniens exceptus fuerit. Magna enim ac potior Urbis pars, civium scilicet, præsulum, ac eorum qui publicis fungebantur muneribus, præter advenas, plebejosque homines una commixtas, certatim et velut agmine facto, ad eum invisendum confluebat. Equidem plausu ac admiratione digna res erat, Paulinum virum consularem, humili sacerdotum veste indutum aspicere. Caveudum vero ne ullam ex tanta Urbis gratulatione criminationis materiem in Siricium refundamus. Tillemontius *tomo* 14. *Memoriar. pro Historia ecclesiastica sex priorum seculorum, in vita sancti Paulini art.* 14., de hominum frequentia, qui ad Paulini domum convolabant, sermonem habens, putat Siricium ideo subinfenso ac alieno in Paulinum fuisse animo, quod communis favor ac plausus egregias tanti viri virtutes celebraret. Hinc livorem ac invidiam, quæ in Paulinum exarsit, exortam affirmat. Tillemontio assentiuntur alii iniqui sane censores, nempe Baillet *in vita sancti Paulini die* 22. *Junii num.* 7., et Dupinus *seculo quinto novæ Bibliothecæ tomo* 3. *part.* 1. *pag.* 280. Has tamen in sanctum Pontificem impactas calumnias facile erit retundere, si quæ Pater Franciscus Sacchini *in vita sancti Paulini apud Bollandianos die* 22. *Junii cap.* 4. *num.* 30. in hanc rem scripsit, huc revocentur. Ait enim, Siricium satis aperte locutum, se nempe Paulini ordinationem præproperam nimis atque præcipitem, probare non posse; ideoque consueta benevolentiæ ac humanitatis officia in eum exercere noluisse. Hanc unam ille producit causam, quæ Siricium a Paulino paulisper alienavit. *Sivit Siricius emanare sermonem, ejus* (hoc est Paulini) *se consuetudinem nolle; scilicet ne repentinam hominis consecrationem probare, et latas ab se ipsemet enervare leges videretur. Nihil ultra gestum, satis ostendunt illa Paulini ad Severum verba. Qui nos odisse, et a consortio sanctitatis suæ segregare dicuntur.* Idipsum affirmat Cellier *tomo* 10. *Histor. Generalis sacrorum Auctorum cap.* 17. *num.* 8., cui consonat Florentinius in citata *Exercitatione pag.* 1005. et Pagius *in vita Siricii num.* 15.

Aliæ, quæ Siricium vindicant, rationes adducuntur. LXXXI. Alias rationes iidem Florentinius ac Pagius attexunt, ut quamcumque simultatis suspicionem, quæ in Siricium intorqueri posset, excludant. Ajunt igitur, sanctum Paulinum contra dissolutos Romani cleri mores liberius

declamantem, multorum odia ac obtrectationes, quod et Hieronymo, ut supra annotavimus, contigit, in se concitasse; hinc alienis clamoribus commotum, ac veluti fatigatum Siricium, a Paulini familiaritate recessisse: addunt præterea, Paulinum optimis quidem atque integerrimis moribus præditum, in aliis tamen dijudicandis minus solerti fuisse ingenio; ideoque de Siricio Pontifice, quem nondum satis perspexerat, fuisse conquestum. Audiendus Florentinius: *Sed vere etiam fatendum est, Paulinum ex humana ratione optimum non fuisse hominum, et eorumdem morum æstimatorem, dum Siricium superbæ discretionis insimulat, quem Hieronymus nimiæ simplicitatis, et innatæ bonitatis quodammodo coarguit: et quamvis sanctitate morum Paulinus polleret, minus acris judicii reputari potest.* Id ut confirment memorati Florentinius et Pagius, rationes addunt nonnullas, quas hic repetere supervacaneum putamus.

Quæ causa Siricium a Paulino abalienaverit.

LXXXII. Quænam vero hac in re nostra sit sententia, hisce quas subjicimus animadversionibus aperimus. Prima est, sanctum Paulinum, statutis temporum interstitiis non servatis, ad Sacerdotium fuisse promotum, contra legem a Siricio statutam in Epistola ad Himerium Episcopum Tarraconensem *cap.* 9., quam ante Paulini ordinationem Siricius conscripserat, stata temporum intervalla definiens, quæ a laicali statu ad Presbyteratum debent intercurrere, ut in sacris præcedentium Ordinum ministeriis rite exerceatur quisquis ad Sacerdotium cupit accedere. Quamobrem ejusdem Siricii Decreto accurate secernuntur, qui ab infantia Ecclesiæ ministerio mancipantur, ab iis qui ætate grandævi, clericali militiæ adscribuntur; quibus idcirco lex indicitur, ut per ecclesiasticos gradus paulatim ascendentes, tandem statuto tempore ad Sacerdotium perveniant. Cum ergo certa atque explorata sit causa, quæ Siricii animum a Paulino abalienavit, haud licet aliam aut incertam, aut minus solidam causam obtrudere. Porro ea quæ a Paulini ordinatione petitur ratio, ceteris æquior est magisque consentanea. Si enim Siricius ad eam benevolentiæ significationem, qua Paulini probata virtus digna erat, descendisset, multorum animis hæc insedisset opinio, Siricium ecclesiasticarum legum, quas pridem promulgaverat, quasque in Paulini ordinatione violatas noverat, contemptum negligere, aut tacitum dissimulare.

Siricius in Paulinum aliquando benevolus.

LXXXIII. Sed et illud animadversione dignum est, Siricii severitatem erga Paulinum, haudquaquam diuturniorem fuisse, neque ad obitum usque fuisse productam. Satis enim Siricio fuit semel atque iterum durius excepisse Paulinum; mox enim composito ad benevolentiam vultu, quam prius occultaverat, paterni animi benignitatem tandem manifestavit, eaque Paulinum complexus est. Tillemontius in loco citato *art.* 20. post evolutas Paulini Epistolas, affirmare non dubitat, egregium hunc Virum quotannis ad celebrandum natalem diem beatorum Apostolorum Petri et Pauli Romam accedere, ibique decem circiter dierum spatio commorari consuevisse. Quid vero interim Paulinus Romæ ageret, sic ille aperit. Antemeridiano tempore Ecclesias adire, et Sacra peragere solemne illi erat: pomeridianis vero horis, in iis, qui salutatum venerant, excipiendis, erant autem quamplurimi qui turmatim ad Paulini ædes accedebant, totus occupabatur; nec ullum vel exiguum illi supererat temporis spatium, quo vel epistolam scriberet, vel pagellam percurreret, ut tot tantisque implicitum curis animum recrearet. Nox una quietem, breviorem tamen, Paulino conciliabat. Quo primum tempore mos ille inceperit Romam accedendi ipso Apostolorum Petri et Pauli natali die, idem Tillemontius inquirit, probatque hujusce sacri ritus initia ab ipso Siricii Pontificatu esse repetenda. Hinc infert, Siricium postremis vitæ annis æquiori erga Paulinum fuisse animo, ideoque eum Romam accedentem, ac Romæ commorantem, multa dilectionis ac benevolentiæ significatione excepisse. Secus, nec Romam accedere, nec ullam ibi moram trahere decrevisset Paulinus, si infensum Siricii animum fuisset expertus. Ubi Paulinus suboffensum Siricium cognovit, ab Urbe recessit; si ergo in Urbem sub eodem Siricio regressus est, jam pacatum, sibique benevolum probe noverat.

Quæ inter Siricium et Paulinum intercessit discrepantia, eorum sanctitatem non lædit.

LXXXIV. Tertio loco dissimulare non possumus, duriora illa, quæ supra retulimus, verba, a Paulino in Siricium, non etiam a Siricio in Paulinum fuisse prolata; ideoque, si liceret de alterutro judicium ferre, Paulinus non Siricius de acri illa ac inofficiosa expostulatione esset culpandus. Verum hac etiam animadversione posthabita, si rem ad rigidioris judicii lances exigamus, hoc unum colligimus, aliquam scilicet inter Siricium ac Paulinum intercessisse discrepantiam,

et animorum offensionem: quæ neutrius sanctitatem evertit. Ut id Pagius confirmet, notissimum *in vita Siricii* affert exemplum contentionum, quæ sanctum Willelmum Episcopum Eboracensem, et sanctum Abbatem Bernardum ad invicem commiserunt; qua de re fusiori sermone Nos item egimus *lib.* 2. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 41. *num.* 13., qui insuper *sub num.* 8. aliud exemplum produximus de privatis contentionibus inter sanctum Leonem Magnum, et Hilarium Episcopum Arelatensem, ut silentio prætereamus alia gravioris momenti dissidia, quæ *in sequenti capite* 42. *ejusdem Operis* indicavimus. Nihil tamen illustrium Virorum virtuti ac probitati quidquam inde decedit: aliud namque est simultates intercedere; aliud controversias excitari. Illud charitatem infringit, ac in odium erumpit; hoc in sola animorum dissensione versatur, quæ voluntates non dissociat, cum ingenia committit.

*Tardum Siricii consilium in damnandis Origenistis, a Baronio excusatur.*

LXXXV. Unum adhuc, antequam nostris hisce apostolicis Litteris supremam manum imponamus, superest examinandum, sitne Siricius socordiæ ac simplicitatis crimine insimulandus, quod in Origenistis damnandis minus sollicitum se præbuerit. Hoc est præsentis controversiæ postremum caput, cui expediendo nostra hæc, quam subjicimus, oratio occupabitur. Ut ab impacto desidiæ vitio Siricium purget, clarissimus Annalium Parens anno Christi 397. notissimam profert parabolam evangelici patrisfamilias, qui zizania ad messem usque sivit crescere, ne alioquin sollicita nimium cura actus, dum zizania evellit, ipsum quoque illis commixtum eradicaret frumentum. Laudandus sane Baronius, qui ut insignem in veteres Ecclesiæ Patres animi sui pietatem, ac singulare obsequium testatum faciat, cum illorum facta commendare non possit, benigniori saltem interpretatione excusare contendit. Sic ergo Baronius: *Licet et aliqua saltem ex parte, excusationem illam prætexere jure potuisset, quod exemplo evangelici patrisfamilias, usque ad messem siverit zizania crescere, ne cum eis evelleret triticum, expectans nimirum, ut qui vere essent hæretici, perspicue, matura segete, certioribus signis fierent manifesti.* Hanc ipsam Baronii sententiam secutus videtur Petrus Coustant in toties memorata Collectione *pag.* 706., ubi Hieronymi censuram contra Siricii simplicitatem expendens, innuit præcipuam christianæ simplicitatis dotem hanc esse, tardo gressu incedere, et composito ad indulgentiam animo, eos qui desipuerunt patienter expectare, ut facilius resipiscant: *Interdum etiam nonnihil dissimulandum censet, ut errantem prævenientibus demulcens officiis, eum ad veritatem allicere queat.* Neque desunt saluberrima sanctorum Ecclesiæ Patrum monita, quæ ejusmodi tolerentiam suadeant. Prostant apud Lucam d'Acherium *in tomo* 2. *et* 5. *Spicilegii*, Epistolæ Romanorum Pontificum, Simmachi, et Innocentii II., qui ad majora mala vitanda, atque ad pravorum mores in meliorem frugem revocandos, licere ajunt aliquando, posthabita legum severitate, ad christianæ patientiæ, et benignioris dispensationis regulas confugere, ut errantem ac devium fratrem facilius lucrari possimus. *Sæpenumero*, verba sunt eulogii Episcopi Alexandrini apud Photium, *aliqua temporaria œconomia ad breve tempus prodiit, aliquod indebitum tolerans et amplectens, ut continuum et inconcussum robur pietas acciperet, et ad dissolvendos eorum, qui veritati insidiabantur, insultus.*

*Origenistarum errores Siricius ignorat.*

LXXXVI. Etsi vero memorata Baronii responsio, tot monitis ac testimoniis illustrata, improbanda non sit, ab ea tamen abstinemus, cum alia opportunior, ac pro Siricii causa tuenda longe validior, Nobis præsto sit. Baronius Siricium hæresis Origenistarum conscium supponit; hinc prudentem tarditatem causatur. At Nobis Origenistarum errores, Siricio superstite, omnino delituisse videntur; quamdiu enim vixit Siricius, pessimi simulatores, ovium vestimentis contecti, lupinam improbitatem occuluerunt, quæ tandem sub Anastasio Pontifice, Siricii successore, detecta est, atque damnata. Nullus igitur excusationi locus, ubi error, qui nondum innotuit, quamcumque in Siricio improvidam simplicitatem excludit. In rem hanc testem producimus ipsum Hieronymum, qui causam inquirens, cur Origenistæ, atque omnium loco Rufinus, communicatorias litteras a Siricio postulaverint, hanc unam produeit *in Epistola* 127. *ad Principiam, in nova Veronensi editione tom.* 1. *pag.* 952. *num.* 10., ut nimirum, hæresi nondum evulgata, catholicæ communionis pallio obtecti, securius ex Urbe discederent: *Cernentes hæretici*, inquit S. Doctor, *de*

*parva scintilla maxima incendia concitari*, et *suppositam dudum flammam jam ad culmina pervenisse; nec posse latere quod multos deceperat*, *petunt et impetrant ecclesiasticas Epistolas*, *ut communicantes Ecclesiæ discessisse viderentur. Non multum tempus in medio*, *succedit in Pontificatum vir insignis Anastasius*, *quem diu Roma habere non meruit*, *ne orbis Caput sub tali Episcopo truncaretur; imo idcirco raptus atque translatus est*, *ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.* Hisce verbis enucleandis intentus Cardinalis Norisius *in citata Dissertatione pag.* 725. duo securus affirmat : Alterum nempe , Rufinum Roma abiisse , ne , detectis erroribus , a Siricio puniretur ; alterum vero , errores illos Siricii ætate omnino impervios delituisse. Præstat ipsum Norisium loquentem audire. *Itaque*, *teste Hieronymo*, *Rufinus Roma discessit*, *veritus non posse latere diutius Origeniani voluminis errores*, *ac proinde a Siricio sibi timebat*, *quem si propitium sperasset*, *poterat tutus ceterorum clamores surdis auribus contemnere. Ex illis verbis :* Nec posse latere, *constat eos errores nondum publicatos*, *sed tantum clanculum assertos. Quid mirum si Siricium latuerint?*

LXXXVII. Egregius item est locus alter *ex Epistola* 130. *ad Demetriadem in citat. tom.* 1. *editionis Veronensis pag.* 936. *num.* 16., ubi S. Doctor Origenistarum errores sub Anastasio Pontifice detectos et proscriptos affirmat. *Dum esses parvula*, ita Demetriadem alloquitur , *et sanctæ ac beatæ memoriæ Anastasius Episcopus Romanam regeret Ecclesiam*, *de Orientis partibus hæreticorum sæva tempestas*, *simplicitatem fidei*, *quæ Apostoli voce laudata est*, *polluere et labefactare conata est. Sed Vir ditissimæ paupertatis*, *et apostolicæ sollicitudinis*, *statim noxium perculit caput*, *et sibilantia hydræ ora compescuit.* Hinc juremerito infert Florentinius *pag.* 1003. *præfatæ Exercitationis*, hæresim Origenistarum Siricii tempore nondum e latebris prodiisse; tum vero caput exeruisse , cum Anastasios Romanæ præerat Ecclesiæ : *Nondum hæresis patefacta erat*, *hoc enim tantum accidisse sub Anastasio*, *adductum ipsius Hieronymi fragmentum demonstrat.* Sub Anastasio Pontifice Origenistarum errores erumpunt.

LXXXVIII. Nec facile poterat Origenistarum hæresis ad aliorum notitiam pervenire , cum Rufinus ejusque socii , genus hominum vaferrimum, qua poterant arte , vel fraude , errores obtegerent. Prava hæreseos dogmata solis familiaribus manifestabantur, neque extra Rufini et Melaniæ consocios et asseclas , arcana illa doctrina evulgabatur. Ita vero Origenistarum calliditatem describit Pagius *ad Annales Baronii ad an. Christi* 397. *num.* 17. *Nondum hæresis satis patefacta erat*, *idque tantum accidit sub Anastasio*, *licet penes Rufini et Melaniæ familiares jam malesanæ doctrinæ suspicio invalesceret.* Pari sollicitudine Rufinus versionem libri Periarchon , Siricio vivente , occultavit , ne alioquin ex obvia lectione virus detegeretur. *Verum cum Origenis errores*, inquit Pagius loco citato *num.* 16., *ex mala Rufini interpretatione ante Anastasium latuerint*, *quid culpabile Siricius* omiserit, *non apparet; et communicatorias litteras Rufino de more concedens*, *dum hic optime apud omnes ante vulgatum Romæ Periarchon audiret*, *non videtur in crimen vocandus.* Imovero etsi Rufinus Roma abesset , et Aquilejæ moraretur , ubi biennio permansit , adhuc errores simulare curavit. Hinc nondum fraude detecta , Chromatii Episcopi familiaritate usus est : hinc etiam ipsemet Chromatius apud Hieronymum , et Venerius Mediolanensis Episcopus apud Pontificem Anastasium pro Rufino allaborarunt , ut de Venerio Episcopo constat ex ejusdem Pontificis Epistola ad Joannem Jerosolymitanum. Qui ergo Siricius nosse poterat Origenistas , quorum errores vel ipso Anastasii Pontificis tempore aliquamdiu delituerunt ? Si errores non noverat , nullo modo culpandus , quod errores non condemnaverit. Quocirca parabola illa evangelica , quam Siricio Baronius accommodat , de patrefamilias qui maluit zizania ad messem usque intacta relinqui , ne pari eventu zizania ac frumentum una divellerentur , minus consona videtur, cum paterfamilias zizania tritico commixta noverit ; Siricius vero Origenistarum errores catholicæ doctrinæ infensos ignoraverit. Si quid ergo ex evangelica illa parabola ad rem nostram liceat decerpere , illud est, patremfamilias nullo modo culpandum quod zizania in agro succreverint , cum ipse bonum semen electumque frumentum terræ mandaverit. Non enim illius incuriæ , sed inscitiæ tribuendum , quod inimicus homo occulta fraude , et nocte concubia , zizania

Multa Origenistarum solicitudo, ne hæresis innotesceret.

in sementem effuderit. Pari jure Siricius vindicandus, eum, eo superstite, nulla in Christi Ecclesia Origenistarum prava semina innotuerint. Quod si Anastasii Pontificis ætate hæreticorum zizania apparuerint, excusandus omnino Siricius, cum, aut eo vita functo, aut, si nondum vita cesserat, profundæ noctis silentio, ipso nimirum Siricio id penitus ignorante, noxia illa errorum zizania ab Origenistis fuerint disseminata.

*Illustrium virorum qui ab hæreticis decepti sunt, exempla nonnulla.*

LXXXIX. Ea est pravorum hominum indoles, ac hæreticorum versutia, ut innumeras ad decipiendum obtendant fraudes, quibus vel ipsis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus, etsi doctrina ac sanctitate præstantibus, aliquando imposuerunt. Ut novo Siricii simplicitatem vindicet argumenta, Petrus Coustant *pag.* 706. affert exemplum sancti Augustini, ac aliorum, qui Pelagio, jam de hæresi suspecto, communionis Litteras non denegarunt, quibus ille in concilio Diospolitano usus est, ut hæreticæ pravitatis notam effugeret. Mox utrumque exemplum quamsimillimum Siricii et Augustini una componens, ita ratiocinatur: *Qua in re si culpandus Siricius, quanto magis culpandi essent cum Augustinus, tum alii, qui Pelagio, jam hæresis suspecto, similes non denegarunt Epistolas, quibus ille ad depellendum a se hæreseos crimen, Diospolitano in concilio abusus est?* Alia a Cardinali Norisio congeruntur exempla sanctorum Pontificum Aniceti, Julii, Zosimi, et Damasi, qui licet sanctitatis fama claruerint, nihilominus perspectos nequaquam habuerunt pravos errores, primus Praxeæ, alter Marcelli Episcopi Ancyrani, tertius Cœlestini Pelagianorum Principis, quartus Vitalis Apollinaristæ. Sed longe majora sunt quæ Baronius commemorat de Viris illustribus, ac Summis Ecclesiæ Pontificibus, quos insidiis ac fraudibus circumventos, improborum versutia eo usque perduxit, ut innoxios ac insignes pietate Viros exosos aliquando habuerint, duriusque tractaverint. *Non mireris lector*, inquit Baronius *ad an. Christi* 464. *num.* 8. *in nupera editione Lucensi, Romanum Pontificem Hilarium adversus Mamertum adeo vehementer insurgere, Virum (ut declararunt eventa) sanctitate insignem; in his enim quæ contentiosi fari sunt, perfacile est quemque decipi. Persimile etiam sancto Leoni accidit, qui in sanctum Hilarium eadem ferme ex causa acerrime invectus est. Quis nesciat sæpe accidere, ut falsis accusationibus et subreptionibus aures Pontificum repleantur, et eum putant agere quod justum appareat, exagitent innocentem.*

*Chromatius, Paulinus, Augustinus esto Rufino faveant, excusantur.*

XC. Enimvero, ne a Rufino discedamus, si quæ pro eo gessit Chromatius, sanctitati Chromatii non officiunt, Norisio teste, *neque hæc officia Chromatii sanctitati nocere:* Si D. Augustinus citra ullum probitatis dispendium, magno in pretio habuit Rufinum, ut patet ex Epistola *in veteri editione* 15., *in nova* 73., quem insuper in pristinam Hieronymi amicitiam, etsi gravioribus ex causis dissolutam, restituere conatus est: si nemo Paulinum reprehendit, quod Rufinum coluerit, et Melaniam Origenistarum patronam commendaverit; cur Siricius damnabitur, quod acerrimum Rufino bellum non indixerit? Chromatius, Paulinus, Augustinus excusantur, quod dolum, pravasque Rufini mores ignoraverint: sed et Siricius ipse ignoravit; nec poterat Rufinum aversari, quem nondum noverat scelestum; non poterat scelestum nosse, quem communis fama et opinio probum adhuc habebat. Quo eodem argumento utitur Pagius ad Annales Baronii *in suis Annotationibus ad an. Christi* 397. *num.* 17. ita scribens: *Nec quia Siricius, dum viveret, bene de Rufino sensit, nondum cognita ejus venenata doctrina, e sanctitate decidit; sicuti neque D. Augustinus dum Epistola* 15. *quæ novo ordine est inter Augustinianas* 73., *Rufinum conciliare Hieronymo laborans, illum magni fecit, quamquam jam apologetica et amarulenta Opuscula inter utrumque vulgata essent sub Anastasio.*

*Quæ Paulino, eadem et Siricio congruit excusatio.*

XCI. Pari excusatione Baronius Paulinum tuetur, qui cum pravos Melaniæ mores ignoraret, ejus sanctitatem impensius laudavit. Aberat nempe Paulinus a Melania, nec nosse poterat aut debuerat quidquid ab ea clam et secreto gerebatur in Palæstina. *Melaniam*, verba sunt Baronii *ad an Christi* 397., *cum sic a Paulino laudatam vides, ne mireris; his quidem ipsa atque majoribus digna præconiis videbatur, nescientibus quæ paucis arbitris in Palæstina, non tam ab ipsa, quam per ipsam, a suis consociis, de inducendis in Ecclesiam erroribus Origenis, refragante sancto Hieronymo, ac penitus obnitente S. Epiphanio,*

*gesta essent. Quomodonom, quæso, Poulinus sciret, quæ nec qui Jerosolymis essent, nosse potuerint?* Quod de Paulino absente habet Hieronymus, Nos de Siricio Romæ commorante repetimus. Aderat Romæ Rufinus, non inficiamur; sed vicinia frustra obtenditur, ubi extra parietes domesticos, aut extra societatem eorum qui pari laborant errore, prava doctrina non egreditur. Lupos ab agnis secernunt mores; siceram a vitiata arbore distinguunt fructus. Si ergo mores lateant, si fructus non erumpant; nec lupi rapacitatem, nec arboris vitium licebit cognoscere. Pravus Rufino erat animus, prava doctrina: sed cum soli Rufino ejusque familiaribus errores essent perspecti, perperam Siricius tamquam minus sollicitus accusatur. Ignoti nulla cupido; nulla item invidia.

XCII. Novum pro Siricii vindiciis argumentum Nobis præsto esset, si eam amplecteremur sententiam, quam multi et doctrina, et ecclesiasticæ historiæ peritia satis instructi, secuti sunt; Rufinum scilicet ne ab ipso quidem S. Anastasio fuisse damnatum, quamvis Anastasio illud laudi detur, quod in Origenistarum causa partes omnes apostolici muneris optime impleverit. Consulendum in hanc rem Opus posthumum eruditi viri Justi Fontanini Archiepiscopi Ancyrani, quod inscribitur *Historia litterario Aquilejensis lib. 5. cap. 18.* Consulenda item quæ Vallarsius annotavit in Epistola S. Hieronymi 127. *ad Principiam pag. 952.*, ubi animadvertit, nullam de Rufini excommunicatione fieri mentionem, nullumque proferri posse vetus probatæque fidei monumentum, ex quo de aperta in Rufinum sententia dubitare non liceat. Addit Vallarsius, Rufinum, quamdiu vixit, nedum amicitiam, sed et familiaritatem exercuisse cum sancto Paulino, Nolano, Chromatio Aquilejensi, Gaudentio Brixiano, quibus, ex Fontanino *loco citato num. 3.*, addendus S. Petronius Bononiensis. Nemo autem dixerit, Rufinum ab Ecclesia ejectum, ac peculiari decreto damnatum, societatem ac consuetudinem cum tot tantisque viris, virtutibus ac religionis zelo præstantibus, servare potuisse. Ex quo infert, nonnisi indirecte Rufinum in Anastasii Decreto fuisse comprehensum: cum enim Summus Pontifex in Origenem nominatim sententiam tulerit, et ipsos indirecte Origenistas, quos inter eminet Rufinus, damnavit. Qua in re nihil Rufino accidit probri, quod ceteris Origenis sectatoribus, qui venenatam ipsius doctrinam profitebantur, commune non sit. *Eorum sententia, qui Rufinum ab Anastasio damnatum negant.*

XCIII. Reliquum tandem est, ut simplicitatis, sive improvidi nimium consilii macula, qua Siricius aspergitur, plano diluta, et ipsum, quem ab ejusmodi crimine tamquam a causa profluxisse aliqui putant, effectum, hoc est celerem Siricii mortem, explodamus. Aliquos in ea fuisse sententia, ut providus Deus Siricium ex hac vita rapuerit, ne Origeniana hæresis invalesceret, atque Anastasium suffecerit qui Origenistas prosterneret, jam supra animadvertimus, ubi illa Baronii verba recitavimus: *Sæpe quidem atque pavendis est demonstratum exemplis, quod Pontifices illi, qui causam Fidei paulo segnius tractaverunt, ac remissius curaverunt, a Christo primario omnium Pastore fuerint quam celeriter ex hac vita subtracti.* Hanc tamen sententiam piam sane, sed minus solidam, rejiciunt Florentinius, Norisius, Pagius *in vita Siricii*, aliique scriptores bene multi, quorum responsa et argumenta, ut brevitati consulamus, sat erit innuere. Primo igitur loco reponunt, Siricium, si Pontificatus tempora metiamur, in supremo Ecclesiæ gubernio quatuordecim, sive ex veriori calculo, quindecim annos egisse; si vero ætatem consideremus, plusquam septuagenarium ex hac mortali vita excessisse. Quocirca nec breviores Pontificatus anni, nec mora immatura sanctum Siricium exagitant. Secundo, alia exempla suppetere sanctorum Ecclesiæ Pontificum, Damasi, ac Julii, qui licet hæreticos, a quibus decepti fuerant, non damnaverint, celeri tamen morte sublati non sunt. *Hic tamen ab his quærerem*, inquit Norisius, *cur Deus ab hæretico deceptum Damasum non statim e vivis sustulit, uti cum Siricio factum putant. Julius Papa post absolutum Marcellum Ancyræ Episcopum, quinquennio superstes vixit, cum illum Liberius postea damnaverit.* Tertio, si accuratiori temporis supputationi, quam Norisius producit et probat, hæreamus, supremo Siricii vitæ anno Rufinus Origenianos libros Periarchon latinitate donavit; ideoque Siricio, qui nonnisi menses aliquot superstes fuit, tarditas et socordia opponi non debent. *Juxta ejusdem* (chronologiæ) *calculos*, ita Norisius, *Objectio de celeri Siricii morte dissolvitur.*

*Siricius post latinitate donatos libros Periarchon Origenis, aliquot tantum menses superstes fuit. Ejus vero successor Anastasius, post triennium ferme sui Pontificatus, Rufinum cum ceteris Origenistis condemnavit.* Ex quo fit, ut eum triennalis mora Anastasii sanctitati non noceat, longo brevius mensium aliquot intervallum Siricii probitati non officiat. Sane Anastasius judicium protraxit, non quia socors, sed quia cautus; ut nimirum quæ necessario præmittenda erant, neutiquam negligerentur. *In qua procrastinatione*, sequitur Norisius in toties a Nobis laudata Dissertatione, *nullum socordiæ vitium vituperari potest, sed exactius totius causæ examen commendandum venit.* Postremo absurdum videtur, Siricii Pontificis obitum, etiamsi celerem atque festinatum fuisse haud inviti daremus, divinæ ultioni adscribere, eum, teste Hieronymo *in Epist.* 127. *ad Principiam*, breviores Anastasii Pontificis anni singulari divinæ providentiæ beneficio tribuantur, ne scilicet orbis Caput sub tali Episcopo truncaretur; *imo idcirco raptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.* Improvidi ergo consilii est, divinæ voluntatis Decreta de variis vitæ ac mortis eventibus, curiosius investigare, atque ad hebetioris ingenii humani captum illa demittere: sicut enim, proposito sibi exemplo Siricii atque Anastasii, ratiocinatur Florentinius *pag.* 1002., *male eadem vitæ festinata abscissio in uno, ad insimulandam negligentiam, eodem contextu inducitur in alio ad sanctitatis indicium.*

*Siricii causa accuratissimo judicio discussa.*

XCIV. Etsi judicium, quod de Sancti alicujus nomine Martyrologii tabulis inscribendo, aut in Martyrologium, unde expunctum fuit, restituendo, instituitur, multum differat ab eo judicio, in quo solemnis canonizationis agitur causa, ut observat Christianus Lupus *in Notis ad concilium IV. Romanum sub Leone IX. tomo* 3. *pag.* 574., Nosque item animadvertimus *in lib.* 4. *de Canonizatione Sanctorum part.* 2. *cap.* 17. *n.* 9., in hac tamen, quam pro sancto Siricio agitavimus, controversia, eadem fere ratio ac methodus, quæ in causis canonizationum obtinet, a Nobis servata est. In canonizationum judicio hæc præ ceteris locum habent: Primo Servi Dei virtutes exponendæ, ac rite ab iis, quorum interest, probandæ sunt: secundo, si quæ reliquæ adhuc sunt difficultates diluendæ: tertio, quovis remoto obice, ad probandas pontificio Decreto virtutes tuto transitur. Pari ferme œconomia Siricii causam tractavimus. Ea cumprimis quæ Siricii sanctitati favent, expendimus; quo spectant argumenta, ab opinione et fama sanctitatis, ab ejus virtutibus, ac probatæ fidei Martyrologiis petita. Deinde, quæ contra Siricium objici solent, quibus fortasse innixi correctores sub Gregorio XIII. Siricii nomen rejiciendum censuero, onumeravimus ac confutavimus. Nil ergo prohibet quominus, causa satis cognita, ac validissimis rationibus ac monumentis, quæ Siricii sanctitatem demonstrant, probe discussis, Siricii nomen Martyrologio Romano inscribendum sit; quod idcirco inscribendum decrevimus, atque mandavimus. Qua in re, eum et tanti Pontificis sanctitati bene consultum sit, et nostra vota, quæ jam tum eum Promotoris Fidei munere fungebamur, nostro insederant animo, tandem Nobis in supremo Apostolatus officio constitutis, fuerint impleta, vehementer gratulamur.

*Summus Pontifex Regi fausta precatur.*

XCV. Hæc sunt quæ Majestati vestræ circa novam Martyrologii editionem duximus significanda; par enim Nobis visum est, eidem Majestati vestræ, cujus regio sumptu nobilis hæc editio prælo subjicitur, animi nostri sensus, et quæ in nuperam hanc editionem contulimus, aperire. Multas sane nostra hæc Epistola implevit paginas; eam tamen, etsi prolixiorem, nec gravem, neque injucundam fore confidimus, cum Nobis compertum sit, quanta item in Deum pietate, quanta item in Sanctos veneratione ac obsequio Majestas vestra feratur. Postremo, omnipotentem Deum bonorum omnium largitorem enixo precamur, ut divitiarum suarum, cœlestium cumprimis, copiam effundens, Vos diu servet incolumes, vestramque regiam familiam numquam desitura successione confirmet, regna vestra pacata custodiat, eorumque fines in remotissimas usque Infidelium regiones protendens, quod incepit, perficiat. Et Majestati vestræ, vestræque regiæ familiæ apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die prima Julii MDCCXLVIII. Pontificatus nostri anno octavo.

# GREGORIUS PP. XIII.

## AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Emendato jam Kalendario, curavimus (quod antea quoque decreveramus) Romanum Martyrologium, nonnullis in locis librariorum typographorumque negligentia mendosum, per viros eruditos ad fidem historiæ, quæ rerum gestarum, personarum, locorum, temporum veritate continetur, adhibitis etiam codicibus vetustioribus atque emendatioribus, corrigi, correctumque, et multis in locis auctum, proposita etiam atque explicata Epactarum, Lunæque singulis diebus numerandæ ratione, edi, vetustissimoque Ecclesiæ more in choro legendum proponi, ad Dei gloriam, ad Sanctorum ipsorum, quorum memoria celebratur, laudem; ad eorum qui legunt, quique audiunt, fructum. Habet enim Sanctorum innocentiæ, charitatis, fortitudinis, ceterarumque virtutum commemoratio stimulos quosdam acerrimos, quibus tum maxime incitamur, cum illorum propositis exemplis, nostram desidiam agnoscimus; quamque procul ab illorum laude et perfectione absumus, cogitamus. Mandamus igitur omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ceterisque Ecclesiis, monasteriis, conventibus, ordinibus, sive secularibus sive regularibus quibuscumque Præfectis, ut in peragendo divino in choro Officio, omni alio Martyrologio amoto, hoc tantum nostro utantur, nulla re addita, mutata, adempta. Si quos alios habuerint Sanctos in suis Ecclesiis aut locis celebrari solitos, eos in hunc librum ne inserant, sed separatim descriptos habeant, cumque illis locum atque ordinem tribuant, qui regulis hic descriptis traditur. Eadem etiam iis qui in Horis ecclesiasticis privatim Martyrologio uti voluerint (quod quidem magnopere cuperemus ut omnes facere vellent) mandamus, omnibusque aliorum Martyrologiorum omnium publice privatimque in ecclesiasticis Horis usu interdicimus: typographis etiam prohibemus, ne in posterum hoc nostrum ulla in re minutum, auctum, mutatum edere audeant. Si quis aliter quam hoc nostro Decreto comprehensum est, fecerit, noverit se in Dei omnipotentis, beatorumque Apostolorum Petri et Pauli indignationem incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xiv. Januarii MDLXXXIV. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Ant. Baccapadulius.

# TRACTATIO
# DE MARTYROLOGIO ROMANO
## CÆSARIS BARONII
### S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS
TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS BIBLIOTHECARII.

### CAP. I.

DE EXACTA DILIGENTIA ADHIBITA A S. ROMANA ECCLESIA IN CONSCRIBENDIS REBUS GESTIS SANCTORUM MARTYRUM.

Nihil antiquius apud sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsules fuisse videtur, quam ut Christianorum acta fortia, ipsæ Sanctorum Martyrum res præclarissime gestæ, perpetuæ memoriæ monumentis consignarentur. Cui rei egregiam navatam operam primum fuisse a sancto Clemente Romano Pontifice, testatum habetur in libro de Romanis Pontificibus, qui a quibusdam recentioribus citari consuevit nomine Damasi, ubi hæc in Clemente leguntur : *Hic fecit septem regiones dividi notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta Martyrum solicite et curiose, unusquisque per regionem suam, perquirerent.* Hæc ibi. Licet vero testimonio antiquorum scriptorum, Taciti, Plinii, Sex. Rufi, [Publii Victoris, et aliorum, exploratissimum sit, Romanam urbem illis temporibus in regiones quatuordecim fuisse divisam : tamen olim a Romanis Pontificibus in septem tantum regiones fuisse partitam, secundum numerum septem Diaconorum, qui Regionarii dicebantur, docent vetera Romanæ Ecclesiæ monumenta. Perseverasse diutius, ut in Romana Ecclesia non nisi septem Diaconi ordinarentur, auctor est Sozom. hist. lib. 7. cap. 19. His ergo septem cum divisæ dicantur a Fabiano Papa regiones Urbis; quatuordecim illas in septem fuisse conflatas, fatendum necessario videtur. Porro sicut septem erant Diaconi, sic et totidem Subdiaconi, et his par numerus notariorum, qui iisdem Subdiaconis et Diaconis subjecti erant. Unde in eodem lib. de Romanis Pontificibus hæc leguntur in Fabiano : *Hic regiones divisit Diaconibus et fecit septem Subdiacones, qui septem notariis imminerent, qui gesta Martyrum in integrum colligerent.* Habetur de his recentius exemplum ex Paulino sancti Ambrosii notario, qui et vitam ejus conscripsit, in qua ait, se fuisse sub cura Casti Diaconi, ad quem cuncta referret. Ex his perpende, quam diligens studium olim adhibitum fuerit, ut Acta sanctorum Martyrum pure ac sincere conscriberentur; cum non modo notarii in id opus gnaviter incumberent, sed et qui præerant notariis Subdiaconi ac Diaconi, iidemque jure dicti oculi Episcopi; quorum esset munus, cuncta exacto pervestigare, ac Pontifici nota facere, qui a notariis scripta, qualia ea demum essent, probaret, atque inter ecclesiastica monumenta reconderet. Id est enim quod de Antero Papa scriptum habes in hunc modum : *Hic gesta Martyrum diligenter*

*a notariis exquisivit, et in Ecclesia recondidit.* Hæc ille. Ad hæc, non tantum Acta Martyrum scribere, sed et cetera quæ ad Ecclesiam pertinerent, eorum muneris fuisse, expressum est in eodem libro de Romanis Pontificibus in Julio. Atqui non solum Romana Ecclesia in perquirendis atque scribendis sanctorum Martyrum Actis sedulam curam impendit, sed et aliæ nobiles Ecclesiæ in iisdem haud segniter laborasse noscuntur. Extant de his clarissima antiquitatis monumenta, ut Smyrnensis Ecclesiæ epistola de Martyribus illic passis sub Marco Aurelio et Lucio Vero Imperatoribus, apud Eusebium, hist. lib. 4. cap. 14 : Viennensis et Lugdunensis Ecclesiarum literæ ab eodem Eusebio ex parte recitatæ, lib. 5. cap. 2. et 3 : Dionysii Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi complures epistolæ ad diversos conscriptæ, apud eumdem Euseb. lib. 6. cap. 33. et 34. lib. 7. cap. 10. Scimus in Ecclesia Carthaginensi sanctum Cyprianum fuisse solicitum, ut dies, quibus Martyres essent martyrio coronati, exacte annotarentur, prout constat ex ejus epistola, quam dedit ad Presbyteros et Diaconos Ecclesiæ Carthaginensis : ponitur ordine 37. edit. Pamel. Quin et longe ante Cypriani tempora, a majoribus eidem rei egregiam constat navatam esse operam. Audi quid de antiquioribus Pontius Diaconus scribat : *Majores nostri*, inquit, *plebeiis et catechumenis martyrium consecutis, tantum honoris pro martyrii ipsius veneratione dederunt, ut de passionibus eorum multa, aut (prope dixerim) pene cuncta conscripserint, ut ad nostram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent.* Hæc in Cypriano Pontius ejus Diaconus. Erant et illa Acta Martyrum pura atque sincera, quæ, cum de illis coram Judicibus quæstio haberetur, a notariis publicis exceptoribus excepta, in Acta publica, quæ Proconsularia sæpe dicta invenimus, inferebantur, atque inter alia publica monumenta asservabantur. Horum extant adhuc nonnulla, eorumque in Notationibus mentionem facimus. Citat aliquando eadem Pontius Diaconus in Cypriano, dum ait : *Et quid Sacerdos Dei, Proconsule interrogante, responderit, taceam : sunt Acta quæ referant.* Hæc ille.

## CAP. II.

### QUÆ DE SANCTORUM HISTORIIS AB HÆRETICIS VEL ALIIS FALSA SCRIPTA SUNT.

Sed quid? Quamvis optimi patresfamilias (ut habet parabola evangelica) bonum semen seminassent in agro, nihilominus inimicus homo, qui fuit homicida ab initio, veritatis adversarius ipse Satan superseminavit zizania : ipsoque pene initio exurgentis Ecclesiæ, falsa veris, inania atque incerta certis, ac solida firmitate constantibus admiscenda curavit : idque non tantum per hæreticos catholicæ fidei perduelles, sed et per Catholicos ipsos, eos tamen, qui quæstum pietatem putarent, vel qui zelum quidem haberent, sed non secundum scientiam. Satis modo sit de his unum tantum in exemplum adducere Asianum Presbyterum, de quo Tertullianus hæc scribit in libro de Baptismo : *Si quæ Pauli perperam scripta legunt, exemplum Theclæ ad licentiam mulierum docendi tingendique defendunt : sciant in Asia Presbyterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum atque confessum id se amore Pauli fecisse, loco excidisse.* Hæc Tertullianus. Inscriptus erat liber ille περίοδος Pauli et Theclæ, continens et baptizati Leonis fabulam, ut testatur sanctus Hieronymus de Scriptor. eccles. in Luca. Ejusdem generis illa erant insomnia, nimirum Circuitus Petri, Circuitus Joannis, Circuitus Thomæ, Actus Andreæ, Actus Joannis, Actus Philippi, Actus Petri, Actus Pauli, Itinerarium Clementis; quæ omnia damnant Athanasius in Synopsi, Philaster de hæresibus, et Gelasius in concilio Romano. Hæc enim et alia hujuscemodi ab hæreticis esse excogitata, certissimum est. Ab Ebione in primis hæc factitata, ab eoque falsa Acta Apostolorum inventa, et Circuitus Petri esse corruptos, et Pauli Acta referta blasphemiis introducta, tradit Epiphanius in Panar. hæres. 30. A Gnosticis de sancta Dei genitrice Maria portentosum librum esse conscriptum, testatur idem Epiphanius in Panar. hæres. 26. Encratitas in medium adduxisse ad stabiliendam suam ipsorum hæresim, Actus Andreæ, Joannis, et Thomæ, et alia hujuscemodi,

idem auctor narrat hæres. 47. Manichæos id generis commenta excogitasse, Apostolorumque nomine conscripsisse falsas historias, fidem facit Augustinus lib. de fide contra Manichæos, aliisque in locis; idemque Philaster, Cyrillus Jerosolymitanus, et alii. Priscillianistas et ipsos, alios adinvenisse Actus Apostolorum, Orosius affirmat in Epist. ad Augustinum de error. Priscill. Exempla alia complura hic omittimus. Sane quidem qui talia præsumpserunt de sanctis Apostolis, nequaquam putandum erga sanctorum Martyrum Acta fuisse modestiores, quæ sic corruperunt, depravaruntque, ut eorumdem quamplurima in suspicionem adduxerint; adeo ut sancta Romana Ecclesia ab illis abstinere consultius aliquando esse putarit. Unde Gelasius in Rom. concilio : *Gesta*, inquit, *sanctorum Martyrum, secundum antiquam consuetudinem, singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur : quia eorum, qui conscripsére, nomina penitus ingnorantur, et ab infidelibus, aut idiotis superflua, et minus apta quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur; sicut cujusdam Quirici et Julittæ, sicut Georgii, aliorumque hujusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ : propter quod (ut dictum est) ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia* non *leguntur.* Hæc Gelasius de Romanæ Ecclesiæ, in recipiendis ac promulgandis Actis Martyrum, disciplina. Ceterum non tantum cautelæ adhibitum in aliis fuisse videtur Ecclesiis : quandoquidem in Ecclesia Africana in sacris conventibus posse legi Acta Martyrum, decretum est in concilio Carthaginensi celebrato post consulatum Stiliconis, anno Domini quadringentesimo primo, ut habet ejus canon 13. his verbis : *Liceat etiam legi passiones Martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.* Hæc canon. Apud Hadrianum Romanum Pontificem in epist. ad Carolum Magnum, hæc in eamdem sententiam leguntur : *Vitæ enim Patrum sine probabilibus auctoribus minime in Ecclesia leguntur: nam ab orthodoxis titulatæ, suscipiuntur et leguntur. Magis autem passiones sanctorum Martyrum sancti canones censuerunt, ut liceat eas etiam in Ecclesia legi, cum anniversarii dies eorum celebrantur.* Hæc ibi. In Ecclesia Gallicana eamdem viguisse de legendis Actis sanctorum Martyrum in Ecclesia consuetudinem, satis significant ea quæ Gregorius Turonensis libro de gloria Martyr. cap. 86. testatur his verbis : *Dies passionis erat Polycarpi Martyris magni, et in Ricomagensi vico civitatis Arvernæ ejus solemnia celebrabantur. Lecta igitur passione cum reliquis lectionibus, quas canon sacerdotalis invexit*, etc. Sed ut de Actis Martyrum per hæreticos depravatis cœptam sequamur narrationem, est de his canon 63. sextæ Synodi his verbis conscriptus : *Quæ a veritatis hostibus falso confictæ sunt Martyrum historiæ, ut Dei Martyres ignominia afficerent, et qui eas audituri essent, ad infidelitatem deducerent; in Ecclesia* non *publicari jubemus, sed eas igni tradi : qui autem eas admittunt, vel tamquam veris his mentem adhibent, anathematizamus.* Hæc sancta Synodus : cujus auctoritate Græci Episcopi exactiorem curam adhibere consueverunt, ut dum suas Ecclesias visitarent, de sanctorum Martyrum Actis conscriptis subtilius inquirerent, unde Theodorus Bals. eo in loco hæc de Nicolao Muzalo Patriarcha testatur : *Cum ille*, inquit, *vitam sanctæ Parasceves, quæ in quodam Callicratiæ vico colebatur, a quodam vicano inepte ac indocte, et sancta angelica vivendi ratione indigne compositam invenisset, eam igni mandari jussit; et Diacono illi Basilico mandavit, Deo gratam et acceptam ejus vitam conscribere.* Hæc ille.

## CAP. III.

### DE IMMENSA JACTURA QUAM PASSA SUNT ACTA SANCTORUM MARTYRUM.

Sed ut de rebus, quæ ad Romanam Ecclesiam spectant, de cujus agimus Martyrologio, cœptum prosequamur institutum; ex his, quæ nuper ex Gelasio recitavimus, satis declarari videtur, Acta illa sanctorum Martyrum tanta cura ac diligentia perquisita, per notarios sanctæ Romanæ Ecclesiæ conscripta, per Subdiaconos et Diaconos cognita, ac demum per ipsos Romanos Pontifices probata atque recondita, esse collapsa, deperdita, vel saltem adulterata. Nam si integra romansissent, qua ratione (quod ait

Gelasius) secundum consuetudinem in Romana Ecclesia non legebantur; cum præsertim, a quibus essent scripta, probata, ac consignata, et unde accepta, sic exploratum esset, ut nullus penitus de eorum integritate dubitandi scrupulus superesset? Fuisse namque depravatas, quæ a majoribus commendatæ essent, res gestas sanctorum Martyrum, Arnobius libro primo adversus Gentes declarat his verbis: *Sed neque hæc omnia conscribi, aut in aures omnium pervenire potuerunt, gesta gentibus in ignotis, et usum nescientibus literarum: aut si qua sunt literis conscriptionibusque mandata, malevolentia dæmonum, quorum cura et studium est hanc intercipere veritatem, et consimilium his hominum, interpolata quædam et addita, partim mutata atque detracta, verbis, syllabis, literis, ut credentium tardarent fidem, et gestorum corrumperent auctoritatem.* Hæc Arnobius. At nequaquam adduci possumus, ut credamus eadem Acta vel omnino esse sublata, vel ab hæreticis penitus adulterata. Romæ siquidem catholici semper vixere Pontifices, nec alterius sectæ illic aliquando sedit Episcopus. Quod si vel sub Constantio Augusto Ariano, vel sub Odoacre Herulo, Theodorico, aliisque Gothorum regibus itidem Arianis, Romanæ Ecclesiæ negotium factum est; non tamen fuit hujusmodi, ut illi Sanctorum memoriis vim inferrent (de Sanctis enim eorumque cultu æque cum catholicis sentiebant) adeo ut nec, cum Urbs obsideretur, his, quæ foris extra mœnia erant, Basilicis irrogarent injuriam; nec, Urbe capta, in eas, quæ intus erant, more barbarorum sævirent, profanarent, vel ad sua Sacra peragenda sibi vindicarent, sed tamquam sacra septa, atque asyla divinitus instituta, ab illis fuerint existimata; adeo ut et iis etiam (licet hostes haberentur) qui ad ea confugissent, pepercerint. Sunt de his fideles testes scriptores illorum temporum, Orosius lib. 7. Augustinus de Civitate Dei, et Procopius de bello Gothico. Unam illam, quam sub Gothis regibus Ariani sibi vindicarunt Ecclesiolam, dictam sanctæ Agathæ in Suburra, vix credi potest quam sumptuose ac pie, licet impii, ornaverint liberalitate Gothi hominis Ricimeri V. C., ut suo loco pluribus in Notationibus dicemus inferius. Omnis ergo suspicio de Arianorum perfidia tollitur, ut ab eis vis aliqua in Acta Martyrum sit illata. Ad alios potius tanta est referenda clades; quam quidem non aliunde manasse credimus, quam ex injustissimis illis atque sævissimis Diocletiani Imperatoris edictis, quibus omnes christianæ religionis codices incendio damnati sunt. Meminit ejusdem feralis sanctionis Eusebius histor. lib. 8. cap. 2. et 3. *Quando* (inquit) *divinas et sanctas Scripturas medio foro in rogum impositas oculis nostri aspeximus.* De eodem edicto plura habet Arnobius, Optatus, et sanctus Augustinus, quoties agit de schismate Donatistarum, occasione traditionis sacrorum librorum conflato: nosque de eodem pluribus inferius in Notationibus agimus. Tunc temporis in tanto christianarum scripturarum naufragio factam esse lacrymabilem illam actorum Martyrum jacturam, nulla est penes nos dubitatio; tuncque sublata illa nobilissima rerum gestarum monumenta, tanto labore collecta, tot cognitoribus comprobata, ac tanto denique studio custodita: vixque ex tam immenso naufragio perpaucas tabulas remansisse putamus; tabulas, inquam; quoniam haud integra atque perfecta et omnibus numeris absoluta illa esse putamus, quæ titulo notariorum Romanæ Ecclesiæ Acta Martyrum a quibusdam edita habentur: cum si vel ad exactam censuram rerum ac temporum ea adducas, vix perpauca reperias, quæ aliqua saltem ex parte non arguantur erroris; ut perinde sit aliqua ex his reperiri, quæ emendatione non indigeant, ut post vindemiam esse solet racemus unus vel alter, et sicut (quod est apud Isaiam capite septimo) excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor, vel quinque in cacuminibus ejus. Poriisse ea funditus numquam dixerimus, sed diminuta. Unde Gregorius Turon. de glor. Martyr. cap. 40. hæc ait: *Multi quidem sunt Martyres apud urbem Romam, quorum historiæ passionum nobis integræ non sunt delatæ.* Hæc ille: qui et inferius cap. 51 et 64. testatur iterum, Acta Gallicanorum Martyrum in Italia a Gallis quæsita, et inventa,

missa esse in Gallias, ut ex his possis intelligere magnum olim a nostris adhibitum esse studium in colligendis Actis sanctorum Martyrum; et qui collegerunt aliarum provinciarum Martyrum commentarios, suorum Acta minime præteriisse. Objiciet fortasse prudens lector : Quidnam causæ fuit, ut, cum edicto Diocletiani Christianorum libri damnati sunt igni; sacræ Scripturæ codices, utriusque Testamenti volumina remanserint illibata : ea etenim integra atque sincera, ut Patres nostri olim ante Diocletiani tempora, possidemus? Ad hæc perfacilis est responsio, si utriusque Scripturæ diversa ratio attendatur. Sacra enim volumina non tantum penes unam vel alteram erant Ecclesiam, sed præter quamplurima illa qui privato usui Episcoporum, Presbyterorum, ceterorumque ministrorum, vel aliorum ex populo inserviebant, apud cunctas orbis Ecclesias ob necessitatem sacrarum functionum custodiri solita, certum est. Esse enim consueverant in Ecclesia duo secretaria, a dextro sinistroque latere apsidis posita, in quorum altero sacra Eucharistia, in altero divinæ Scripturæ sacri codices asservabantur. De utrisque sanctus Paulinus Epist. 12. ad Severum, cum de Nolana a se erecta Basilica agit, meminit his versibus in frontibus eorum affixis : aitque in primis : *In secretariis vero duobus, quæ supra dixi, circa apsidem esse, hi versus indicant officia singulorum.* A dextra apsidis :

*Hic locus est veneranda penus qua conditur, et qua*
*Ponitur alma sacri pompa ministerii.*

A sinistra ejusdem :

*Si quem sancta tenet meditanda in lege voluntas,*
*Hic poterit residens sacris intendere libris.*

Hæc de secretario sacrorum librorum Paulinus; quorum voluminum sicut erat frequentior usus, ita absque dubio numerus multiplicior; atque ob id non mirum, si non omnes simul divinæ Scripturæ codices periere. Non sic quidem de ceteris libris, licet ecclesiasticis, licet pernecessariis : nam immensam raritatem illorum fuisse constat. Exemplo sit vulgatus ille per orbem liber Eusebii Cæsariensis de Temporibus, unicus eo argumento conscriptus, quem Alipius vir eruditus Episcopus Tagastensis in Africa non inventum, a prædicto Paulino apud Nolam commorante quæsivit : qui cum non tantum apud se non haberet, sed nec nomen auctoris agnosceret (appellat enim eum Eusebium Episcopum Constantinopolitanum) Romæ quæsitum, ac tandem apud Domnionem inventum, ad eum misit, ut constat ex epistola ejusdem tunc ad Alipium scripta, apud Augustinum epist. 35. His itaque in exemplum de raritate aliorum librorum adductis, hæc inferimus : Si liber ad supputanda rerum sacrarum tempora, quæ in divina Scriptura continentur, unicus, atque adeo Ecclesiæ pernecessarius, eaque de causa a sancto Hieronymo latinitate donatus, tanto labore quæsitus, vix tandem repertus fuit; quid de scriptis aliis dicendum, quæ alicujus Ecclesiæ viderentur esse peculiaria, quæ nec uno vel parvo codice continebantur, sed permultis, iisdemque prægrandibus, ut par est credere, (Acta enim unius tantum Martyris multas implesse chartas, si accurate scripta essent, certissimum est) quorum nec facilis esset describendi facultas, ut videmus accidere in his quæ in archiviis summa diligentia asservantur; itemque impensæ nimiæ deterrerent, et labor immensus averteret? Quid ergo mirum, si talium perpauca quæ erant exemplaria, tanto terræmotu orbis christiani fuerint obruta, universalique incendio concremata; ita ut ex busto perpaucæ vix reliquiæ superfuerint? At quis numerare sufficiet aliorum ecclesiasticorum librorum funera, qui licet ubique gentium sparsi (ut taceam de aliarum Ecclesiarum peculiaribus Actis Martyrum) tamen eadem sunt conflagratione consumpti? Sed de his hactenus : jam cetera prosequamur.

## CAP. IV.

### DE ANTIQUO CULTU SANCTORUM MARTYRUM, UNDE SCRIBENDI MARTYROLOGIUM MANAVIT OCCASIO.

Sicut olim Romæ notariis de conscribendis sanctorum Martyrum Actis, ita et in aliis Ecclesiis, etiam transmarinis, alicui ex clero negotium fuisse videtur

impositum, qui cujusque Martyris natalem diem (sic enim appellare consueverunt ex hac vita ad cœlum transitum) conscribere, ut per singulos annos, eodem recurrente die, in ejusdem sancti Martyris memoriam Deo offerretur sacrificium. Hoc ipsum est quod Tertullianus, lib. de Corona militis ait : *Pro natalitiis annua die facimus*. Facere enim idem esse penes antiquos, quod sacrificare, opportuniori loco inferius, cum agimus de Pontificis voce, monstramus. Porro illic agi a Tertulliano non de natalitiis more Gentilium, ut perperam interpretatur infelix Rhenanus, sed de die quo sancti Martyres victores in cœlum a Deo recepti sunt; consule in eum locum pientissimi viri Pamelii annotationem. Habes de eodem pristino usu epistolam sancti Cypriani ad Presbyteros et Diaconos Ecclesiæ Carthaginensis, est in edit. Pamel. 37. in qua hæc verba descripta habentur : *Denique et dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus : quamquam Tertullus fidelissimus et devotissimus frater noster pro cetera solicitudine et cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, qui nec illic circa curam corporum deest, scripserit, et scribat, ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, et celebrantur a nobis hic oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiscum, Domino protegente, celebrabimus.* Hæc Cyprianus; qui et ad clerum et plebem scribens, epist. 34. sic in eamdem sententiam : *Sacrificia pro eis semper (ut meministis) offerimus, quoties Martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.* Hæc ille. Quod porro ait, *Sacrificia pro illis offerre* : nemo putet pro peccatis illorum expiandis id fieri solitum; cum omnia mundentur in sanguine : *Majoremque* (teste ipsomet Domino) *hac charitatem nemo habeat, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Si enim flenti mulieri peccatrici dimissa sunt, ex sententia Salvatoris, peccata multa, quoniam dilexit multum; quis dicere audeat, post imbrem sanguinis, consummato martyrio, adhuc superesse expiandas sordes? Sed sic accipiendum, *Sacrificia pro eis offerre*, ac si diceret, in eorum commemorationem illud facere, prout ea, quæ ponuntur inferius, verba declarant, et quæ ex dicta epist. 37. ex eodem auctore superius recitavimus. Unde sanctus Augustinus tract. 48. in Joannem hæc habet : *Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus; sed magis ut orent ipsi pro nobis, et eorum vestigiis inhæreamus.* Hæc ibi. Et de verbis Apost. Serm. 17. cap. 1. in eamdem sententiam sic ait : *Habet ecclesiastica disciplina (quod fideles norunt) cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ibi non pro ipsis oretur : pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare.* Hæc Augustinus : ex quibus omnibus dilucidius intelligere potes, quid sit offerre pro Martyre. Si hæc uberius cupis, consule in citata loca Tertulliani ac Cypriani notationes Pamelii. Recitabantur post Apostolos nomina sanctorum Martyrum, prout etiam docet sacræ Missæ Canon, qui habet : *Communicantes, et memoriam venerantes in primis, etc.* Recitabantur ex scripto secundum prærogativam status, et meritorum, nec tantum nomina Martyrum, sed et aliorum Sanctorum. Unde et Augustinus lib. de sancta virginit. cap. 45. hæc ait : *Perhibet ecclesiastica auctoritas, in qua fidelibus notum est, quo loco Martyres, et quo loco defunctæ Sanctimoniales recitantur.* Hæc illo. Ex prædicta igitur nota dierum natalium sanctorum Martyrum pro commemorationibus faciendis, Martyrologii conscribendi provenit occasio; cum etenim frequens esset Martyrum numerus (decem enim illis, quas numerant, persecutionibus in unaquaque provincia necatos fuisse quamplurimos, nemo poterit dubitare) atque in chartis Ecclesiæ singulorum nomina, et dies quibus martyrium consummassent, notata haberentur : ex iisdem ecclesiasticis monumentis pridie dici natalis (ut hodie fit in Martyrologio) annuntiabantur nomina in Ecclesia, quorum natalitia recensenda essent die sequenti, eorumdemque una cum Sacrificio foret comme-

moratio facienda. Ejusmodi ecclesiasticas tabulas, quibus singulorum Martyrum natalitia conscripta haberentur, a Tertulliano Fastos fuisse appellatas, optime eruditeque notat Pamelius in dicta epist. 37. Cypriani. Ille enim in libro de Corona milit. hæc ait : *Habes tuos census, tuos Fastos; nihil tibi cum gaudiis sæculi, etc.* Hæc Tertullianus. Idcirco, quod in dictis sanctorum Martyrum natalitiis solebant Christiani mutua inter se charitate gaudere, quando et convivium, quod Agapen dicebant, celebrare in ipsa memoria, in Ecclesia inquam Martyris, consueverant : licet, quod ad locum spectat, usum illum concilium Laodicenum can. 38. restrinxerit. Reperimus apud Gregorium Nazianzenum in carm. de vitæ differentiis, ejusmodi Agapas dici alio nomine Sacrum epulum natalitium. Idemque in orat. in laud. Cypriani hæc de commemoratione Martyrum : *Omnium quidem Martyrum memoria læta solemnitate colenda est.* In eamdem sententiam Theodoretus de evangel. verit. cognit. lib. 8. qui de Martyribus inscribitur, in fine hæc ait : *Illos* (deos Gentium scilicet) *cassos gloria, vanosque Deus reddidit, suis autem Martyribus honorem illorum dedit : pro Pandiis, Dasiisque, ac Dionysiis, hoc est, Jovis, Liberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliisque sanctis Martyribus solemnitates populari epulo peraguntur : proque illa veteri pompa, pro turpi obscœnitate et impudentia, fiunt modestæ, castæ, ac temperantiæ plenæ festivitates, non illæ quidem mero delibutæ, non comessationibus leves, non cachinnis solutæ, sed divinis canticis personantes, sacris sermonibus audiendis intentæ, quibus ad Deum preces* non *sine sanctis lacrymis, et suspiriis submittuntur.* Hæc ille. Similiter Gregorius Nyssenus in vita magni illius Gregorii cognomento Thaumaturgi, qui vixit temporibus Decii, hæc de populari lætitia in natalitiis Martyrum ab illo instituta : *Descendit,* inquit, *rursus in urbem, et omni circa regione undique peragrata ac perlustrata, additamentum et quasi corollarium studii sui erga Numen divinum instituebat; apud omnes ubique populos sanciens, ut nomine eorum qui pro fide certassent, dies festi, atque solemnes conventus celebrarentur : cumque alii in alium locum corpora Martyrum deduxissent, per anniversarii circuli ambitum congregati lætabantur, in honorem Martyrum ferias agentes, etc.* Et paulo inferius : *Cum animadvertisset enim quod propter corporis voluptates simplex et imperitum vulgus in errore simulacrorum cultus permaneret, quo maxime id quod præcipuum est, interim in eis assequeretur; nempe ut vanis superstitionibus relictis, ad Deum converterentur; permisit, ut in memoriam Sanctorum sese exhilararent et oblectarent, atque in lætitiam effunderentur.* Hæc Nyssenus de translat. Sifan. Quæ cuncta voluimus recitasse ob exactam prædictæ Tertulliani sententiæ explicationem, quod scilicet Christiani suos haberent census et Fastos; nec esse videlicet, quod vana illorum gaudia inviderent : per Fastos nimirum intelligentis ecclesiasticas tabulas, in quibus Christianorum solemnitates, ipsaque natalitia Martyrum certis diebus notata haberentur, e quibus (ut diximus) Martyrologii conscribendi profluxit origo. Hæc de his satis. At antiquitas veneranda, et ab Apostolis manans, semperque servata atque propagata traditio non tantum egit, ut anniversaria celebritate sanctorum Martyrum commemoratio ageretur, sed etiam ut in ipsorum honorem memoriæ passim erigerentur : eo quippe nomine a majoribus nominatæ sunt Ecclesiæ, quæ in honorem sanctorum Martyrum Deo consecrarentur, ut sanctus Augustinus testatur de Civitate Dei lib. 22. cap. 10. Qui quidem laudabilis usus Apostolorum temporibus (ut dictum est) visus est duxisse principium, ea nimirum occasione, quod veneranda Martyrum corpora sub altare recondi consueverint, secundum illud Joannis Apocalyp. cap. 6. (ut omnes præsertim antiquiores declarant interpretes) *Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant.* Cumque ipsa altaria sepulchra esse Martyrum viderentur, ac subinde eadem præclara memoria Martyrum haberentur; quæ eadem ex causa superædificarentur Ecclesiæ, æque Martyrum memoriæ dicebantur. Accidit insuper, ut pium ardensque fidelium in Martyres

studium non satis esse putaret, si unius vel alterius Martyris in uno tantum loco esset memoria collocata, sed plures optaret. Quamobrem factum est, ut non sine reliquiis ejusdem Martyris, in ejus honorem altare erigere, et memoriam superstruere liceret, id legibus ecclesiasticis prohibentibus, concil. African. cap. 50. Quamobrem cum ex corpore Martyris sumptæ reliquiæ in pluribus altaribus collocarentur; id effecerunt, ut plura unius ejusdem Martyris sepulchra atque memoriæ dicerentur, proque numero altarium, sepulchrorum numerus augeretur. Sed ex his ansam calumniandi nacti sunt novatores, ut sicut stulte, ita et temere dicerent, Catholicos quibusdam illusisse præstigiis, ut frequenter unius Martyris corpus diversis in locis traderent situm esse : ignorantes vel nescire dissimulantes, nos non dicere in diversis sepulchris unum idemque integrum esse corpus, sed in singulis (ut dictum est) sepulchris unius Martyris conservari reliquias, ac proinde eidem honorem eumdem impendi, ac si integrum esset corpus. Nam sententia Gregorii Nazianzeni est in oratione prima in Julianum, easdem præstare virtutes quaslibet Martyris sanguinis guttas et exigua passionis signa, quas integra corpora : ac proinde non esse indecens, ut unius Martyris plura erecta appareant monumenta : cum alioqui (nisi lex christiana prohiberet) nec indecens videri posset, etiam sine ipsorum reliquiis eisdem excitari memorias, utpote testes eorum virtutis egregiæ, et beneficiorum eorumdem ope consecutorum. Nam (si licet ad sacra profanum exemplum adducere) de multis Æneæ et aliorum sepulchris Dionysius Halicarnassæus hanc ipsam affert rationem lib. 1. Hist. Rom. sic dicens : *Quod si quem perplexum facit, quod Æneæ sepulchra monstrentur in multis locis, nec possit nisi in uno esse conditus; cogitet hanc dubitationem esse vulgarem, et intelligat, quod quamvis unicus locus capiat corpora talium, apud multos tamen monumenta eis facta sunt in gratiam acceptæ utilitatis cujuspiam.* Hæc ille. At de cura sacrarum reliquiarum sanctorum Martyrum agemus in fine hujus de Martyrologio scriptionis.

## CAP. V.

### A QUIBUS PRIMUM SCRIPTA SINT MARTYROLOGIA.

Primus omnium qui scribendo Martyrologio operam dedit, ab omnibus prædicatur Eusebius Pamphili, Episcopus Cæsariensis : id etenim in primis testatum habetur in epistola, quæ fertur nomine sancti Hieronymi ad Heliodorum, de cujus fide inferius disputabimus; id profitetur Beda in retract. in Act. Apost. cap. 1. Hoc ipsum etiam Walfridus Strabo lib. de reb. eccles. cap. 28. in fine. Id denique recentiores omnes, ac novissime Molanus in libello quem scripsit de Martyrologiis cap. 2. Post Eusebium, id ipsum præstitisse sanctum Hieronymum, iidem omnes affirmant; non quod ipse auctor illius fuerit, sed quod Martyrologium ab Eusebio Græce scriptum, a se translatum Latinis tradiderit. Id enim Beda ubi supra his verbis : *Adstipulatur*, inquit, *et liber Martyrologii, qui beati Hieronymi nomine ac præfatione attitulatur : quamvis idem Hieronymus illius libri non auctor, sed interpres, Eusebius autem auctor extitisse narretur.* Hæc Beda. Walfridus item in eamdem sententiam hæc ait : *Hieronymus Martyrologium, secutus Eusebium Cæsariensem, per anni circulum conscripsit; ea occasione ab Episcopis Chromatio et Heliodoro illud opus rogatus componere, quia Theodosius religiosus Imperator in concilio Episcoporum laudavit Gregorium Cordubensem Episcopum, quod omni die Missas explicans, eorum Martyrum, quorum natalitia essent, nomina plurima commemoraret.* Hactenus ille : nec aliunde, quam ex dictis Epistolis, quæ in hanc diem editis Martyrologiis præfigi consueverunt, quas et nos (quo de rei veritate exactior certiorque cognitio habeatur) suis titulis hic describimus : sunt autem hujusmodi.

### EPISTOLA CHROMATII ET HELIODORI EPISCOPORUM AD BEATUM HIERONYMUM, DE OPERE MARTYROLOGII COLLIGENDO.

*Domino sancto Patri Hieronymo, Chromatius et Heliodorus Episcopi, in Domino salutem.*

Cum religiosissimus Augustus Theodosius Mediolani urbem esset ingressus,

universosque Italiæ Episcopos ad se invitasset; et ob causam aliquantulorum Episcoporum, qui ex Ariana fæce suas animas inquinassent, inquireret; contigit et nostram parvitatem in eodem adesse concilio. In quo, cum dicenda dicta essent, et definienda definita, cœpit christianissimus Princeps sanctum Gregorium Cordubensis Ecclesiæ in eo præferre Antistitem, quod omni die, sive non jejunans, matutinas; sive jejunans, vespertinas explicans Missas, eorum Martyrum, quorum natalitia essent, plurima nomina memoraret. Factumque est, ut omnes statueremus ad tuam scribere charitatem, ut famosissimos Feriales de archivio sancti Eusebii Cæsareæ Palæstinæ Episcopi inquirens, Martyrum ad nos dirigas festa: ut possimus hoc officium per tuam sanctam industriam melius perfectiusque ad honorem Dei Martyribus exhibere. *Hactenus illi.*

*Sequitur Hieronymi nomine epistola, hujusmodi inscriptionis titulo consignata :*

BEATI HIERONYMI SUPER EO IPSO AD EOSDEM RESPONSIO.

*Chromatio et Heliodoro sanctis Episcopis, Hieronymus Presbyter.*

Constat Dominum nostrum Jesum Christum omni die Martyrum suorum triumphos excipere, quorum passiones a sancto Eusebio Cæsariensi Episcopo scriptas reperimus. Nam Constantinus Augustus, cum Cæsaream fuisset ingressus, et diceret memorato Antistiti, ut peteret aliqua beneficia Cæsariensi Ecclesiæ profutura; legitur respondisse Eusebium : *Opibus suis Ecclesiam ditatam, nulla petendi beneficia necessitate compelli, sibi tamen desiderium immobile extitisse, ut quidquid in Republica Romana gestum sit erga Sanctos Dei, judices judicibus succedentes in universo orbe Romano, solicita perscrutatione monumenta publica discutiendo, perquirerent; et qui Martyrum, a quo judice, in qua provincia vel civitate, qua die, quave perseverantia, passionis suæ obtinuerunt palmam, de ipsis archiviis sublata, ipsi Eusebio, regio jussu dirigerent.* Unde factum est, ut idoneus relator existens, et ecclesiasticam historiam texeret, et omnium pene Martyrum provinciarum omnium Romanarum trophæa diligens historiographus declararet; quatenus omni die sacrificium Deo offerentes, eorum nomina meminissent : studentes, qui die ipso, quo sacrificium offerretur, victores diaboli extitissent, et martyrii sui triumpho pollentes atque ovantes ad Regem suum pervenissent Christum. Hac de causa singulorum mensium, singulorumque dierum festa conscripsimus, ut jubere dignabimini, perennem nostræ parvitatis memoriam fore credentes, cum diebus omnibus per tot annorum spatia sancta Sanctorum nomina fuerint festive celebrata. Et quoniam per singulos dies, diversarum provinciarum, diversarumque urbium plusquam octingentorum et nongentorum Martyrum sunt nomina nominata : ut nullus dies sit, qui non intra quingentorum numerum reperiri possit adscriptus, excepto die Kalendarum Januariarum : considerans inter innumerabiles turbas, lectoris animum intra unum mensem posse lassescere : no id eveniat, breviter et succincte eorum qui sunt in amplissima festivitate in suis locis tantum præ omnibus memoratus sum : ut amputato fastidio, unus de omnibus sufficiat libellus adscriptus. Sane in prima parte libelli, omnium beatorum Apostolorum festa conscripsimus, ut dies varii non videantur dividere, quos una dignitas Apostolatus in cœlesti gloria fecit esse sublimes.

Hucusque Epistola Hieronymi nomine scripta : cui quidem primo aspectu adstipulari videtur et Cassiodorus, omnibus prædictis auctoribus antiquior; in libro enim de Institut. divinarum lect. cap. 32. hæc ait : *Et ideo futuræ beatitudinis memores, vitas Patrum, confessiones Fidelium, passiones Martyrum legite constanter, quas, inter alia, in epistola sancti Hieronymi ad Chromatium et Heliodorum destinata proculdubio reperitis, qui per totum orbem terrarum floruere : ut sancta imitatio vos provocans, ad cœlestia regna perducat.* Hæc ille. Joannes Molanus, vir quidem pius et eruditus, in sua tractatione, quam scripsit de Martyrologiis,

quamque auctam posuit in appendice sui Usuardi secundo editi; sicut prædictas nuper recitatas epistolas non esse memoratorum Antistitum, nec Hieronymi putat, sed illorum nomine esse suppositas; ita nec Cassiodorum de prædicta Hieronymi nomine scripta epistola existimat intellexisse. Certe quidem Molani sententiæ haud invitus adstipulor: sed quoniam prædictæ epistolæ jam antiquitus videntur receptæ, ac pene temporum diuturnitate præscriptæ, habentque gravem assertorem Walfridum Strabonem, quem ante annos octingentos claruisse constat, cujus de prædictis epistolis grave testimonium recitavimus: non perfunctorie tanta res tractanda videtur, sed de illarum fide accuratius agendum, ac solicitius perscrutandum; ipsasque ad lapidem Lydium, ad ipsam, inquam, rerum ac temporum exactam historicam rationem afferre atque conferre, operæ pretium fuerit; ut quid verum, quidve adulterinum sit, perfacile dignosci queat. Agemus ergo de singulis, ac in primis, quidnam qualeve fuerit Eusebii, quod dicunt, Martyrologium; simulque tractabimus de Hieronymi versione, ac denique de fide prædictarum epistolarum.

## CAP. VI.

### DE EUSEBII LIBRO DE MARTYRIBUS, AC VERSIONE HIERONYMI.

Errare omnino certum est, qui existimarunt Eusebii librum de Martyribus non alium fuisse, quam compendiosam omnium sanctorum Martyrum collectionem, ea brevitate contextam, qua Martyrologia noscuntur esse conscripta; hacque de causa illum ab eo scriptum librum de Martyribus, esse a pluribus Martyrologium appellatum. Sed quam mendaciter hæc dicantur, non aliunde, nec ab alio, quam ab ipsomet libri auctore Eusebio testimonium petamus. Ipse enim in suis Historiarum libris de eo frequentius meminit, et qualis fuerit, non obscure describit. Ac primum quidem lib. 4. cap. 14. cum agit de Pionio Martyre perillustri, hæc ait: *Qualem denique, et quam insignem mortem, præter alias omnes res ab eo tanta cum admiratione gestas, subiverit, eos quibus libitum est cognoscere, ad libellum a nobis de veterum Sanctorum martyriis in unum redactis editum, qui quidem omnia facta illius plenissime complectitur, amandamus.* Idem lib. 5. cap. 1. de eodem commentario agit his verbis: *Tota illa epistola*, scilicet Lugdunensis Ecclesiæ, *quæ accuratissimam istarum rerum explanationem complectitur, in libro de Martyribus a nobis composito, qui non solum veram rerum gestarum narrationem, sed etiam illustria virtutum exempla, ad vitam pie degendam accommodata, continet, posita est: tamen quæcumque ad hoc institutum spectare videantur, ea in præsentia ex eodem repetens, in hunc historiæ nostræ locum colligabo.* Et inferius eodem lib. cap. 4. in hunc modum: *Perfacile* (inquit) *si cui visum fuerit, licet ista plenissime cognoscere: modo illam epistolam, quam in libro nostro de Martyribus* (*ut dictum est*) *posuimus, accurate voluerit evolvere.* Hæc ille. Ex quibus plane colligitur, tantum abesse, ut illo Eusebii liber de Martyribus fuerit ex Actis Martyrum in compendium redacta narratio; ut potius, respectu prolixitatis ejus, ipsi ejusdem auctoris Historiarum libri videantur fuisse in his, quæ ad Martyres spectant, illius epitome. Sed audiamus cetera, quibus eadem certiora redduntur. Idem Eusebius eodem lib. 5. cap. 20. cum agit de Apollonio senatore Martyre, hæc habet ad calcem: *Istius vero coram judice verba, et responsa quæ ad Perennii judicis rogata dabat, et orationem apologeticam apud senatum habitam, si cui libitum fuerit accurate cognoscere, ex libro nostro, quem de veteribus Martyribus composuimus, manifesto intelliget.* Hactenus de eo libro Eusebius. Quantum ergo putandum est illud fuisse volumen, quod non tantum ipsa Acta Martyrum, rogata, et responsa, ac cetera ad eorum martyrium spectantia continebat, sed etiam ipsorum apologias, etsi non aliorum, certe Apollonii, descriptas habebat? De Apollonio verba faciens sanctus Hieronymus, lib. de Script. ecclesiast. hæc ait: *Impetrato ut rationem fidei suæ redderet, insigne volumen composuit, quod in senatu legit, etc.* Ex his

itaque plus satis conspicue potest intelligi, qualis quantusque fuerit Eusebii de Martyribus liber. Quibus quidem in primis erroris redarguuntur, qui putarunt illum non aliud fuisse, quam breve Martyrologium, idemque a sancto Hieronymo in Latinum conversum, latinis Ecclesiis legendum traditum. Rursum ex ipsis impostura detegitur ejus epistolæ, quæ Hieronymi nomine scripta, superius est recitata, qua dicitur Eusebius opera Constantini Imperatoris collegisse totius christiani orbis Martyres, eoque libro illorum certamina conscripsisse. Quonam pacto, quæso, unus liber, volumen unum, tot Martyrum Acta continere valuisset, ad quorum tantum nomina recensenda vix sufficere potuisset? Equidem, si tam prolixe, ut fecit in aliis, totius Ecclesiæ catholicæ ab ipso scribendæ fuissent res gestæ sanctorum Martyrum; non unus liber, non centum (audacter dicam) non denique mille fuissent satis: imo usurpare liceat et illam evangelicam hyperbolem, nec ipsum mundum capere potuisse eos, qui de ea re scribendi fuissent libros. Quod autem ad Hieronymum spectat; nequaquam cum illis dixerimus, ipsum in Latinum transtulisse librum illum Eusebii de Martyribus. Qui enim fieri potuit, ut una epistola, quam de ea re conscripsisse testatur Cassiodorus, prægrande volumen comprehendere potuisset? Quin potius existimandum est, Hieronymum brevi summa librum illum Eusebii in compendium redegisse, ipsumque opus postea Martyrologium esse dictum, ac Hieronymi nomine nuncupatum. Hæc autem etsi satis esse videantur ad prædictarum literarum imposturam arguendam: tamen quo nullus remaneat dubitandi locus, et cuncta sint toto cœlo lucis veritate perspicua, ago de rebus singulis in eis contentis paulo fusius disseramus.

## CAP. VII.

DE FIDE EPISTOLARUM, QUÆ CHROMATII, HELIODORI, ET HIERONYMI NOMINE INSCRIPTÆ SUNT.

Quod pertinet ad epistolam Chromatii et Heliodori Episcoporum nomine ad Hieronymum scriptam, in primis ex ejusdem inscriptione imposturam facile deteges, si illorum temporum loquendi generis habueris rationem: dum in ea prædicti Episcopi, imo ipsa Synodus (Synodi enim, quam prætexunt, nomine scribere profitentur) ipsum Hieronymum presbyterum appellant Patrem; cujus quidem nomenclaturæ nullum prorsus penes illorum temporum scriptores exemplum invenies, ut in inscriptione literarum Episcopi, vel ipsa Synodus presbyterum cujusvis meriti dicant Patrem, cum alioqui et amplissimarum sedium Episcopos et Patriarchas nonnisi fratres consueverint appellare. Habetur mentio in eadem epistola de quodam concilio ex totius Italiæ Episcopis Mediolani Theodosio Imperatore præsente coacto: verum istud commentum esse, non dubites; qui enim fieri potuit, ut tam celebris Synodus sic o scriptorum monumentis exciderit, sic silentio fuerit obvoluta, ut nullus illorum temporum scriptorum, quorum sano baud exiguus fuit numerus, nec nomine tenus ejus meminerit? sed hæc manifestiora reddentur, si lucubrationum Hieronymi temporis exacta ratio habeatur. Quando, rogo, volunt illam Synodum coram Theodosio Mediolani congregatam? num cum primum, adversus Maximum tyrannum pugnaturus, Constantinopoli anno decimo sui imperii in Italiam venit? certe id dici non posse, quæ sanctus Hieronymus scribit, vehementer repugnant: dum enim in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, ad calcem eunctas, quas hactenus usque ad annum decimum quartum ejusdem Theodosii Imperatoris elaborasset, lucubrationes recenset, nec verbum quidem de conscripto, vel a se translato libro illo de Martyribus habet, quem statim post illam Synodum scriptum esse illæ ipsæ recitatæ epistolæ indicant: ex quibus satis apparet, dictam Synodum commentitiam, ad primum Theodosii Mediolanum adventum non posse referri. Quod si ad secundum adventum ejus (bis tantum post adeptum imperium in Italiam venisse certum est) quando iterum ad expugnandum Eugenium tyrannum ex Oriente in Italiam descendit, eamdem Synodum Mediolani celebratam esse dixerint; certe

ratio temporum contradicit. Descendit Theodosius in Italiam cum exercitu anno decimosexto, eodemque ultimo sui imperii; decernensque cum Eugenio, sexta die Septembris illum obtinuit; inde Mediolanum se contulit : quæ autem tunc ab eo illic sunt facta usque ad diem *xvij.* Januarii, qua ex hac vita migravit, Ambrosius ea oratione quam habuit in ejus funere, et alii illorum temporum scriptores exacte describunt : adeo ut nullum ejusmodi cogendi concilii reliquum fuisse tempus appareat. Ex his itaque totum commentum de litteris ex prædicta Synodo datis, aliisque rebus quæ iisdem continentur epistolis, plane clara luce detegitur : ut quod in illis habetur de Gregorio Episcopo Cordubensi matutinas ac vespertinas Missas agente : Augustinus etenim, qui iisdem temporibus vixit, id tantum quinta feria majoris Hebdomadæ in Cœna Domini in Ecclesia catholica fieri consuevisse, testari videtur, scribens ad Januarium epist. 118. cap. 5. Licet sciamus olim temporibus Cypriani, matutinum ac vespertinum sacrificium in Africa offerri in usu fuisse, ut idem Cypr. testatur ad Cæcilium scribens epist. 63. edit. Pam. quem morem apud Ægyptios tantum perseverasse, auctor est Sozom. hist. lib. 7. cap. 19. Quamvis etiam sciamus, in concilio Agathensi secundum recentiorum lectionem haberi mentionem de Missis matutinis et vespertinis, et ex eo, can. 13. dist. 15. Sed in hæc non obnitimur, cum sciamus ecclesiasticorum rituum diversam fuisse diversarum Ecclesiarum consuetudinem. Deprehenditur et in eo de Gregorio impostura, dum dicitur, ipsum etiam jejunii tempore celebrasse natalitia Martyrum : diversam quippe ab his fuisse Ecclesiæ consuetudinem, testantur antiqui canones, ut concil. Laodic. cap. 51. apud Mart. collect. cap. 48. et 33, quæst. 1. *Non licet in Quadrag.* Quod insuper, tam in dicta Episcoporum epistola, quam in ea quæ ad eosdem Hieronymi nomine reddita habetur, Eusebius Episcopus Cæsareæ sanctitatis elogio commendatur, pro monstro quidem habetur. Etenim etsi olim sanctitatis titulus communior esse videretur, ut non solum (ut hodie) illis tribueretur Christianis, qui vita functi in cœlo regnant cum Christo, sed et quibuscumque laudabilioris vitæ fidelibus : datum tamen aliquando homini hæretico, nemo dicere jure poterit. At vero quibus titulis idem Hieronymus Eusebium ipsum nominare consueverit, ab ipso audiamus : qui ad Pammachium scribens epist. 65. hæc de eo : *Impietatis Arii apertissimus propugnator est, etc.* In fine etiam plura habet in eamdem sententiam. In Apologia adversus Rufin. lib. 1. hæc de eodem : *Eusebius Episcopus Cæsariensis, Arianæ quondam signifer factionis.* Et lib. 2. eumdem principem Arianorum appellat. Idem ad Ctesiphontem agens de scriptis ipsius : *Eum* (inquit) *fuisse Arianum, nemo est qui nesciat.* Et ad Minerium epist. 152. ipsum errasse in dogmatum veritate aperte testatur. Ecce tibi quibus titulis, et quam diversis a præconio sanctitatis, Eusebius a Hieronymo nuncupetur : ut ex his saltem liquido cognoscas, alium longe diversum a Hieronymo fuisse epistolæ illius auctorem : quem (etsi aliud non esset, ac cetera de eodem consentirent) ab eo esse longe diversum, ex dicendi stylo, non est qui eam epistolam legens, facillime non cognoscat. Hæc de verbis. Quod si res ipsas in ea conscriptas disquiras, magis magisque imposturam intelliges. Si enim vera sunt, quæ inter Constantinum Augustum et Eusebium acta idem auctor enarrat ; quæ tanta modestia in Eusebio, qui suarum laudum egregius prædicator semper est visus, ut illa silentio præterierit, cum eadem sæpius repetendi, quoties agit de libro a se de Martyribus scripto, opportuna se daret occasio ? Consuevit enim ipse res a se cum Constantino gestas narrare, extollere, easdemque sæpius inculcare, ut de vita Constantini lib. 2. c. 44. et 45. lib. 3. c. 57. 58. 59. et 60. et lib. 4. c. 33. 34. 35. Quod demum auctor (quisquis ille fuerit) in eadem epistola excipit de Kalend. Jan. quasi ea die nullus passus sit Martyr, quam mendax ac frivola ea sit de Kalendis exceptio, consulo quæ inferius notantur die 1. Januar. B. Hæc jam satis (etsi alia quoque superessent) ad coarguendam prædictarum epistolarum falsitatem sufficere existimamus.

## CAP. VIII.

### DE ANTIQUO MARTYROLOGIO ROMANO SÆPIUS AUCTO.

Putarunt nonnulli (ut vidimus) primum omnium Martyrologii scriptorem Eusebium fuisse : quem quidem nec Martyrologium scripsisse, ex ejusdem auctoris sæpe iterata atque testata sententia superius demonstravimus : ab ipso enim Acta sanctorum Martyrum copiosissime fuisse conscripta, et non compendiosam de illis narrationem, ut communi loquendi usu Martyrologium dici possit, satis est superius declaratum. Quod si ob id tantum, quod scripserit res gestas Martyrum, Martyrologii auctor dicendus est; cur non potius eadem ex causa in eo genere S. R. E. Protonotariis primæ sunt deferendæ, iidemque dicendi, conscribendi Martyrologii primi auctores? Ipsi enim (ut in nostræ narrationis exordio dictum est) initio nascentis Ecclesiæ sub Clemente Romano Pontifice id locupletius ac diligentius præstiterunt : quorum etsi exciderint commentarii, nomina saltem Martyrum, quæ in Romano Martyrologio hactenus recensita reperiuntur, integra remansisse, nemo negarit. Unde merito jureque dicere possimus, non a Hieronymo, non ab Eusebio, sed ab ipsis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Protonotariis, jam inde a temporibus S. Clementis Papæ, Romanum Martyrologium originem ducere, et initium auspicari; quod diversis temporibus (ut auctus est subinde Martyrum atque aliorum Sanctorum numerus) incrementum accepit; ac in primis ex scriptione illa Hieronymi, quam Cassiodorus ubi supra cap. 32. appellat epistolam, perbrevem certe fuisse libellum, Usuardus in sui Martyrologii præfatione testatur : putamus etenim, etsi non antea, tunc saltem Orientalis Ecclesiæ Martyres eidem accessisse : quos enim ex Eusebio Martyres Hieronymus summatim collegit, majori ex parte fuisse Orientalis Ecclesiæ, facile potest intelligi. Quidnam vero, qualeve fuerit Martyrologium Romanum sic auctum, S. Gregorius Papa scribens ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, epist. 29. lib. 7. Ind. 1. exactam in hæc verba reddidit rationem : *Nos* (inquit) *pene omnium Martyrum, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus; non tamen eodem volumine, quis, qualiter sit passus, indicatur; sed tantum locus et dies passionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diversis terris, atque provinciis per dies (ut prædixi) singulos cognoscantur martyrio coronati. Sed hæc habere vos beatissimos, credimus.* Hactenus Gregorius; qui, dum ait se existimare eamdem collectionem Martyrum, quam nos Martyrologium dicimus, æque ac Romæ reperiri apud Eulogium Episcopum Alexandrinum, et alios collegas, satis insinuare videtur, fuisse in universali Ecclesia, hac etiam ex parte, declaratam communionem Sanctorum, ut quos Romana coleret, eosdem et ceteræ longe positæ venerarentur Ecclesiæ. Hoc ipsum simplex absque alio additamento Romanum Martyrologium, idemque perbreve, in quo tantum nomina Martyrum, locus ac dies passionis positi haberentur, est illud ipsum cujus meminit Ado in sui Martyrologii præfatione his verbis : *Huic operi, ut dies Martyrum verissime notarentur, qui confusi in Kalendariis satis inveniri solent, adjuvit nos venerabile et perantiquum Martyrologium ab urbe Aquileja cuidam sancto Episcopo a Pontifice Romano directum, et mihi postmodum a quodam religioso fratre aliquot diebus præstitum : quod ego diligenti cura transcriptum, positus apud Ravennam, in capite hujus operis ponendum putavi.* Hæc Ado. Porro in omnibus quæ viderim Martyrologiis Adonis impressis, illud ipsum Roma acceptum desideratur. Egregiam certe, ac viris eruditis dignam optatamque navasset operam Mosander, si ejusmodi illustre vetustatis monumentum, quod in suo manuscripto Adone haberi testatur, una cum ipso Martyrologio Adonis, quod post Surium ad septimum tomum vitarum Sanctorum adjecit, edidisset. Cæterum post hæc, Romani Martyrologii diversa esse cœperunt exemplaria : quorum alia absque additamento, in eadem, qua sunt scripta, simplicitate remanserunt; alia autem alias ac diversas in dies accessiones acceperunt; ac in

primis, ut non tantum (quod habet Gregorius) ipsa nomina Martyrum, diem, locaque passionum contineret; sed (quod desiderari videbatur) quid quis sit passus, sæpe perbreviter narraretur; auctumque insuper est Sanctorum numero, aliis superadditis Martyribus et Confessoribus, cum diversarum Ecclesiarum particulares Martyres, quorum annua celebritate natalitia agerentur, Martyrologio illi antiquo conjungerentur. Cum autem non æque omnes ab omnibus adderentur Ecclesiis (de omnibus enim omnium Ecclesiarum Martyribus simul agere, visum est nimis prolixum atque laboriosum) inde accidit, ut quot essent Ecclesiæ, totidem fere haberentur Romani Martyrologii exemplaria, eademque inter se diversa. Nam (quod satis sit in exemplum adduxisse) exempla Principis Apostolorum in Vaticano, diverso a ceteris Urbis Ecclesiis, prædicta ex causa, utebatur Martyrologio, quod manuscriptum in ejusdem Ecclesiæ bibliotheca hactenus asservatur. Verum cum non tantum essent inter se diversa, sed mirum in modum depravata; optime consultum est, ut sicut catholicæ fidei unitate omnes Ecclesiæ unum corpus sunt in Christo sub uno visibili Capite coagmentatæ; ita etiam uno eodemque emendato, ex aliisque aucto utentes Martyrologio, eadem communione Sanctorum, uno eodemque ritu, atque uno spiritu pariter omnes in Sanctis suis Deum collaudarent. Scimus, in eo restituendo, piorum ac eruditorum virorum sudasse ingenia; summaque adhibita diligentia, antiquorum multiplicium exemplarium collatione, qui irrepsissent errores, ac menda esse emaculata atque purgata; ita tamen, ut ab illo antiquo simplici ac minus affectato dicendi genere, quantum licuit, recedere non placuerit. Tantum enim venerandæ antiquitati noveris esse tributum, ut non verba, sed errores displicuisse cognoscas. Habentur in eo ex omnibus christiani orbis provinciis collecti Martyres. Ipsa etenim Romana Ecclesia, quæ apostolica auctoritate ceteris præest, et materna charitate fideles omnes suos filios esse novit, non tantum Romæ passos Martyres censuit esse suos, sed omnes ubique gentium se cum dolore peperisse congaudens, materno fovet amplexu; et quos scit coronis triumphalibus auctos, in cœlesti gloria collocatos, debito religionis obsequio veneratur. Verum non datur singillatim singulorum nomina recensere : tum quod (ut ait sanctus Gregorius, homil. 27. in Evangel.) ipsi sancti Martyres Deo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt; quia quot sint, a nobis comprehendi non possunt : novit enim eos tantum ille, *Qui* (ut habet Psal. 146.) *numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat* : tum etiam quod ex instituto antiqui ritus Ecclesiæ, brevitati esset consulendum. Nec est præterea, quod quis miretur, si in eodem ipso, de quo agimus, Romano Martyrologio, clarissimos illos Martyres videat prætermissos, quos nostro seculo, ob tuendam propagandamque catholicam fidem, pœnas atrocissimas, si qui alii olim Martyres, in Anglia potissimum atque in Galliis ab hæreticis passos, et in cœlum (ut par est credere) inter alios Martyres æquali scimus triumphi gloria cooptatos : nec insuper illos inveniat recensitos, qui velut tonitrui filii, in similitudinem fulguris coruscantis novo orbi evangelico lumine illuxerunt, ac fidei causa martyrium subiere. Non enim (ut apparet) fuit in præsens Romanæ Ecclesiæ institutum, novum conscribere Martyrologium, sed vetus (ut diximus) ex veteribus exemplaribus restituere. De quo etiam illud necessario lectorem monendum putamus. Romani Martyrologii triplicem hactenus in Urbe esse factam editionem, ejusque primam et secundam esse mendosam, nec satis dignam, quæ iterum prælo tradatur : quod cujus culpa acciderit, libentius silentio præterimus. Tertia editio purior est atque sincerior, facta anno Domini millesimo quingentesimo octogesimoquarto : illi enim tantum, ut legitimæ atque germanæ, accesserunt litteræ Apostolicæ, datæ die decimaquarta Januarii, eodem anno : cui etsi ex nostris Notationibus levis certe aliqua accessit emendatio, vel si quid additum reperitur (quod quidem perraro factum invenies) id nos ejus, cujus summa est in Ecclesia auctoritas, constanti voluntate fecisse, lector intelligat.

## CAP. IX.

### DE CETERIS ANTIQUIS MARTYROLOGIIS.

Etsi hac in re nostrum præcipuum institutum sit de Romano dumtaxat Martyrologio agere : tamen ab eo alienum non putamus, si summatim et reliquorum meminerimus; cum præsertim eadem omnia ab ipso ducant originem, ab eoque, veluti e fonte rivi dimanent. Habet, si quis plura quærat, ejus argumenti luculentam piamque valde ac eruditam lucubrationem R.D. Joannis Molani Theologi Lovaniensis, quam in secunda sui Usuardi editione posuit, Appendicis de Martyrologiis titulo prænotatam; de qua illud, quod dignum admiratione videtur, lectorem commonendum putamus: Cur nempe ille de cunctis Martyrologiis eruditam instituens tractationem, de Romano tamen Martyrologio agere prætermiserit? Id quidem non injuria, vel (quod procul abest a viro pientissimo) dolo malo factum noveris : sed quod existimavit Romanam Ecclesiam non alio quam Usuardi uti Martyrologio : id enim ipse testatur eodem libello, cap. 4.; sicque agens de Martyrologio Usuardi, ea ratione et Romano satisfactum putavit : credidit enim nullum aliud reperiri Romanum Martyrologium ab eo quod typis excusum Venetiis scriptum, emendatum, editumque habetur, auctore Alexandro de Peregrinis presbytero Brixiensi. Præterierunt enim Molanum quamplurima antiqua manuscripta Romani Martyrologii exemplaria; ex quibus, quodnam, qualeve esset germanum ipsum Romanum Martyrologium, intelligere certius potuisset. Tolerabilis quidem, et venia dignus error; cum ipso tam longe positus ea nesciverit, quæ illi qui Romæ agunt, vix magno labore, pervigili diligentia, et summa sunt industria consecuti. Gavisus vero non mediocriter fui, cum nuper opportune admodum, accincto jam ad secundam editionem typographo, conjecturam suspicionemque hanc meam ex litteris R. D. Henrici Gravii Theologi Lovaniensis minime vanam aut inanem fuisse cognovi. Scribit is enim ad me, R. D. Molanum, accepto jam recens edito Romano Martyrologio, notationes mox suas, quas in Usuardum jampridem scripserat, probe recognitas auctasque, eidem Martyrologio attemperasse atque accommodasse, sed eo præmatura morte subtracto, minus facere licuisse. Quæ proinde mihi causa fuit, ut apud prædictum D. Gravium per litteras agere cœperim, ut eruditissimi viri monumentum edere non prætermitteret : ita enim futurum, ut duorum vel trium concurrente testimonio, veritati possit firmius esse consultum. Equidem tanti viri, de Ecclesia Dei et veritate catholica optime meriti, nec brevem schedulam deperire æquanimiter patior : cui (dicam ingenue) isthæc omnia hac ex parte accepta fero, quod in densissimam silvam primus ipse ingressus, mihi aliisque aditum patefecit : quo etiam nomine cum ego, tum eruditi omnes plurimum ei debere, lubenter agnoscimus, et confitemur. Id hoc loco inserere visum fuit, partim boni viri memoriæ causa, partim ne quis ejus consilii ignarus, secus quam se res habeat, factum ejus accipere aut interpretari fortasse possit. Verum ea de re hactenus : jam ad institutum redeamus. Post Martyrologium Romanum, quod æque et Hieronymi nomine olim editum reperimus, illud Bedæ primo loco ponitur, de quo auctor Catalogi Scriptorum ejus, qui habetur excusus, post præfationem ejusdem Bedæ lib. de temp. hæc ait : *Martyrologium scripsit de natalitiis Sanctorum diebus, in quo omnes quos invenire potuit, non solum qua die, verum quo genere certaminis, vel sub quo judice vicerint, diligenter adnotare studuit.* Hæc ibi. Mea quidem sententia nihil aliud Beda fecisse videtur, nisi quod Romanum Martyrologium, cujus (ut vidimus) sanctus Gregorius meminit, in Angliam per Augustinum vel successores allatum, aliquibus additionibus auxit; quas aliquanto prolixiores fuisse, argumento sunt ea quæ ex eodem recitat Amalarius de Offic. ecclesiast. lib. 2. cap. 24. et de Ordin. Antiph. cap. 28. Aliquot tamen dies nominibus Martyrum vacuos reliquisse (causa autem ignoratur) eosque Flori additamentis suppletos, Ado in sui Martyrologii præfatione testatur. Meminit ejusdem Flori Usuardus, necnon et Sigebertus de viris illustribus, cap. 94. Fuit Monachus Ordinis

sancti Benedicti in monasterio sancti Trudonis Leodiensis diœcesis, ut testatur Trithem. de viris illustribus Ordin. sancti Benedicti, cap. 44. Post Bedam ac Florum, post annos circiter septuaginta, temporibus Caroli Magni, Usuardus et ipse Monachus Ordinis sancti Benedicti, natione Gallus (ut do eodem tradit Trithemius) scripsit Martyrologium; et quod ab aliis prætermissum vidisset, adjecit : id enim ipse in sua præfatione testatur, dum ait : *Venerabilium Hieronymi scilicet et Bedæ presbyterorum piis quamvis et succinctis super hoc provocabar descriptis; quorum prior brevitati studens, alter vero quamplures Kalendarum dies intactos relinquens, multa inveniuntur hujus operis præteriisse necessaria : quos tamen secutus, censui et Flori, memorabilis viri, latiora jam in eo ipso negotio sequi vestigia, præsertim in secundo ejusdem libro; ibi enim multa quæ in priori omiserat, et correxit, et addidit : et si quid, præter quod ab illis accepi, hoc tempore auctum vel mutatum est, sagaci a me indagine id perquisitum agnosci poterit.* Hæc Usuardus : quibus constat, non tantum ceterorum antiquiorum Martyrologia ab eo fuisse per suum aucta, sed etiam emendata. Post annos ab his circiter quinquaginta Wandelbertus Diaconus et Monachus Prumiensis cœnobii, qui claruit sub Lothario Imperatore anno Domini 850, inter illorum temporum Poetas non ignobilis, heroico carmine Martyrologium scripsit, cujus meminit Sigebert. de viris illustr. cap. 130, et Trithem. pluribus lib. do vir. illustr. Ordin. sancti Benedicti, cap. 56. Putatur illud ipsum esse, quod apud Bedæ tomum primum legitur sub titulo Ephomeridum Bedæ; sed cum in eo nonnulla recenseantur quæ post Bedæ tempora contigerunt, certe Bedæ non esse, exploratum habetur. Post prædictos, Ado Episcopus Trevirensis, vir laudatissimus, qui claruit temporibus Gregorii Papæ septimi, et ipse locupletius scribens Martyrologium, non tantum quæ ab aliis viderentur prætermissa, superaddidit; sed et quæ ceteris brevius dicta essent de passionibus Martyrum, fusius enarravit. Qui autem post hæc diversis temporibus in eodem scribendi genere versati sint (quoniam de antiquioribus tantum agere animus est) qui scire cupit, consulat prædictum Molani libellum. Ceterum si quis horum omnium, quæ a nobis sunt recensita Martyrologia, et quæ postea accesserunt, originem petat, et ad suum principium reducere velit; omnia e Romano, velut ex trunco ramos, producta esse cognoscet : quæ etiamsi (ut de fluminibus accidit, quæ cum e suo fonte modica scaturigine fluant, licet majorum fluminum accessione turgescant, tamen nomen, quod ab eo acceperant, non tantum non amittunt, sed communicant ceteris) sic a suo principio nomen sumerent : prædicta omnia, non Hieronymi, non Bedæ, vel Flori, non Usuardi, Adonis, aliorumve nomine essent inscribenda; sed Romani Martyrologii ab hoc vel illo aucti, essent potius titulo consignanda.

## CAP. X.

### DE FALSIS HÆRETICORUM MARTYRIBUS, EORUMDEMQUE PSEUDOMARTYROLOGIIS.

His jam de Romano Martyrologio enarratis, et e claris purisque Ecclesiæ catholicæ fontibus ductis, ac quæ quisque plus sequi debet ostensis : non ab re fore existimamus, imo operæ pretium ducimus, si et de falsis Martyribus, atque Pseudomartyrologiis ab hæreticis scriptis agamus : ac primum ostendamus nusquam gentium, nisi in Ecclesia catholica esse cum corona martyrium. Haud longior vel ambigua de hujusmodi quæstione disputatio esse potest, quam Apostolus, jam prolata sententia, definivit, dum ad Corinthios scribens 1. cap. 13. hæc de seipso (ne cujusvis meriti sibi homo blandiatur) ait : *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sic ille, et non aliunde quam ex lege Christi apud Lucam ajentis cap. 11. *Qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit.* In eamdem sententiam plura in Constit. Clement. lib. 1. cap. 9. Sed audiamus quid de his scribat sanctus Cyprianus ad Antonianum epistola 52. edit. Pamel. *Si* (inquit) *ab Ecclesia dure et crudeliter segregatus, ad gentiles se vias et secularia*

*opera convertat, vel ad hæreticos et schismaticos, rejectus ab Ecclesia, transeat, ubi etsi occisus propter nomen postmodum fuerit extra Ecclesiam constitutus, et ab unitate atque charitate divisus, coronari in morte non poterit.* Et in fine : *Apostatæ vero et desertores, vel adversarii, et hostes, et Christi Ecclesiam dissipantes, nec si occisi pro nomine foris fuerint, admitti, secundum Apostolum, possunt ad Ecclesiæ pacem, quando nec spiritus, nec Ecclesiæ tenuerunt unitatem.* Hæc ibi. Idem ad Cornelium Papam epistola 54. *Idoneus* (inquit) *esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, etc.* Et ad eumdem epist. 57. *Non est quod sibi in confessione nominis blandiatur; cum constet, si occisi hujusmodi extra Ecclesiam fuerint, fidei coronam non esse, sed pœnam potius esse perfidiæ, nec in domo Dei inter unanimes habitaturos esse, quos videmus de pacifica et divina domo furore discordiæ recessisse.* Hæc et alia in eamdem sententiam ad Jubajanum epist. 73. de oratione Dominica, et de unitate Ecclesiæ sæpius ingerit, ut cum ait : *Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est : ad regnum pervenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit.* Et paulo post : *Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt : ardeant licet flammis, vel ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus : occidi talis potest, coronari non potest.* Hæc Cyprianus, et alia plura eodem argumento. Eadem Optatus Milevit. contra Parmenian. libro 3. cum ait : *Si supra memoratos videri Martyres vultis, probate illos amasse pacem, in qua prima sunt fundamenta martyrii, aut dilexisse Deo placitam unitatem, aut habuisse cum fratribus unitatem, sine qua nullum vel nomine potest, vel re esse martyrium, etc.* Hæc ipsa sanctus Augustinus, agens contra Donatistas, sexcentis fere locis inculcat, quæ brevitatis causa enumerare prætermittimus. Hæc Joannes Chrysostomus et Hieronymus dixere, ac omnes quotquot fuerunt in Ecclesia catholici Patres. Sed quid amplius : Dei Ecclesia sicut omnes respuit hæreticos pseudomartyres, sic non omnes recipit communionis catholicæ qui videntur Martyres, sed eos tantum, quos sicut fide, ita et charitate novit esse probatos. Nam et in his multæ subesse possunt causæ subeundi martyrium, quæ Deo displicent; quales erant illi, quorum meminit sanctus Augustinus in Brevic. collat. diei 3. cap. 13. In eamdem sententiam sanctus Hieronymus in commentar. in epist. ad Galat. lib. 3. cap. 5. hæc ait : *Vide quantum bonum sit charitatis : si ita martyrium fecerimus, ut nostras velimus ab hominibus reliquias venerari : si opinionem vulgi sectantes intrepidi sanguinem fuderimus, et substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus; huic operi non tam præmium, quam pœna debetur, et perfidiæ magis tormenta sunt, quam corona victoriæ.* Hæc ibi et eadem fere infra cap. 4. A cultu talium pseudomartyrum avocat fideles concilium Laodicænum can. 34. itemque concilium Carthaginense primum can. 2, his verbis : *Martyrum dignitatem nemo profanus infamet, neque ad passiva corpora, quæ sepulturæ tantum propter misericordiam ecclesiasticam commendari mandatum est, redigat; ut aut insania præcipitatos, aut aliquo tali pacto, aut alia ratione peccati discretos, non ratione vel tempore competenti, quo martyria celebrantur, Martyrum nomine appellet. At si quis ad injuriam Martyrum, claritati eorum adjungat infamiam; placet eos, si laici sint, ad pœnitentiam redigi; aut si sunt clerici, post commonitionem, et post cognitionem honore privari. Universi dixerunt. Recte statuit Sanctitas vestra : hoc et singulis conciliis statutum est.* Hactenus concilium Carthaginense tempore Constantis filii Constantini Imperatoris. Docuerunt hoc ipsum exemplo et ipsi sancti Martyres, qui ad ultimum usque spiritum cum hæreticis, qui christianæ fidei causa eodem detinebantur inclusi carcere, licet brevi supplicium subituri martyrii, communicare vel saltem verbo recusabant, ut testatur Apollinaris Hierapolis Episcopus, antiquus Theologus, apud Eusebium hist. lib. 5. cap. 15. in fine. Cum autem viderent hæretici catholicam Dei Ecclesiam spiritualibus charismatibus affluentem, innumerisque sanctorum Martyrum trophæis

nobilitatam : ejus gloriam æmulantes, et ipsi Martyres fingere, pseudomartyres habere, et falsa Martyrologia conscribere studuerunt. Qui ejusmodi laborarunt insania, fuerunt in primis Marcionitæ, ac subinde Cataphrygæ, qui et Montanistæ sunt appellati; de quibus idem qui supra Apollinaris hæc scribit : *Cum jam omnia illorum argumenta, quæ supra posuimus, sint penitus confutata, et nihil habeant quod dicant amplius; ad Martyres confugiunt, seque affirmant complures habere Martyres, atque hoc certum argumentum esse virtutis et potentiæ, quæ est in prophetico illorum spiritu. Cæterum istud (ut videtur) a veritate alienissimum est : etenim non pauci aliarum hæresum propugnatores, permultos vendicant se habere Martyres : non tamen propterea illis consentiemus, neque illos veritatem penes se habere fatebimur. Qui primi ex Marcionis hæresi Marcionitæ vocati sunt, permultis se Christi Martyribus abundare prædicant : sed tamen Christum ipsum (uti veritas postulat) minime confitentur.* Hæc ille apud Eusebium histor. lib. 5. cap. 15. Porro iidem, adversus quos scribit, Cataphrygæ, quo majorem Martyrum numerum coagmentarent, quasi ex Paracleto jactabant, non esse fugiendum tempore ingruentis persecutionis, ut habet non tantum expressum, sed et defensum a Tertulliano, dum et ipse iisdem mali spiritus agitaretur furoribus, eo libro cujus est titulus, *De fuga in persecutione.* Cæterum quales fuerint ejusmodi nebulones, qui martyrii gloriam venabantur, satis sit in præsentiarum in exemplum adducere Alexandrum pseudomartyrem, de quo Apollonius, clarus inter antiquos scriptores ecclesiasticos, hæc scribit apud Eusebium, histor. lib. 5. cap. 17. *Ut non de pluribus verba faciamus, dicat nobis ipsa prophetissa de Alexandri facinoribus, qui se Martyrem prædicat, et quem ipsa convivio excepit familiariter : quem etiam alii complures adorant : cujus latrocinia et alia flagitiorum genera, pro quibus debitas pœnas persolverit, nihil nostra interest commemorare, præsertim cum in ipsas tabulas publicas satis accurate relata sint, etc.* Prosequitur scelerum ejus longiorem historiam. Ejusmodi erant et pseudomartyres Novatiani, in quos sæpe Cyprianus invehitur. Quid memorem Euphemitas hæreticos, qui ob multitudinem suorum pseudomartyrum, Martyrianos seipsos cognominarunt? Agit de his Epiphanius in Panar. hæres. 80. Norunt omnes et Donatistas, quibus etsi tempore pacis Ecclesiæ deficeret persecutor, adeo insani martyrii gloria capti erant, ut spontanea deligerent præcipitia, vel mille modis aliunde ex industria neces voluntarie comparatas oppeterent; de quibus Optatus Milevitanus, Augustinus sæpissime, ac etiam Theodoretus scripserunt. Habuerunt et Ariani pseudomartyres, inter quos excelluit execrandus ille carnifex Georgius pseudoepiscopus Alexandrinus, de quo scribit Epiphan. in Panar. hæres. 76. contra Anomæos. Nec hisce monstris caruere Priscillianistæ. At omnes recensere, longum nimis esset. Sed dissimularo non possumus nostri sæculi hæreticorum extremam dementiam, qui (proh dolor!) apostatarum, sacrilegorum, sicariorum, flagitiosorum, turpissimorum, ac denique omnibus sordibus inquinatorum hominum catalogum texentes, et ipsi pseudomartyrologia conscripsere, Augiæ plane stabulum. Sed quid mirum? Habent vespæ, sicut et apes (inquit Tertullianus adversus Marcionem lib. 4.) favos suos : quæ etsi in cellularum constructione illas omnino imitari videntur; tamen non sicut illæ in unam eamdemque domum convoniunt : carent enim alveario, quia nesciunt unitatem; nec insuper mel, quod illuc inferant, habent : ac licet favum summo labore confecerint, cellulas cellulis intexendo; tamen inanis, aridus, ac melle vacuus semper esse conspicitur. Porro favus mellis in Ecclesiæ alveario tantummodo reperitur, quem una cum parte piscis assi post resurrectionem Christo obtulerunt Apostoli, de quo et scriptum est in Cant. cap. 4. : *Comedi favum cum melle meo :* quem et a sanctis Martyribus in persecutorum rabie coagmentandum (quod habet Jud. cap. 14.) favus ille mellis ex ore leonis a Sampsone depromptus, typice demonstravit. Sic etenim favus Ecclesiæ est melle plenus, ut scateat; sic sacris charismatibus affluens ac redundans, ut effluat. Audi quid vertex ille Theologorum sanctus Gregorius

Nazianzenus de catholicæ Ecclesiæ Martyribus dicat, scribens in Julianum apostatam : *Ab his dæmones pelluntur, et morbi curantur, quorum apparitiones et prædictiones, quorum vel sola corpora idem possunt quod animæ, sive manibus contrectentur, sive honorentur : quorum vel solæ sanguinis guttæ atque exigua passionis signa, idem possunt quod corpora.* Hæc ille in Julian. orat. 1. sed eodem argumento hæc locupletius in Cygn. carm. dum ait : *Orbem igitur hunc pene totum, instar siderum serenis splendoribus sublimibus thronis, doctrinis, cœtibus, concursibus integrarum familiarum, hymnis convenientibus collustrant, hi, qui jugulati, Christi gloriosi sunt victores. Estque adeo frequens horum luctæ certaminumque veneratio, ut exiguus pulvis, aut reliquiæ veterum ossium, toties ad honorem sufficiat; et nonnullorum saltem appellationem reliquiarum omnino expertem scio locis certis inditam esse pro toto Martyre, quæ tamen eamdem vim obtinuerit. O rem prodigiosam! salutem affert sola recordatio. Quid si commemorem morborum, malorumque dæmonum purgationem incredibilem a sepulchris profectam, quæ meruerunt aliquando recipere, spirituum illorum incursionibus resistentia? talia sunt meorum athletarum miracula.* Hæc Gregorius ubi supra de sumiss. animi, castitate, et temp. edit. Levencl. Magna sunt hæc; sed quod ad reliquias spectat, majora his addimus : quod non tantum tenuis pulvis ex ossibus Martyrum, capillus, vel pannus vilis, aliaque tenuiora eorumdem Martyrum monumenta talia præstent; sed etsi super illorum sepulchra flores, vel alia hujusmodi admoveantur, tantam ex his quæ intus sunt sacris reliquiis virtutem hauriant, ut ad animarum corporumque salutem consequendam, ac insuper ad mortuos excitandos potestatem accipiant. Est de his omnibus locuples testis sanctus Augustinus, qui de Civitate Dei lib. 22. cap. 8. aliisque in locis hæc fusius est prosecutus. Sed adhuc majora his accipe. Pulvis ipse, qui situ sepulchrum obducit, vel circa ipsum jacens pedibus teritur, virtute Martyrum miracula ingentia edere consuevit : quam ob causam Christiani peregrinantes ad veneranda Martyrum sepulchra, pro magno munere sanctum illum colligere pulverem, ut magni pretii margaritas recondere, secum ferre, et ad conciliandam sibi sanctorum Martyrum gratiam domi asservare consueverunt. Habes de his egregium testimonium Gregorii Nysseni in orat. in laudem magni Martyris Theodori, in hunc modum dicentis : *Si quis pulverem, quo conditorium, ubi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere pulvis accipitur, atque tamquam res magni pretii condenda terra colligitur, etc.* Porro quot quantave miracula ex pulvere e tumulis Sanctorum collecto Deus operari consueverit, consule cum qui hæc est sæpe expertus, fidum testem Gregorium Turonensem lib. 2. de mirac. S. Martini cap. 1. lib. 3. cap. 12. lib. 4. cap. 32. et 33. et seq. de glor. Mart. lib. 1. cap. 62. et lib. 2. cap. 24. 33 et 45. ubi admiranda reperies. Sed quod adhuc prædicta omnia superare videtur : ipsum oleum, quod nec sepulchra Martyrum tangit, sed circa vel desuper ipsa in lampadibus ardet, eamdem omnino, quæ ex sacro Martyris corpore manare consuevit, gratiam miraculorum nancisci solitum, jam plurima de ea re edita tam apud Græcos, quam Latinos exempla declarant. Habes id in primis egregie testatum a Theodoreto in historia sanctorum Patrum, Theophilis appellata, cap. 21. in Jacobo, ubi admiranda leges de lecytho olei, ex lychnis ad Martyrum sepulchra appensis, collecti. Venantius Fortunatus et ipse, quam ex eodem oleo sit gratiam consecutus, egregio carmine cecinit lib. 4. vit. S. Mart. in fine : cui et adstipulatur Paulus Diaconus de gestis Longobard. lib. 2. cap. 9. Id generis complura narrat Gregorius Turonensis, quæ suis temporibus acciderunt, ut lib. de gloria Confess. cap. 5 et 9. : Id ipsum de cera, cap. 10 et 66. aliisque in locis. Hæc sunt quæ obiter, prædictorum occasione, ex catholicæ Ecclesiæ favis mella deprompsimus. Sed premant hæretici licet atque contorqueant vesparum suarum favos aridos et inanes, non est quod vel saltem guttulam unam divinæ virtutis in operatione miraculorum elicere valeant; ad stabiliendam enim fidei veritatem, ejusmodi signa atque prodigia ex

sacris Martyrum reliquiis Deus ostendi voluit, ut pluribus docet sanctus Augustinus de Civitate Dei lib. 23. cap. 9. et 10., a qua cum illi semel exciderint, his carere necesse esse quis dubitat? Ad hæc mox illi, ex divina Scriptura comparata tergiversatione, vel potius honesta fuga: signa, inquiunt, non fidelibus, sed infidelibus. Sic olim et Vigilantius, in quem Hieronymus: *Nolo*, ait, *mihi dicas: signa infidelium sunt: sed responde, quomodo in vilissimo pulvere et favilla, nescio qua, tanta sit signorum virtutumque præsentia. Sentio, infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas: spiritus est immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est pulvere.* Hæc ille, et alia plura id generis. Esto, signa sint infidelium, quales nos esse jactatis: certe nobis illa debentur, qui falsis dogmatibus vestris non credentes, adeo adversamur, vestrosque pseudomartyres execramur. Exhibeantur ab illis illa divina miracula, quæ olim a sanctis Martyribus, Gentilibus non credentibus, detestantibus, ac persequentibus, ut crederent, benedicerent, atque adorarent, sunt exhibita. Si tantopere conamini, ut vobis assentiamur, vel unum saltem ex tanta pseudomartyrum turba divinum miraculum editum demonstrato. Sed quid? Numquid colligere poterunt ex spinis uvas, aut de tribulis ficus? Certe ex sententia Domini, *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Sed habent non tantum quod de suis sic excusent, sed et de nostris accusent. Cum enim ex sanctis Martyribus prodimus certa fide testata miracula; quid ad hoc illi, nisi quæ ipsorum patriarchæ dixerunt in Christum Dominum Scribæ et Pharisæi: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia?* ut habet Matth. 9. Marc. 3. et Luc. 11. Hæc eadem olim (ut auctor est sanctus Hieronymus in Vigilant.) impius Porphyrius, Julianus apostata in Christianos: hæc Eunomius hæresiarcha, Vigilantius, Eustathius Sebastenus; et Claudius Taurinensis in Catholicos: hæc denique nostrorum temporum Hagiomachi, fæces hæreticorum, una cum prædictis effutiunt. Sed ago gratias Christo meo, qui has et ipse calumnias passus, pro se suisque Martyribus in sacro Evangelio apud Marcum cap. 4. et Lucam cap. 11. luculentam defensionem instituere, et ad curandam tantam mentis insaniam, præsentaneum antidotum præparare dignatus est, quo utinam miselli isti uterentur, ut aliquando tandem, licet sero, sed serio resipiscerent. Verum de his satis, ac fortasse plusquam instituti ratio patiatur: cum non sit meum consilium in præsentiarum de dogmatibus disputare: id etenim cum præstitere complures disertissimi viri, tum præsertim R. D. Alanus Copus, Anglicanæ Ecclesiæ ornamentum, in hoc scribendi genere magna cum laude versatus est, qui adversus hujuscemodi pseudomartyrologos, pie admodum, diserte valde, ac luculenter nostris temporibus scripsit.

### S. CYPRIANUS IN EPIST. 37. AD CLERUM DE CONFESSORIBUS IN CARCERE CONSTITUTIS.

Dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.

### IDEM IN LIB. DE EXHORT. AD MARTYRIUM, CAP. 11.

Si igitur et nos dicati ac devoti Deo vivimus, si supra justorum antiqua et sancta vestigia iter facimus : per eadem documenta pœnarum, per eadem passionum martyria pergamus; hoc ampliorem gloriam computantes temporis nostri, quod cum vetera exempla numerentur, exuberante postmodum copia virtutis et fidei, numerari non possunt Martyres christiani, testante Apocalypsi, et dicente : Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, etc.

### S. AMBROSIUS IN SERM. DE SS. NAZARIO ET CELSO.

Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem fidem quasi novellam discutere præsumas : et post tam manifestos duces, in errore permaneas : et post morientium sudores, otiosa disputatione contendas. Veneremur ergo in sanctorum Martyrum gloria fidem nostram, etc.

### S. AUGUSTINUS LIB. 20. CONTRA FAUSTUM MANICHÆUM, CAP. 21.

Populus christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur.

### S. GREGORIUS PAPA LIB. 7. REGIST. EPIST. 29. AD EULOGIUM EPISCOPUM ALEXANDRINUM.

Nos autem pene omnium Martyrum, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem volumine quis, qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo nomen, locus, et dies passionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diversis terris atque provinciis per dies, ut prædixi, singulos cognoscantur martyrio coronati.

### IDEM IN HOMILIA 27. IN EVANGELIA.

Totum mundum, fratres, aspicite : Martyribus plenus est. Jam pene tot, qui videamus, non sumus, quot veritatis testes habemus. Deo ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt : quia quanti sint, a nobis comprehendi non possunt.

# EXPLICATIO EORUM

## QUÆ

# IN MARTYROLOGIO ROMANO

### AD PRONUNTIATIONEM LUNÆ PERTINENT.

In hoc Martyrologio literæ, quæ ordinatim supra Sanctorum historias sunt dispositæ, indicant singulis diebus totius anni, quota Luna sit pronuntianda, suntque num. 30, quot nimirum sunt Epactæ, ex quibus cyclus Epactarum compositus est: quarum hæc est significatio: Litera a, significat Epactam j; b, Epactam ij; c, Epactam iij; d, Epactam iv, et sic deinceps aliæ literæ alias Epactas significant; ut in apposita tabella perspicuum est, in qua singulis Epactarum numeris singulæ quoque literæ respondent, modo majusculæ, et modo minusculæ.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| j | ij | iij | iv | v | vj | vij | viij | ix | x | xj | xij | xiij | xiv | xv | xvj | xvij | xviij | xix |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| xx | xxj | xxij | xxiij | xxiv | xxv | 25 | xxvj | xxvij | xxviij | xxix | * |

Ultima tamen Epacta non est signata numero arithmetico, sed hac nota *, cui respondet litera P majuscula. Substituuntur autem hujusmodi triginta literæ in locum 30 numerorum Epactarum, secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem, quæ loco Aureorum numerorum literas ponebat: ne forte in Luna pronuntianda fiat error et confusio inter numeros cycli Epactarum, et numeros designantes quot dies habeat Luna. Ceterum quamvis Martyrologium sit constructum ex triginta literis significantibus triginta numeros cycli Epactarum; ad inveniendam tamen Lunæ conjunctionem et dies Lunares, non utimur omnibus triginta, sed tantum decem et novem adhibemus, quot nimirum sunt Aurei numeri, per quos hujusmodi triginta literæ et Epactæ æquantur,

progrediunturque : et in quorum locum, et ad ostendendum quota sit Luna, novemdecim Epactæ succedunt, quemadmodum in proposita

TABELLA LITERARUM MARTYROLOGII RESPONDENTIUM AUREIS NUMERIS ET EPACTIS AB IDIBUS OCTOBRIS ANNI CORRECTIONIS 1582, DETRACTIS PRIUS DECEM DIEBUS USQUE AD FINEM ANNI 1699.

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Aur. num. | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| Epactæ. | xxvj | vij | xviij | xxix | x | xxj | ij | xiij | xxiv | v |
| Lit. Mart. | G | g | t | N | k | B | b | n | E | e |
| Aur. num. | 16 | 17 | 18 | 19 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | |
| Epactæ. | xvj | xxvij | viij | xix | j | xij | xxiij | iv | xv | |
| Lit. Mart. | r | H | h | u | a | m | D | d | q | |

tabella apparet, in qua decem et novem Aureis numeris respondent totidem Epactæ et literæ, quæ ab Idibus Octobris anni correctionis 1582 (detractis prius decem diebus) usque ad annum 1699 inclusive, pro quo tempore tabella hæc composita est, assumendæ sunt, donec ad aliud tempus perveniatur, in quo alia tabella accipienda erit, in qua eisdem decem et novem Aureis numeris aliæ Epactæ et literæ respondebunt. Diversis enim modis invicem disponuntur et conjunguntur Aurei numeri cum Epactis et literis Martyrologii, prout Solaris et Lunaris anni magnitudo exposcit, ut in libro novæ rationis restituendi Kalendarii Romani explicatur; atque exemplum habes in sequentibus duabus tabellis, quarum prioris usus incipit ab anno 1700 inclusive, duratque usque ad finem anni 1899. Posterior autem usum habet ab anno 1900 inclusive, usque ad finem anni 2199. Reliquæ vero literæ, quæ in margine exteriore Martyrologii recta descendunt, sunt literæ Dominicales, quibus hebdomadæ, dies Dominicæ, atque hebdomadarum feriæ denotantur. Numeri item, qui prope literas Dominicales antiquis numerorum notis sunt descripti, spectant ad cyclum Epactarum, e regione quorum semper invenies singulis diebus totius anni Lunæ conjunctionem, seu Lunam primam sub litera ipsius Epactæ significativa. In margine denique interiore dies mensium vulgaribus numerorum notis sunt expressi.

TABELLA LITERARUM MARTYROLOGII RESPONDENTIUM AUREIS NUMERIS ET EPACTIS AB ANNO 1700 INCLUSIVE, USQUE AD FINEM ANNI 1899.

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Aur. num. | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |
| Epactæ. | ix | xx | j | xij | xxiij | iv | xv | xxvj | vij | xviij |
| Lit. Mart. | i | A | a | m | D | d | q | G | g | t |
| Aur. num. | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | |
| Epactæ. | * | xj | xxij | iij | xiv | xxv | vj | xvij | xxviij. | |
| Lit. Mart. | P | I | C | e | p | F | f | s | M | |

TABELLA LITERARUM MARTYROLOGII RESPONDENTIUM AUREIS NUMERIS ET EPACTIS AB ANNO 1900 USQUE AD FINEM ANNI 2199.

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Aur. num. | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| Epactæ. | xxix | x, | xxj | ij | xiij | xxiv | v | xvj | xxvij | viij |
| Lit. Mart. | N | k | B | b | n | E | e | r | H | h |
| Aur. num. | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | |
| Epactæ. | xix | * | xj | xxij | iij | xiv | 25 | vj | xvij | |
| Lit. Mart. | u | P | I | C | e | p | F | f | s | |

Ad pronuntiandum itaque quota sit Luna, sumendus est primum Aureus numerus anni currentis in superiori ordine proximæ tabellæ, vel Epacta currens in medio ordine tabellæ; deinde litera, quæ in tertio et inferiori ordine ejusdem tabellæ illi Aureo numero vel Epactæ respondet. Hæc enim litera per numerum, qui in Martyrologio sub ea reperitur, ostendet quota Luna sit pronuntianda singulis diebus totius anni currentis.

Exemplum : Anno correctionis 1582 Aureus numerus currens est 6, et Epacta xxvj, sub quo Aureo numero vel Epacta in suprascripta tabella invenies literam G majusculam. Hæc ergo ab Idibus Octobris, detractis prius decem diebus, indicabit quot dierum sit pronuntianda Luna in Martyrologio Romano singulis diebus usque ad ultimam diem Decembris prædicti anni correctionis 1582. Item anno 1583 jam emendato, tam Aureus numerus quam Epacta erit vij, sub quo Aureo numero vel Epacta, in eadem tabella reperitur litera g minuscula, quæ

toto eo anno ostendet in prædicto Martyrologio, quota sit Luna pronuntianda. Ita vides Lunam primo die Januarii pronuntiaudam esse octavam, secundo die nonam, tertio decimam, etc. Lunam autem esse primam nono Kalend. Februarii, hoc est, die 24 Januarii, et ita de ceteris.

Quemadmodum autem singulis annis mutatur Aureus numerus et Epacta in Kalendis Januarii, ita etiam cum aureo numero et Epacta mutatur litera Martyrologii. Ut quemadmodum anno 1587 Aureus numerus est 11, et Epacta xxj. anno vero 1588 in Kalendis Januarii Aureus numerus est 12, et Epacta ij, ita quoque anno 1587 litera Martyrologii est B majuscula respondens Aureo numero 11, et Epactæ xxj. anno vero 1588 in Kalendis Januarii assumenda est litera Martyrologii b minuscula, respondens Aureo numero, 12, et Epactæ ij, adeo ut ultima die Decembris anni 1587 pronuntietur Luna secunda sub litera B majuscula : in Kalendis vero Januarii sequentis anni 1588 dicatur Luna tertia sub litera b minuscula.

Notandum autem est, in anno quo currit Aureus numerus 1, Lunam in Kalendis Januarii semper pronuntiandum esse una die minorem, quam in Martyrologio adnotatur; et sic deinceps in aliis diebus, usque ad finem illius Lunationis tantum. Exemplum : Anno Domini 1595, tam Aureus numerus quam Epacta erit xix. litera vero Martyrologii eo anno currens erit u minuscula, sub qua pronuntiabis pridie Kalendas Januarii, sive ultima die Decembris, Lunam trigesimam : postridie vero in Kalendis Januarii anni 1596, in quo curret tam Aureus numerus quam Epacta j, pronuntiabis Lunam primam sub litera a minuscula : quamvis sub ea invenias adnotatam Lunam secundam : et ita prosequeris quotidie pronuntiando Lunam una die minorem, quousque pervenias ad finem illius Lunationis, hoc est, usque ad quartum Kalend. Februarii : a quo die exclusive usque ad finem illius anni pronuntiabis Lunam, uti sub eadem litera annotatum invenies. Itidem in futurum faciendum erit, quotiescumque dicto Aureo numero 1 eadem, vel aliqua alia litera respondebit, excepta tamen litera P majuscula, sub qua semper Luna pronuntianda est, ut numerus indicat : quemadmodum et in aliis annis fieri solet, in quibus non currit Aureus num. 1, sed alii Aurei numeri : in his enim Luna pronuntianda est, ut indicat numerus sub litera descriptus.

Ut autem intelligas unde præcedentes tres tabellæ depromptæ sint, et qua arte aliæ construi possint, addidimus sequentem tabellam literarum Martyrologii respondentium cyclo Epactarum perpetuam, una cum tabula æquationis cycli Epactarum, ex qua cujusque anni Epacta et litera Martyrologii respondens perpetuo invenietur, hoc modo :

TABELLA LITERARUM MARTYROLOGII RESPONDENTIUM CYCLO EPACTARUM PERPETUA.

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| P<br>* | l<br>xj | C<br>xxij | c<br>iij | p<br>xiv | F **F**<br>xxv **25** | f<br>vj | s<br>xvij | M<br>xxviij | i<br>ix |
| A<br>xx | a<br>j | m<br>xij | D<br>xxiij | d<br>iv | q<br>xv | G<br>xxvj | g<br>vij | t<br>xviij | N<br>xxix |
| k<br>x | B<br>xxj | b<br>ij | n<br>xiij | E<br>xxiv | e<br>v | r<br>xvj | H<br>xxvij | h<br>viij | u<br>xix |

TABELLA ÆQUATIONIS CYCLI EPACTARUM PERPETUA.

| ANNO DOMINI. | | ANNO DOMINI. | | ANNO DOMINI. | |
|---|---|---|---|---|---|
| N | 1 | A | 2200 | q | 3600 Biss. |
| q | 320 Biss. | u | 2300 | p | 3700 |
| q | 500 Biss. | A | 2400 Biss. | n | 3800 |
| a | 800 Biss. | u | 2500 | n | 3900 |
| b | 1100 Biss. | t | 2600 | n | 4000 Biss. |
| c | 1400 Biss. | t | 2700 | m | 4100 |
| Detractis x. diebus. | | l | 2800 Biss. | l | 4200 |
| D | 1582 | s | 2900 | l | 4300 |
| D | 1600 Biss. | s | 3000 | l | 4400 Biss. |
| C | 1700 | r | 3100 | k | 4500 |
| C | 1800 | r | 3200 Biss. | k | 4600 |
| B | 1900 | r | 3300 | i | 4700 |
| B | 2000 Biss. | q | 3400 | i | 4800 Biss. |
| B | 2100 | p | 3500 | i | 4900 |

Quæratur in tabula æquationis annus propositus, vel, si is in tabula non invenitur, annus proxime minor, noteturque litera alphabeti, sive majuscula sive minuscula ad sinistram ipsius collocata : investigetur quoque Aureus numerus propositi anni. Deinde in tabella literarum Martyrologii perpetua similis litera notetur; et cellulæ quæ ab illa litera inclusive tertia est versus sinistram, Aureus numerus 1 tribuatur, et sequenti cellulæ ad dexteram subsequens Aureus numerus 2, et ita deinceps, donec ad Aureum numerum propositi anni perveniatur, redeundo ad principium tabellæ, quando eam percurreris; computatis quoque duabus literis F, **F**, quarum una rubra, et altera nigra, et sub

quibus Epacta xxv rubra, et 25 nigra collocatur pro una cellula. His enim rite peractis, statim in cellula, in quam propositi anni Aureus numerus cadit, Epacta et litera Martyrologii illius anni reperietur. Unum tamen diligenter observandum est, nimirum ut quando Aureus numerus anni propositi major fuerit quam 11, nempe unus ex posterioribus octo Aureis numeris a 12 usque ad 19, cecideritque in cellulam literarum F F majuscularum, quarum prior rubra est, et posterior nigra, sumatur Epacta 25, nigra, et respondens litera F nigra; rubra vero Epacta xxv, et litera F rubra; si in eamdem cellulam aliquis ex prioribus undecim Aureis numeris ab 1 usque ad 11, qui omnes minores sunt quam 12 ceciderit.

Exemplorum appositione res planior fiet. Anno Domini 1582 qui est annus correctionis, respondet in tabula æquationis litera D majuscula, estque Aureus numerus 6. Si igitur in tabella literarum Martyrologii perpetua tribuas cellulæ literæ a minusculæ, quæ tertia est a cellula literæ D majusculæ, Aureum num. 1, et sequenti cellulæ ad dexteram, Aureum num. 2 et ita deinceps, cadet Aureus num. 6 anni 1582 in cellulam Epactæ xxvj et literæ G majusculæ. Epacta igitur xxvj in Kalendario, Novilunia eo anno, et litera G majuscula in Martyrologio, ætatem Lunæ indicabit. Item anno 1911 respondet in tabula æquationis prope annum proxime minorem 1900 litera B majuscula, estque Aureus num. 12. Quare si in tabella literarum Martyrologii perpetua Aureus num. 1 tribuatur cellulæ literæ N majusculæ, quæ tertia est a cellula literæ B majusculæ, et Aureus num. 2 sequenti cellulæ ad dexteram, et ita deinceps, cadet Aureus num. 12 anni 1911 in primam cellulam tabellæ, cum Aureus num. 11 cadat in ultimam, ac proinde ad principium tabellæ redeundum sit. Erit ergo tunc Epacta *, et litera Martyrologii P majuscula. Rursus anno 1715 in tabula æquationis respondet litera majuscula C, estque Aureus num. 6. Tribuendo ergo Aureum num. 1 cellulæ literæ P majusculæ, quæ tertia est a cellula literæ C majusculæ in tabella literarum Martyrologii perpetua, et Aureum num. 2 sequenti cellulæ ad dexteram, et sic deinceps, cadet Aureus num. 6 anni propositi 1715 in sextam cellulam. Quare cum Aureus num. 6 minor sit, quam 12 erit tunc Epacta xxv rubra, et litera Martyrologii F majuscula rubra quoque. Præterea anno 1916 respondet in tabula æquationis litera B majuscula, estque Aureus num. 17. Quocirca si Aureus num. 1. detur cellulæ literæ N majusculæ, quæ tertia est a cellula literæ B majusculæ in tabella perpetua literarum Martyrologii, et Aureus num. 2 cellulæ sequenti ad dexteram, et ita deinceps, redeundo ad principium tabellæ, cum Aureo

num. 12, cadet Aureus num. 17 anni 1916 in sextam cellulam. Cum ergo Aureus num. 17 major sit quam 11, erit eo anno Epacta 25 nigra, et litera Martyrologii F majuscula nigra quoque. Postremo anno 4218 respondet in tabula æquationis litera l, estque Aureus num. 1. Quamobrem si tribuamus Aureum num. 1 cellulæ literæ u in tabella perpetua literarum Martyrologii, quæ tertia est a cellula literæ l versus sinistram invenietur Epacta anni 4218 propositi xix, et litera Martyrologii u, atque eodem modo Epactam et literam Martyrologii cujuslibet anni invenies in perpetuum, si tabula æquationis extendatur usque ad annum propositum.

Id autem quod dictum est, currente Epacta xxv cum Aureo num. majore quam 11, accipiendam esse Epactam 25 hoc numeri genere expressam, et literam F majusculam nigram, ita intelligendum est, ut tunc ad pronuntiandam Lunam in diebus mensium accipiatur litera F nigra majuscula prope literam F majusculam rubram, non autem illa, quæ inter literas e, et g minusculas collocata est. Atque hoc diligenter memoriæ mandetur.

Constructionem tam tabellæ literarum Martyrologi perpetuæ, quam tabulæ æquationis, quia breviter explicari nequit, et literæ alphabeti, quæ etiam sunt literæ Martyrologii, desumuntur ex tabula cycli Epactarum expansa, dedita opera in librum novæ rationis restituendi Kalendarii Romani rejicimus, ubi tabula illa expansa Epactarum continetur.

Ex his facile quis tabellam componere poterit similem tribus superioribus, si velit, in qua nimirum contineantur Aurei numeri, Epactæ, et literæ Martyrologii certis quibusdam annis inservientes. Et quoniam usus tertiæ tabellæ extenditur usque ad annum 2200, exclusive, si quis aliam condere velit, cujus usus incipiat ab anno 2200, quærenda erit Epacta, et litera Martyrologii (ut jam docuimus) anni 2200. Nam si omnes Aurei numeri disponantur ordine, initio facto ab Aureo num. anni 2200, qui est 16, et sub Aureo num. dicti anni collocetur Epacta ejusdem anni, et litera Martyrologii inventa, nempe xiij et n minuscula, deinde reliquæ Epactæ ordine sub aliis Aureis num. progrediantur per continuam additionem numeri 11 ad præcedentem Epactam, ita tamen, ut Epactæ sub Aureo numero 19 addantur 12, non autem 11: denique si Epactis respondentes literæ Martyrologii supponantur, prout in prima tabella hujus canonis, vel certe in tabella perpetua literarum Martyrologii sunt descriptæ, composita erit tabella Aureorum numerorum, Epactarum, et literarum Martyrologii, cujus usus incipiet ab anno 2200, durabitque usque ad finem anni 2299: quandoquidem anno 2300 alia tabella condenda est, cum illi anno in tabula æquationis

alia litera respondeat, nempe n. Exempli gratia : Anno dicto 2200 respondet in tabula æquationis litera A majuscula, estque Aureus num. 16. Si igitur tribuatur Aureus num. 1 cellulæ literæ M majusculæ, quæ tertia est a cellula literæ A majusculæ in tabella literarum Martyrologii perpetua, et Aureus num. 2 sequenti cellulæ ad dexteram, etc. cadet Aureus num. 16 propositi anni in cellulam Epactæ xiij, et literæ n minusculæ, a quibus tabella initium sumet, progredieturque hoc modo :

TABELLA LITERARUM MARTYROLOGII RESPONDENTIUM AUREIS NUMERIS ET EPACTIS AB ANNO 2200 INCLUSIVE, USQUE AD FINEM ANNI 2299.

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Aur. num. | 16 | 17 | 18 | 19 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |
| Epactæ. | xiij | xxiv | v | xvj | xxviij | ix | xx | j | xij | xxiij |
| Lit. Mart. | n | E | e | t | M | i | A | a | m | D |
| Aur. num. | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | |
| Epactæ. | iv | xv | xxvj | vij | xviij | xxix | x | xxj | ij | |
| Lit. Mart. | d | q | G | g | t | N | k | B | b | |

Ceterum quotiescumque post aliquam tabellam literarum Martyrologii respondentium Aureis numeris et Epactis alia subsequens assumitur, prout literæ in tabula æquationis indicabunt, pronuntiabitur Luna in Kalendis Januarii eadem quæ ultimo die Decembris præteriti. Quoniam enim tunc Aureis numeris respondent Epactæ una unitate minores quam in præcedenti tabella, fit, ut Novilunia in Kalendario contingant uno die tardius quam ante. Quare mirum non est, quod in Kalendis Januarii eadem Luna pronuntietur, quæ ultimo die Decembris præteriti, ut fiat quasi status Lunæ : quia hac ratione postponentur omnia Novilunia in Kalendario uno die ut æquatio Lunæ exigit. Exemplum : Anno 1699, in quo usum habet adhuc prima tabella literarum Martyrologii, est Aureus num. 9, ac propterea Epacta xxix, et litera Martyrologii N majuscula sub qua ultimo die Decembris invenietur Luna esse decima. Deinde anno sequenti 1700 assumitur sequens tabella, estque Aureus num. 10, ac propterea Epacta ix et litera Martyrologii i, sub qua in Kalendis Januarii reperietur Luna iterum esse decima, quemadmodum ultimo die Decembris inventa fuit : quia tunc propter æquationem Lunæ fit Novilunium die 22 Januarii, ubi ponitur Epacta ix, cum alioquin fieri debuisset, si æquatio Lunæ non fuisset facta die 21 Januarii, ubi ponitur Epacta x, quæ sequi debuisset Epactam xxix

præcedentis anni 1699, cum additis 11 ad 29 fiant 40, a quibus si rejiciantur 30, remanent x, pro Epacta sequentis anni 1700, quæ tamen propter Lunæ æquationem relinquitur, et assumitur Epacta ix una unitate minor. Rursus anno 1899, in quo usum adhuc habet secunda tabella literarum Martyrologii, est Aureus num. 19, ac propterea Epacta xviij et litera Martyrologii t, sub qua ultimo die Decembris reperietur Luna esse vigesimanona. Deinde anno sequenti 1900 assumitur sequens tabella, estque Aureus num. 1, ac proinde Epacta xxix et litera Martyrologii N majuscula, sub qua in Kalendis Januarii invenietur Luna esse trigesima. Sed quoniam (ut supra diximus) quando Aureus num. currit 1, pronuntianda est Luna in Januario una die minor quam annotatum est, usque ad proximum Novilunium, pronuntiabitur tunc Luna iterum vigesimanona quemadmodum ultimo die Decembris.

Quando vero post aliquam tabellam literarum Martyrologii respondentium Aureis numeris et Epactis, iterum proxime antecedens tabella assumitur, quando nimirum in tabula æquationis ea litera reassumitur, quæ in præcedenti centesimo posita fuerat, pronuntiabitur Luna in Kalendis Januarii duobus diebus major quam ultimo die Decembris præteriti. Quoniam enim tunc Aureis numeris respondent Epactæ una unitate majores quam prius, cum nondum æquatione indigeret Luna; fit, ut Novilunia in Kalendario contingant uno die citius quam ante. Quare mirum non est, quod in Kalendis Januarii Luna pronuntietur duobus diebus major, quam ultimo die Decembris præteriti, ut fiat quasi saltus Lunæ: quia hac ratione omnia Novilunia in Kalendario antevertent sedes suas uno die, ut æquatio Lunæ postulat. Exemplum: Anno 2399 respondet in tabula æquationis litera u; estque Aureus num. 6, Epacta xxij, et litera Martyrologii C majuscula, sub qua ultimo die Decembris deprehendetur Luna esse tertia. Deinde anno sequenti 2400 respondet in tabula æquationis alia litera, nempe A majuscula, eadem quæ respondebat centesimo 2200 ante centesimum 2300 estque Aureus num. 7, Epacta iv et litera Martyrologii d minuscula, sub qua in Kalendis Januarii reperietur Luna esse quinta, nimirum duobus diebus major, quam ultimo die Decembris: quia tunc propter æquationem Lunæ fit Novilunium die 27 Januarii, ubi ponitur Epacta iv, cum alioquin fieri debuisset, si æquatio Lunæ non esset adhibita, die 28 Januarii, ubi ponitur Epacta iij, quæ sequi debuisset Epactam xxij præcedentis anni 2399, cum additis 11 ad 22, fiant 33; a quibus si rejiciantur 30, remanent iij pro Epacta sequentis anni 2400, quæ tamen propter æquationem Lunæ non assumitur, sed in ejus locum succedit Epacta iv, una unitate major, ut dictum est.

# TABELLA TEMPORARIA

## EPACTARUM ET LITERARUM MARTYROLOGII.

| ANNO DOMINI. | AUR. NUM. | EPACTÆ | LIT. MART. | ANNO DOMINI | AUR. NUM. | EPACTÆ | LIT. MART. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1846 | 4 | iij | c | 1878 | 17 | xxvj | G |
| 1847 | 5 | xiv | p | 1879 | 18 | vij | g |
| 1848 | 6 | xxv | F | 1880 | 19 | xviij | t |
| 1849 | 7 | vj | f | 1881 | 1 | * | P |
| 1850 | 8 | xvij | s | 1882 | 2 | xj | I |
| 1851 | 9 | xxviij | M | 1883 | 3 | xxij | C |
| 1852 | 10 | ix | i | 1884 | 4 | iij | c |
| 1853 | 11 | xx | A | 1885 | 5 | xiv | p |
| 1854 | 12 | j | a | 1886 | 6 | xxv | F |
| 1855 | 13 | xij | m | 1887 | 7 | vj | f |
| 1856 | 14 | xxiij | D | 1888 | 8 | xvij | s |
| 1857 | 15 | iv | d | 1889 | 9 | xxviij | M |
| 1858 | 16 | xv | q | 1890 | 10 | ix | i |
| 1859 | 17 | xxvj | G | 1891 | 11 | xx | A |
| 1860 | 18 | vij | g | 1892 | 12 | j | a |
| 1861 | 19 | xviij | t | 1893 | 13 | xij | m |
| 1862 | 1 | * | P | 1894 | 14 | xxiij | D |
| 1863 | 2 | xj | I | 1895 | 15 | iv | d |
| 1864 | 3 | xxij | C | 1896 | 16 | xv | q |
| 1865 | 4 | iij | c | 1897 | 17 | xxvj | G |
| 1866 | 5 | xiv | p | 1898 | 18 | vij | g |
| 1867 | 6 | xxv | F | 1899 | 19 | xviij | t |
| 1868 | 7 | vj | f | 1900 | 1 | xxix | N |
| 1869 | 8 | xvij | s | 1901 | 2 | x | k |
| 1870 | 9 | xxviij | M | 1902 | 3 | xxj | B |
| 1871 | 10 | ix | i | 1903 | 4 | ij | b |
| 1872 | 11 | xx | A | 1904 | 5 | xiij | n |
| 1873 | 12 | j | a | 1905 | 6 | xxiv | E |
| 1874 | 13 | xij | m | 1906 | 7 | v | e |
| 1875 | 14 | xxiij | D | 1907 | 8 | xvj | r |
| 1876 | 15 | iv | d | 1908 | 9 | xxvij | H |
| 1877 | 16 | xv | q | 1909 | 10 | viij | h |

# TABELLA TEMPORARIA

EPACTARUM ET LITERARUM MARTYROLOGII.

| ANNO DOMINI | AUR. NUM | EPACTÆ | LIT. MART. | ANNO DOMINI. | AUR. NUM | EPACTÆ. | LIT. MART |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1910 | 11 | xix | u | 1942 | 5 | xiij | u |
| 1911 | 12 | * | P | 1943 | 6 | xxiv | E |
| 1912 | 13 | xj | I | 1944 | 7 | v | e |
| 1913 | 14 | xxij | C | 1945 | 8 | xvj | r |
| 1914 | 15 | iij | c | 1946 | 9 | xxvij* | H |
| 1915 | 16 | xiv | p | 1947 | 10 | viij | h |
| 1916 | 17 | 25 | F | 1948 | 11 | xix | u |
| 1917 | 18 | vj | f | 1949 | 12 | * | P |
| 1918 | 19 | xvij | s | 1950 | 13 | xj | I |
| 1919 | 1 | xxix | N | 1951 | 14 | xxij | C |
| 1920 | 2 | x | k | 1952 | 15 | iij | c |
| 1921 | 3 | xxj | B | 1953 | 16 | xiv | p |
| 1922 | 4 | ij | b | 1954 | 17 | 25 | F |
| 1923 | 5 | xiij | n | 1955 | 18 | vj | f |
| 1924 | 6 | xxiv | E | 1956 | 19 | xvij | s |
| 1925 | 7 | v | e | 1957 | 1 | xxix | N |
| 1926 | 8 | xvj | r | 1958 | 2 | x | k |
| 1927 | 9 | xxvij | H | 1959 | 3 | xxj | B |
| 1928 | 10 | viij | h | 1960 | 4 | ij | b |
| 1929 | 11 | xix | u | 1961 | 5 | xiij | n |
| 1930 | 12 | * | P | 1962 | 6 | xxiv | E |
| 1931 | 13 | xj | I | 1963 | 7 | v | e |
| 1932 | 14 | xxij | C | 1964 | 8 | xvj | r |
| 1933 | 15 | iij | c | 1965 | 9 | xxvij | H |
| 1934 | 16 | xiv | p | 1966 | 10 | viij | h |
| 1935 | 17 | 25 | F | 1967 | 11 | xix | u |
| 1936 | 18 | vj | f | 1968 | 12 | * | P |
| 1937 | 19 | xvij | s | 1969 | 13 | xj | I |
| 1938 | 1 | xxix | N | 1970 | 14 | xxij | C |
| 1939 | 2 | x | k | 1971 | 15 | iij | c |
| 1940 | 3 | xxj | B | 1972 | 16 | xiv | p |
| 1941 | 4 | ij | b | 1973 | 17 | 25 | F |

# RUBRICÆ MARTYROLOGII.

Lectio Martyrologii recitatur quotidie in choro ad Primam ante versum, Pretiósa, excepto triduo ante Pascha, quibus diebus omittitur.

Legitur autem semper præcedenti die lectio illa, quæ memorias Sanctorum sequentis diei continet, præponendo Kalendas, Nonas, vel Idus, et quantitatem Lunæ ejusdem sequentis diei.

Lector non petit benedictionem, sed absolute incipit a Kalendis ut supra : qui etiam in fine leget Lectionem brevem ad absolutionem Capituli.

Festa, de quibus eo die fit Officium, semper primo loco ponuntur : quod etiam servandum erit et in Festis mobilibus, quæ pronuntianda sunt ut infra dicetur; et in Sanctis propriis particularium Ecclesiarum in hoc Martyrologio non appositis, qui in iis tantum Ecclesiis et locis, ubi præcipue memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, si de illis ibidem agatur Officium : si vero non agatur, post Sanctos in hoc Martyrologio descriptos, ordine suo, videlicet Martyres post Martyres, Confessores post Confessores, et Virgines post Virgines.

In fine cujuslibet diei semper additur : Et álibi aliórum plurimórum sanctórum Mártyrum, et Confessórum, atque sanctárum Vírginum. Et respondetur a choro, Deo grátias.

Festa mobilia cum singulis annis mutentur, non potuerunt in Martyrologio adscribi : sed hoc loco posita sunt, ut unumquodque post Kalendarum et Lunæ pronuntiationem, immediate præponantur Lectioni Martyrologii illius diei, in qua eo anno celebrabitur, hoc modo :

Sabbato ante Dominicam secundam post Epiphaniam.

Festum sanctíssimi Nóminis Jesu.

Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ.

Domínica Septuagésimæ in qua depónitur Cánticum Dómini, Allelúia.

Feria tertia post Dominicam Quinquagesimæ.

Dies Cínerum, et inítium jejúnii sacratíssimæ Quadragésimæ.

Feria quinta post Dominicam Passionis.

Festum Septem Dolórum beatíssimæ Vírginis Maríæ.

Sabbato ante Dominicam Palmarum.

Domínica Palmárum, quando Dóminus noster Jesus Christus, juxta

Zachariæ prophetíam, sedens super pullum ásinæ, Jerosólymam intrávit; cui turba cum ramis palmárum óbviam venit.

Feria quarta Majoris Hebdomadæ.

Cœna domínica, quando Christus Jesus, prídie quam pro nostra salúte crucifigerétur, mystéria Córporis et Sánguinis sui discípulis trádidit celebránda.

In die festo Paschæ, antequam legantur Kalendæ.

Hac die quam fecit Dóminus, Solémnitas solemnitátum, et Pascha nostrum: Resurréctio Salvatóris nostri Jesu Christi secúndum carnem.

Deinde pronuntiantur Kalendæ, et Martyrologium sequentis diei.

In Vigilia Ascensionis.

In monte Olivéti Ascénsio Dómini nostri Jesu Christi.

In Vigilia Pentecostes.

Dies Pentecóstes, quando Spíritus sanctus Jerosólymis super discípulos ígneis linguis advénit.

Sabbato infra Octavam Pentecostes.

Festum sacratíssimæ, et indivíduæ Trinitátis.

Feria quarta post Octavam Pentecostes.

Festum sacratíssimi Córporis Christi.

Sabbato ante Dominicam infra Octavam Assumptionis beatæ Mariæ Virginis.

Sancti Jóachim patris beatíssimæ Vírginis genitrícis Dei Maríæ, cujus natális dies refértur tertiodécimo Kaléndas Aprílis.

Sabbato ante Dominicam infra Octavam Nativitatis beatæ Mariæ Virginis.

Festum sanctíssimi Nóminis beátæ Maríæ Vírginis, quod Innocéntius Undécimus ob insígnem victóriam a Christiánis de Turcis reportátam, insultántibus Viénnæ in Aústria partam celebrári mandávit Domínica infra Octávam Nativitátis ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis.

Sabbato ante Dominicam tertiam Septembris.

Festum Septem Dolórum beatíssimæ Vírginis Maríæ.

Sabbato ante Dominicam primam Octobris.

Solémnitas Rosárii beatíssimæ Vírginis Maríæ.

# LECTIONES PER TOTUM ANNUM

## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In Adventu, tam in Dominicis, quam in Feriis, usque ad Vigiliam Nativitatis Domini, Lectio.

Domine miserére nostri : te enim expectávimus : esto bráchium nostrum in mane, et salus nostra in témpore tribulatiónis. Tu autem, Dómine, miserére nobis. ℟. Deo grátias.

In Vigilia Nativitatis Domini, Lectio.

Per quem accépimus grátiam, et apostolátum ad obediéndum fidei in ómnibus géntibus pro nómine ejus, in quibus estis et vos vocáti Jesu Christi Dómini nostri. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

### IN DIE NATIVITATIS DOMINI,

Lectio.

Ipsi períbunt, tu autem permanébis, et omnes sicut vestiméntum veteráscent, et velut amíctum mutábis eos, et mutabúntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festo sancti Stephani Protomartyris, Lectio.

Positis autem génibus, clamávit voce magna, dicens : Dómine ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dómino. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festo sancti Joannis Evangelistæ, Lectio.

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, et implévit illum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus, et stolam glóriæ índuit eum. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festo sanctorum Innocentium, Lectio.

Hi empti sunt ex homínibus primítiæ Deo et Agno, et in ore ipsórum non est invéntum mendácium : sine mácula enim sunt ante thronum Dei. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

Dominica infra Octavam Nativitatis Domini, Lectio.

Itaque jam non est servus, sed filius; quod si filius, et heres per Deum. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In Octava Nativitatis Domini, Lectio.

Ipsi períbunt, tu autem permanébis, et omnes sicut vestiméntum veteráscent, et velut amíctum mutábis eos, et mutabúntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

## IN EPIPHANIA DOMINI,

et per Octavam, Lectio.

Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

Dominica infra Octavam Epiphaniæ, Lectio.

Sicut enim in uno córpore multa membra habémus; ómnia autem membra non eúmdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra : in Christo Jesu Dómino nostro. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

Dominica secunda post Epiphaniam, in festo SS. Nominis Jesu, Lectio.

Omne quodcúmque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi fácite, grátias agéntes Deo, et Patri per ipsum. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In Dominicis diebus, et in feriis per annum, ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ : et ab Octava Pentecostes exclusive usque ad Adventum Domini, Lectio.

Dominus autem dírigat corda et córpora nostra in charitáte Dei, et patiéntia Christi. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In Dominica prima Quadragesimæ, et in aliis Dominicis et feriis usque ad Dominicam Passionis, Lectio.

Quærite Dóminum, dum inveníri potest; invocáte eum, dum prope est. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In Dominica de Passione usque ad feriam quartam majoris Hebdomadæ, Lectio.

Faciem meam non avérti ab increpántibus et conspuéntibus in me. Dóminus Deus auxiliátor meus, ídeo non sum confúsus. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

Feria sexta post Dominicam Passionis, in festo septem Dolorum B. Mariæ Virginis, Lectio.

Generationem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium : propter scelus pópuli mei percússi eum. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

## IN DIE SANCTO PASCHÆ,

et per Octavam, et in omnibus Dominicis et feriis usque ad Ascensionem, Lectio.

Si consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens : quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

## IN ASCENSIONE DOMINI,

et per Octavam, Lectio.

Viri Galilæi quid statis aspiciéntes in cœlum? Hic Jesus qui assúmptus est a vobis in cœlum, sic véniet, quemádmodum vidístis eum eúntem in cœlum. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

Dominica infra Octavam Ascensionis, Lectio.

Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei : si quis minístrat, tamquam ex virtúte, quam adminístrat Deus : ut in ómnibus honorificétur Deus per Jesum Christum Dóminum nostrum. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

## IN DIE SANCTO PENTECOSTES,

et per Octavam, Lectio.

Judæi quoque, et Prosélyti, Cretes, et Arabes audívimus eos loquéntes nostris linguis magnália Dei. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

## IN FESTO SANCTISSIMÆ TRINITATIS,

Lectio.

Tres sunt qui testimónium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spíritus sanctus; et hi tres unum sunt. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

## IN FESTO CORPORIS CHRISTI,

et per Octavam, Lectio.

Quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit Córporis et Sánguinis Dómini. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

Dominica infra Octavam Corporis Christi, Lectio.

Filioli mei, non diligámus verbo, neque lingua, sed ópere et veritáte. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

## PROPRIA SANCTORUM CAPITULA.

In festo sancti Andreæ Apostoli, Lectio.

Isaias enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audiérunt? et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festis sanctarum Virginum et Martyrum Agnetis, et Agathæ, Lectio.

Laudabit usque ad mortem ánima mea Dóminum : quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus noster. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In Conversione sancti Pauli Apostoli, Lectio.

PAULUS autem multo magis convalescébat, et confundébat Judæos qui habitábant Damásci, affirmans quóniam hic est Christus. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In Purificatione beatæ Mariæ Virginis, Lectio.

ET placébit Dómino sacrifícium Juda et Jerúsalem sicut dies sæculi, et sicut anni antíqui, dicit Dóminus omnípotens. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festo sancti Joseph Sponsi beatæ Virginis Mariæ, Lectio.

PROFUGUM Justum dedúxit Sapiéntia per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam Sanctórum, honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festo Annuntiationis beatæ Mariæ, Lectio.

EGREDIETUR virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festivitatibus sanctæ Crucis, Lectio.

HUMILIAVIT semetípsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In Nativitate sancti Joannis Baptistæ, Lectio.

REGES vidébunt et consúrgent Príncipes, et adorábunt Dóminum Deum tuum, et Sanctum Israel, qui elégit te. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Lectio.

ET Petrus ad se revérsus, dixit: Nunc scio vere, quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni expectatióne plebis Judæórum. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In commemoratione sancti Pauli Apostoli, Lectio.

EGO enim sum mínimus Apostolórum, qui non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei. Grátia autem Dei sum id quod sum, et grátia ejus in me vácua non fuit. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festo sancti Petri ad vincula, Lectio.

ET Petrus ad se revérsus, dixit: Nunc scio vere, quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni expectatióne plebis Judæórum. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festo Transfigurationis Domini, Lectio.

SUSTULIT me in spíritu in montem magnum et altum, et osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem, descendéntem de cœlo a Deo,

habéntem claritátem Dei; et lucérna ejus est Agnus. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festo sancti Laurentii, Lectio.

POTENS est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis : ut in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est : Dispérsit, dedit paupéribus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

IN FESTO ASSUMPTIONIS, CONCEPTIONIS,

Nativitatis, SS. Nominis, Præsentationis, Visitationis, de monte Carmelo, ad Nives, de Mercede, SS. Rosarii beatæ Mariæ Virginis, et in officio ejusdem in Sabbato, Lectio.

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festo Septem Dolorum beatissimæ Virginis Mariæ

Dominica tertia Septembris, Lectio.

DEDUC quasi torréntem lácrymas per diem, et noctem : non des réquiem tibi, neque táceat pupílla óculi tui. Tu autem, Dómine.

In festivitatibus sancti Michaelis, Lectio.

FACTUM est prælium magnum in cœlo : Michael et Angeli ejus præliabántur cum dracóne, et draco pugnábat, et Angeli ejus : et non prævaluérunt, neque locus invéntus est eórum ámplius in cœlo. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festo sanctorum Angelorum Custodum, Lectio.

QUOD si audíeris vocem ejus, et féceris ómnia quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis, et affligam affligéntes te : præcedétque te Angelus meus. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM,

et per Octavam, Lectio.

BENEDICTIO, et cláritas, et sapiéntia, et gratiárum áctio, honor, virtus, et fortitúdo Deo nostro in sæcula sæculórum, Amen. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

IN FESTIVITATIBUS APOSTOLORUM,

Lectio.

IBANT Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festivitatibus Apostolorum et Martyrum a Pascha

usque ad Pentecosten, Lectio.

SCIMUS quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum iis, qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In Natali unius Martyris, Lectio.

Justus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In Natalitiis plurimorum Martyrum, Lectio.

Fulgebunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festo Confessorum Pontificum, Lectio.

Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsius, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festo Confessorum non Pontificum, Lectio.

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam Sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festis sanctarum Virginum et Martyrum, Lectio.

Domine Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festis sanctarum Virginum et non Martyrum, Lectio.

O quam pulchra est casta generátio cum claritáte ! immortális est enim memória illíus : quóniam apud Deum nota est, et apud hómines. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festis sanctarum Martyrum tantum, Lectio.

Laudabit usque ad mortem ánima mea Dóminum : quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus noster. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In festis sanctarum mulierum nec Virginum nec Martyrum, Lectio.

Multæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo ; múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Tu autem, Dómine, miserére nobis.


In Dedicatione Ecclesiæ, Lectio.

Et abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce nova fácio ómnia. Tu autem, Dómine, miserére nobis. ℟. Deo grátias.


# MARTYROLOGIUM

IN CHORO CANTATUR IN TONO LECTIONUM MATUTINI HOC MODO :





Et sic terminatur quælibet clausula, etiam in fine Lectionis, præterquam si ultima dictio sit monosyllaba, quæ hoc modo inflectitur :




In Vigilia Nativitatis Domini.




et reliqua, usque ad verba illa, **In Béthlehem Judæ,** in quibus extollitur vox ad quartam superiorem, videlicet :




Versus autem sequens altius in tono Passionis.




Quod sequitur in tono Lectionis consueto.

# MARTYROLOGIUM
## ROMANUM
SINGULIS ANNI DIEBUS JUXTA NOVAM KALENDARII RATIONEM ACCOMMODATUM.

# JANUARIUS.

1 Kalendis Januarii. Luna. A :

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

CIRCUMCISIO Dómini nostri Jesu Christi, et Octáva Nativitátis ejúsdem.

Romæ sancti Almáchii Mártyris, qui, jubénte Alípio Urbis Præfécto, cum díceret: Hódie Octávæ Domínici diéi sunt, cessáte a superstitiónibus idolórum, et a sacrifíciis pollútis: a gladiatóribus occísus est.

Ibídem via Appia corónæ sanctórum Mílitum trigínta Mártyrum sub Diocletiáno Imperatóre.

Item Romæ sanctæ Martínæ Vírginis, quæ sub Alexándro Imperatóre divérsis tormentórum genéribus cruciáta, tandem gládio martyrii palmam adépta est; cujus festívitas celebrátur tértio Kaléndas Februárii.

Apud Spolétum sancti Concórdii Presbyteri, et Mártyris, tempóribus Antoníni Imperatóris; qui primo fústibus cæsus, dehinc equúleo suspénsus, ac póstea in cárcere macerátus, ibíque angélica visitatióne consolátus, demum gládio vitam finívit.

Eódem die sancti Magni Mártyris.

Cæsaréæ in Cappadócia depositio sancti Basílii Epíscopi, cujus celébritas decimooctávo Kaléndas Júlii, qua die ordinátus fuit Epíscopus, potíssimum recólitur.

In Africa beáti Fulgéntii Ecclésiæ Ruspénsis Epíscopi qui, témpore Wandálicæ persecutiónis, ob cathólicam fidem, eximiámque doctrínam

ab Ariánis multa perpéssus, et in Sardíniam relegátus, tandem ad própriam Ecclésiam redíre permíssus, vita, et verbo clarus, sancto fine quiévit.

Teáte in Aprútio citra, natális sancti Justíni ejúsdem civitátis Epíscopi, vitæ sanctitáte, ac miráculis clari.

In território Lugdunénsi, monastério Jurénsium, sancti Eugéndi Abbátis, cujus vita virtútibus et miráculis plena refúlsit.

Apud Silviniácum sancti Odilónis Abbátis Cluniacénsis, qui primus Commemoratiónem ómnium fidélium defunctórum prima die post festum ómnium Sanctórum in suis monastériis fíeri præcépit : quem ritum póstea universális Ecclésia recípiens comprobávit.

Etrúriæ in Monte Senário beáti Bonfílii Confessóris, unius ex septem Institutóribus Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, quam cum impénse coluísset, ab ipsa in cœlum repénte evocátus est.

Alexandríæ depósitio sanctæ Euphrósynæ Vírginis, quæ in monastério virtúte abstinéntiæ ac miráculis cláruit.

℣. Et álibi aliórum plurimórum sanctórum Mártyrum et Confessórum, atque sanctárum Vírginum. ℟. Deo grátias.

Sic semper terminatur Lectio Martyrologii.

xxix. **B** Quarto Nonas Januarii. Luna. 2

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |

Octava sancti Stéphani Protomártyris.

Romæ commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum, qui spreto Diocletiáni Imperatóris edícto, quo tradi sacri Códices jubebántur, pótius córpora carnifícibus, quam sancta dare cánibus maluérunt.

Antiochíæ pássio beáti Isidóri Epíscopi.

Tomis in Ponto sanctórum trium fratrum Argéi, Narcíssi, et Marcellíni púeri, qui sub Licínio Príncipe inter tyrónes comprehénsus, cum nollet militáre, cæsus ad mortem, et diu in cárcere macerátus, demum in mare mersus, martyrium consummávit : fratres vero ejus gládio perémpti sunt.

Mediolàni sancti Martiniáni Epíscopi.

Nitriæ in Ægypto beáti Isidóri Epíscopi et Confessóris.

Ipso die sancti Siridiónis Epíscopi.

In Thebáide sancti Macárii Alexandríni Abbátis.

3 Tertio Nonas Januarii. Luna. C xxviij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |

OCTAVA sancti Joánnis Apóstoli et Evangelistæ.
Romæ via Appia natális sancti Antéri Papæ, qui sub Július Maximíno passus est, et in cœmetério Callisti sepúltus.
Eódem die sancti Petri, qui apud civitátem Aulónam crucis supplício est interémptus.
In Hellespónto sanctórum Mártyrum Cyríni, Primi, et Theógenis.
Cæsaréæ in Cappadócia sancti Górdii Centuriónis, de cujus laúdibus extat præclára Basilíi Magni orátio in ejus die festo hábita.
In Cilícia sanctórum Mártyrum Zózimi, et Athanásii Commentariénsis.
Item sanctórum Theopémpti et Theónæ, qui in persecutióne Diocletiáni illústre martyrium obiérunt.
Patávii sancti Daniélis Mártyris.
Viénnæ in Gálliis sancti Floréntii Epíscopi, qui témpore Galliéni Imperatóris in exílium relegátus, illic martyrium consummávit.
Lutétiæ Parisiórum sanctæ Genovéfæ Vírginis, quæ a beáto Germáno Antisiodorénsi Epíscopo Christo dicáta, admirándis virtútibus et miráculis cláruit.

4 Pridie Nonas Januarii. Luna. D xxvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |

OCTAVA sanctórum Innocéntium.
In Creta natális sancti Titi, qui ab Apóstolo Paulo Creténsium Epíscopus ordinátus, post prædicatiónis offícium fidelíssime consummátum, beátum finem adéptus, sepúltus est in Ecclésia, ubi a beáto Apóstolo dignus miníster fúerat constitútus.
Romæ sanctórum Mártyrum Prisci Presbyteri, et Priscilliáni Clérici, ac Benedíctæ religiósæ féminæ, qui témpore impiíssimi Juliáni gládio martyrium complevérunt.
Item Romæ beátæ Dafrósæ uxóris sancti Flaviáni Mártyris, quæ post interfectiónem viri sui, primum exílio relegáta, deinde sub præfáto Príncipe cápite plexa est.

Bonóniæ sanctórum Hermétis, Aggæi, et Caji Mártyrum, qui sub Maximiáno Imperatóre passi sunt.
Adruméti in Africa commemorátio sancti Mávili Mártyris, qui in persecutióne Sevéri Imperatóris a Scápula sævissimo Præside damnátus ad béstias, martyrii corónam accépit.
Item in Africa præclarissimórum Mártyrum Aquilini, Gémini, Eugénii, Marciáni, Quincti, Theódoti, et Tryphónis.
Apud Língonas sancti Gregórii Episcopi, miráculis clari.
Rhemis in Gállia sancti Rigobérti Episcopi et Confessóris.

xxvi. **E** Nonis Januarii. Luna. 5

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

Vigilia Epiphaniæ Dómini.
Romæ sancti Telesphóri Papæ, qui sub Antonino Pio post multos labóres pro Christi confessióne illústre martyrium duxit.
In Ægypto commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum, qui in Thebáide sub persecutióne Diocletiáni divérso tormentórum génere cæsi sunt.
Antiochiæ sancti Simeónis Mónachi, qui in colúmna stans, multos annos vixit, unde et Stylitæ cognómen accépit: cujus vita et conversátio éxtitit admirábilis.
In Anglia sancti Eduárdi Regis, virtúte castitátis, et grátia miraculórum insígnis: cujus festum ex decréto Innocéntii Papæ Undécimi tértio Idus Octóbris, quando ejus sacrum corpus translátum fuit, celebrátur.
Alexandriæ sanctæ Synclética, cujus res præclare gestas sanctus Athanásius litterárum monuméntis commendávit.
Romæ sanctæ Æmiliánæ Vírginis, ámitæ sancti Gregórii Papæ, quæ, vocánte Tharsílla soróre, quæ ad Deum præcésserat, hac ipsa die migrávit ad Dóminum.
Eódem die sanctæ Apollináris Vírginis.

xxv. 25 **F** Octavo Idus Januarii. Luna. 6

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

Epiphania Dómini.
In território Rheménsi pássio sanctæ Macræ Vírginis, quæ in

persecutióne Diocletiáni, jubénte Rictiováro Præside, cum in ignem esset præcipitáta, et permansísset illæsa, dehinc mamíllis abscíssis, et squalóre cárceris afflícta, super testas étiam acutíssimas ac prunas volutáta, orans migrávit ad Dóminum.

In Africa commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum, qui in persecutióne Sevéri ad palum ligáti, igne consúmpti sunt.

Rhédonis in Gállia sancti Melánii Epíscopi et Confessóris, qui post innumerabílium signa virtútum, júgiter cœlo inténtus gloriósus migrávit a sæculo.

Floréntiæ sancti Andréæ Corsíni Florentíni Carmelítæ, Epíscopi Fesuláni, quem miráculis clarum Urbánus Octávus in Sanctórum númerum rétulit : cujus festívitas prídie Nonas Februárii celebrátur.

Geris in Ægypto sancti Nilammónis reclúsi, qui dum ad Episcopátum traherétur invítus, in oratióne spíritum Deo réddidit.

7 Septimo Idus Januarii. Luna. G xxiv.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

Relatio púeri Jesu de Ægypto.

Eódem die natális beáti Luciáni Antiochénæ Ecclésiæ Presbyteri et Mártyris, qui satis clarus doctrína et eloquéntia, passus est Nicomédiæ ob Christi confessiónem in persecutióne Galérii Maximiáni, sepultúsque est Helenópoli in Bithynia, cujus laudes sanctus Joánnes Chrysóstomus celebrávit.

Antiochíæ sancti Cleri Diáconi, qui pro confessiónis glória séptics tortus, ac diu in cárcere macerátus, ad últimum decollátus, martyrium consummávit.

In civitáte Heracléa sanctórum Mártyrum Felícis et Januárii.

Eódem die sancti Juliáni Mártyris.

In Dánia sancti Canúti Regis et Mártyris : cjus autem festívitas quartodécimo Kaléndas Februárii celebrátur.

Papíæ sancti Crispíni Epíscopi et Confessóris.

In Dácia sancti Nicétæ Epíscopi, qui feras et bárbaras gentes Evangélii prædicatióne mites réddidit ac mansuétas.

In Ægypto beáti Theodóri Mónachi, qui témpore Constantíni Magni flóruit sanctitáte, cujus méminit sanctus Athanásius in vita sancti Antónii.

Barcinóne sancti Raymúndi de Pénnafort, Ordinis Prædicatórum, sanctitáte et doctrína célebris ; festívus vero ejus dies décimo Kaléndas Februárii recólitur.

xxiij. A Sexto Idus Januarii. Luna. 8

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

Bellovaci in Gálliis sanctórum Mártyrum Luciáni Presbyteri, Maximiáni, et Juliáni : quorum duo último a persecutóribus gládio perémpti sunt : beátus autem Luciánus, qui cum sancto Dionysio in Gálliam vénerat, post nímiam cædem, cum Christi nomen viva voce confitéri non timuísset, priórum senténtiam et ipse excépit.

Item sancti Eugeniáni Mártyris.

In Lybia sanctórum Mártyrum Theóphili Diáconi, et Helládii, qui primo laniáti, ac téstulis peracútis compúncti, demum in ignem conjécti, ánimas Deo reddidérunt.

Venétiis depositio beáti Lauréntii Justiniáni Confessóris primi ejúsdem urbis Patriárchæ, quem doctrina et supérnis divínæ sapiéntiæ charismátibus copiosíssime replétum Alexánder Octávus in Sanctórum númerum rétulit, de quo étiam Nonis Septémbris.

Hierápoli in Asia sancti Apollináris Epíscopi, qui sub Marco Antonino Vero sanctitáte atque doctrina flóruit.

Neápoli in Campánia natális sancti Severini Epíscopi, fratris beáti Victoríni Mártyris, qui post multárum virtútum perpetratiónem, plenus sanctitáte quiévit.

Papíæ sancti Máximi Epíscopi et Confessóris.

Metis sancti Patiéntis Epíscopi.

Eodem die apud Nóricos sancti Sevrini Abbátis, qui apud eam gentem Evangélium propagávit, et Noricórum dictus est Apóstolus. Ejus corpus ad Lucullánum prope Neápolim divínitus delátum, inde póstea ad monastérium sancti Severini translátum est.

xxij. B Quinto Idus Januarii. Luna. 9

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

Antiochiæ sub Diocletiáno et Maximiáno natális sanctórum Juliáni Mártyris, et Basilíssæ Virginis uxóris ejus : quæ cum viro suo virginitáte serváta, in pace vitam finívit : Juliánus vero (postquam multitúdo Sacerdótum et Ministrórum Ecclésiæ Christi, quæ propter immanitátem

persecutiónis ad eos confúgerat, igne cremáta est) Marciáni Præsidis jussu plúrimis torméntis cruciátus, capitálem senténtiam accépit : cum quo étiam Antónius Présbyter, et Anastásius, quem ipse Juliánus a morte suscitátum, grátiæ Christi partícipem fécerat, et Celsus puer una cum matre sua Marcionilla, ac septem fratres, aliíque plúrimi passi sunt.

In Mauritánia Cæsariénsi sanctæ Marciánæ Vírginis, quæ béstiis trádita martyrium consummávit.

Smyrnæ sanctórum Mártyrum Vitális, Revocáti, et Fortunáti.

In Africa sanctórum Mártyrum Epictéti, Jucúndi, Secúndi, Vitális, Felícis, et aliórum septem.

Sebáste in Arménia sancti Petri Epíscopi, fratris sancti Basilii Magni.

Ancónæ sancti Marcellini Epíscopi, qui urbem illam (ut sanctus Gregórius scribit) divína virtúte ab incéndio liberávit.

10 Quarto Idus Januarii. Luna. C xxj

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

In Cypro beáti Nicánoris Diáconi de septem primis, qui grátia fídei et virtúte admirándus, gloriosíssime coronátus est.

Romæ sancti Agathónis Papæ, qui sanctitáte et doctrína conspícuus quiévit in pace.

Bituricis in Aquitánia sancti Wilhélmi Archiepíscopi et Confessóris, signis et virtútibus clari, quem Honórius Tértius Sanctórum cánoni adscrípsit.

Mediolâni sancti Joánnis Boni Epíscopi et Confessóris.

In Thebáide natális beáti Pauli primi Eremítæ qui a sextodécimo ætátis suæ anno usque ad centésimum décimum tértium solus in erémo permánsit : cujus ánimam inter Apostolórum et Prophetárum choros ad cœlum ferri ab Angelis sanctus Antónius vidit. Ejus autem dies festus decimooctávo Kaléndas Februárii celebrátur.

Constantinópoli sancti Marciáni Presbyteri.

In Monastério Cuxanénsi natális sancti Petri Urséoli Confessóris, ántea Venetiárum Ducis, et deínde Mónachi Ordinis sancti Benedícti, pietáte et virtútibus clari, cujus Festum recólitur decimonóno Kaléndas Februárii.

xx. D Tertio Idus Januarii. Luna. 11

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

**Romæ** natális sancti Hygíni Papæ, qui in persecutióne Antoníni gloriόse martyrium consummávit.
In Africa beáti Sálvii Mártyris, in cujus die natáli sanctus Augustínus sermónem hábuit ad pópulum Carthaginénsem.
Alexandriæ sanctórum mártyrum Petri, Sevéri, et Leúcii.
Firmi in Picéno sancti Alexándri Epíscopi et Mártyris.
Ambiáni sancti Sálvii Epíscopi et Mártyris.
Brundúsii sancti Leúcii Epíscopi et Confessóris.
In Cappadócia in vico Magariásso sancti Theodósii Cœnobiárchæ, qui multa pro fide cathólica passus, in pace tandem quiévit.
In Thebáide sancti Palæmónis Abbátis, magistri sancti Pachómii.
Suppentóniæ apud montem Soráctem, sancti Anastásii Mónachi, et Sociórum, qui divínitus vocáti migravérunt ad Dóminum.
Papíæ sanctæ Honorátæ Vírginis.

xix. E Pridie Idus Januarii. Luna. 12

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

**Romæ** sanctæ Tatiánæ Mártyris, quæ sub Alexándro Imperatóre uncis atque pectínibus laniáta, béstiis expósita, et in ignem projécta, sed nil læsa, gládio demum percússa migrávit in cœlum.
In Achája sancti Sátyri Mártyris, qui ante quoddam idólum tránsiens; cum exsufflásset in illud, signans sibi frontem, statim idólum córruit, ob quam causam decollátus est.
Eódem die sancti Arcádii Mártyris, génere et miráculis clari.
In Africa sanctórum Mártyrum Zótici, Rogáti, Modésti, Cástuli, et corónæ Mílitum quadragínta.
Constantinópoli sanctórum Tígrii Presbyteri, et Eutrópii Lectóris, qui Arcádii Imperatóris témpore passi sunt.
Tíburе sancti Zótici Mártyris.
Ephesi pássio sanctórum quadragintaduórum Monachórum, qui ob

cultum sanctárum Imáginum sub Constantíno Coprónymo sævíssime cruciáti martyrium complevérunt.
Ravénnæ sancti Joánnis Epíscopi et Confessóris.
Verónæ sancti Probi Epíscopi.
In Anglia sancti Benedícti Abbátis et Confessóris.

13 Idibus Januarii. Luna. F xviij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

Octava Epiphaníæ Dómini.
Romæ via Lavicána corónæ sanctórum Mílitum quadragínta, quas sub Galliéno Imperatóre pro confessióne veræ fídei percípere meruérunt.
In Sardínia sancti Potíti Mártyris, qui sub Antoníno Imperatóre et Gelásio Præside multa passus, demum gládio martyrium consecútus est.
Singidóni in Mysia superióri sanctórum Mártyrum Hérmyli et Stratoníci, qui post sæva torménta sub Licínio Imperatóre in Istrum flumen demérsi sunt.
Córdubæ sanctórum Mártyrum Gumesíndi Presbyteri, et Servidéi Mónachi.
Pictávis in Gállia natális sancti Hilárii Epíscopi et Confessóris, qui ob cathólicam fidem, quam strénue propugnávit, quadriénnio apud Phrygiam relegátus, inter ália mirácula mórtuum suscitávit: ejus autem festívitas sequénti die celebrátur.
Cæsaréæ in Cappadócia sancti Leóntii Epíscopi, qui sub Licínio advérsus Gentíles, et sub Constantíno advérsus Ariános plúrimum decertávit.
Tréviris sancti Agrítii Epíscopi.
In Versíaco monastério sancti Vivéntii Confessóris.
Amaséæ in Ponto sanctæ Gláphyræ Vírginis.
Mediolániin cœnóbio sanctæ Marthæ, beátæ Verónicæ Vírginis de Binásco, Ordinis sancti Augustíni.

14 Decimonono Kalendas Februarii. Luna. G xvij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

Sancti Hilárii Epíscopi Pictaviénsis et Confessóris, qui prídie hujus diéi evolávit in cœlum.

Nolæ in Campánia natális sancti Felícis Presbyteri, qui (ut sanctus Paulínus Epíscopus scribit) cum a persecutóribus post torménta in cárcerem mitterétur, et cócleis ac téstulis vinctus superpósitus jacéret, nocte ab Angelo solútus atque edúctus fuit: póstmodum vero cessánte persecutióne, cum vitæ exémplo ac doctrína multos ad fidem Christi convertísset, clarus miráculis in pace quiévit.

In Judæa sancti Malachíæ Prophétæ.

In monte Sina sanctórum trigintaócto Monachórum a Saracénis ob Christi fidem interfectórum.

In Ægypto in Rhaithi regióne sanctórum quadragintatríum Monachórum, qui pro christiána Religióne a Blémmiis occísi sunt.

Medioláni sancti Datii Epíscopi et Confessóris, cujus méminit beátus Gregórius Papa.

In Africa sancti Euphrásii Epíscopi.

In Syria sancti Juliáni Sabæ senióris, qui Valéntis Imperatóris témpore fidem cathólicam Antiochíæ pene collápsam, virtúte miraculórum eréxit.

Neocæsaréæ in Ponto sanctæ Macrínæ discípulæ beáti Gregórii Thaumatúrgi, áviæ sancti Basilii, quæ eúmdem educávit in fide.

xvj. A Decimooctavo Kalendas Februarii. Luna. 15

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

Sancti Pauli primi Eremítæ, qui quarto Idus Januárii inter Beatórum ágmina translátus fuit.

In território Andegavénsi beáti Mauri Abbátis, discípuli sancti Benedícti, cujus disciplínis ab infántia erudítus, quantum in eis profécerit, inter ália, quæ apud eum pósitus gessit (res nova, et post Petrum pene inusitáta) pédibus super aquas incédens patefécit. In Gállias inde ab eo diréctus, constrúcto ibi célebri monastério, cui quadragínta annis præfuit, miraculórum glória clarus in pace quiévit.

In Judæa sanctórum Hábacuc et Michææ Prophetárum, quorum córpora sub Theodósio senióre divína revelatióne repérta sunt.

Anágniæ sanctæ Secundínæ Vírginis et Mártyris, quæ sub Décio Imperatóre passa est.

Cáralis in Sardínia sancti Ephísii Mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni sub Flaviáno júdice plúrimis torméntis divína virtúte superátis, demum abscíssis cervícibus victor migrávit in cœlum.

Nolæ in Campánia sancti Máximi Epíscopi.

Arvérnis in Gállia sancti Boníti Episcopi et Confessóris.
In Ægypto sancti Macárii Abbátis, discípuli beáti Antónii, vita et miráculis celebérrimi.
Item beáti Isidóri sanctitáte vitæ, fide et miráculis clari.
Romæ sancti Joánnis Calybítæ, qui aliquándiu in ángulo domus patérnæ, deinde in tugúrio in ínsula Tiberína ignótus paréntibus habitávit, a quibus in morte ágnitus, clarus miráculis in eódem loco sepúltus est, ubi póstea in ejus honórem Ecclésia constrúcta fuit.

16 Decimoseptimo Kalendas Februarii. Luna. B xv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

Romæ via Salária natális sancti Marcélli Papæ et Mártyris, qui ob cathólicæ fídei confessiónem, jubénte Maxéntio tyránno, primo fústibus cæsus, deínde ad servítium animálium cum custódia pública deputátus, ibídem serviéndo amíctu indútus cilícino, defúnctus est.
Maróchii in Africa pássio sanctórum Mártyrum Ordinis Minórum, Berárdi, Petri, Accúrsii, Adjúti, et Othónis.
Areláte sancti Honoráti Epíscopi, et Confessóris, cujus vita doctrína et miráculis fuit illústris.
Opitérgii sancti Titiáni Epíscopi et Confessóris.
Rhinocolúræ in Ægypto sancti Melæ Epíscopi, qui sub Valénte exílium, et ália grávia pro fide cathólica passus in pace quiévit.
Fundis in Campánia sancti Honoráti Abbátis, cujus méminit beátus Gregórius Papa.
In monastério Perónæ sancti Furséi Confessóris.
Romæ sanctæ Priscíllæ, quæ se, suáque Mártyrum obséquio mancipávit.

17 Sextodecimo Kalendas Februarii. Luna. C xiv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

In Thebáide sancti Antónii Abbátis, qui multórum Monachórum Pater, vita et miráculis præclaríssimus vixit: cujus gesta sanctus Athanásius insígni volúmine prosecútus est. Ejus autem sacrum corpus sub Justiniáno Imperatóre divína revelatióne repértum, atque Alexandríam delátum, in Ecclésia sancti Joánnis Baptístæ humátum fuit.

Apud Língonas sanctórum tergeminórum, Speusíppi, Eleusíppi, et Meleusíppi, qui cum ávia sua Leonílla martyrio coronáti sunt témpore Marci Aurélii Imperatóris.
Romæ Invéntio sanctórum Mártyrum Diodóri Presbyteri, Mariáni Diáconi et Sociórum, qui sub sancto Stéphano Papa, cum in Arenário natalítia Mártyrum ágerent, obstrúcta a persecutóribus jánua cryptæ, et díruta désuper mole, ipsi quoque martyrium sunt assecúti.
Apud Bitúricas depositio sancti Sulpícii Epíscopi, cognoménto Pii, cujus vita et mors pretiósa gloriósis miráculis commendátur.
Romæ in monastério sancti Andréæ, beatórum Monachórum Antónii, Méruli et Joánnis, de quibus scribit sanctus Gregórius Papa.

xiij. **D** Quintodecimo Kalendas Februarii. Luna. 18

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

CATHEDRA sancti Petri Apóstoli, qua primum Romæ sedit.
Ibídem pássio sanctæ Priscæ Vírginis et Mártyris, quæ sub Claúdio Imperatóre post multa torménta martyrio coronáta est.
In Ponto natális sanctórum Mártyrum Moséi et Ammónii, qui cum essent mílites, primo ad metálla damnáti, novíssime igni tráditi sunt.
Ibídem sancti Athenógenis antíqui Theólogi, qui per ignem consummatúrus martyrium, hymnum lætus cécinit, quem et discípulis scriptum relíquit.
Turónis in Gállia sancti Volusiáni Epíscopi, qui a Gothis captus, in exílio spíritum Deo réddidit.
Ibídem sancti Leobárdi reclúsi, qui mira abstinéntia et humilitáte refúlsit.
In Británnia sancti Deícolæ Abbátis, discípuli beáti Columbáni.
Novocómi sanctæ Liberátæ Vírginis.

xij. **E** Quartodecimo Kalendas Februarii. Luna. 19

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

SANCTI Canúti Regis et Mártyris, cujus dies natális ágitur séptimo Idus Jannárii.
Romæ via Cornélia sanctórum Mártyrum Márii et Marthæ cónjugum,

et filiórum Audífacis et Abachum nobílium Persárum, qui Romam tempóribus Claúdii Príncipis ad oratiónem vénerant: e quibus post tolerátos fustes, equúleum, ignes, ungues férreos, manuúmque præcisiónem, Martha in Nympha necáta est, céteri sunt decolláti, et córpora eórum incénsa.
Smyrnæ natális beáti Germánici Mártyris, qui cum primævæ ætátis venustáte floréret, sub Marco Antoníno et Lúcio Aurélio, per grátiam virtútis Dei metum corpóreæ fragilitátis exclúdens, sponte præparátam sibi béstiam damnátus a Júdice provocávit; cujus déntibus comminútus, vero pani Dómino Jesu Christo, pro ipso móriens, méruit incorporári.
In Africa sanctórum Mártyrum Pauli, Geróntii, Januárii, Saturníni, Succéssi, Július, Cati, Piæ, et Germánæ.
Apud Spolétum pássio sancti Pontiáni Mártyris, témpore Antoníni Imperatóris, quem Fabiánus Judex pro Christo vehementíssime virgis cæsum, jussit super carbónes nudis pédibus ambuláre; a quibus nil læsus, equúleo et uncínis férreis jussus est suspéndi, et sic in cárcerem trudi, ubi angélica visitatióne méruit confortári, postque leónibus expósitus, et plumbo fervénti perfúsus, tandem gládio percússus est.
Laudæ sancti Bassiáni Episcopi et Confessóris, qui advérsus hæréticos una cum sancto Ambrósio strénue decertávit.
Wigórni in Anglia sancti Wolstáni Epíscopi et Confessóris méritis et miráculis conspícui, ab Innocéntio Tértio inter Sanctos reláti.

20 Tertiodecimo Kalendas Februarii. Luna. F xj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

ROMÆ natális sancti Fabiáni Papæ, qui témpore Décii martyrium passus, in cœmetério Callísti sepúltus est.
Ibídem ad Catacúmbas sancti Sebastiáni Mártyris, qui Diocletiáno Imperatóre cum habéret principátum primæ cohórtis, sub título christianitátis jussus est ligári in médio campo, et sagittári a milítibus, atque ad últimum fústibus cædi, donec defíceret.
Nicææ in Bithynia sancti Neóphiti Mártyris, qui quintumdécimum annum ætátis agens, flagris cæsus, in fornácem immíssus, feris objéctus, cum permanéret illæsus, et Christi fidem constánter profiterétur, gládio tandem occísus est.
Cesénæ sancti Mauri Epíscopi, virtútibus et miráculis clari.

In Palæstína natális sancti Euthymii Abbátis, qui zelo cathólicæ disciplínæ, et virtúte miraculórum, témpore Marciáni Imperatóris in Ecclésia flóruit.

x. G Duodecimo Kalendas Februarii. Luna. 21

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

Romæ pássio sanctæ Agnétis Vírginis, quæ sub Præfécto Urbis Symphrónio ignibus injécta, sed iis per oratiónem ejus extínctis, gládio percússa est. De ea beátus Hierónymus hæc scribit : Omnium géntium lítteris atque linguis, præcípue in Ecclésiis, Agnétis vita laudáta est, quæ et ætátem vicit et tyránnum, et títulum castitátis martyrio consecrávit.

Athénis natále sancti Públii Epíscopi, qui post sanctum Dionysium Areopagítam Atheniénsium Ecclésiam nobíliter rexit, et præclárus virtútibus, ac doctrína præfúlgens, ob Christi martyrium glorióse coronátur.

Tarracóne in Hispánia sanctórum Mártyrum Fructuósi Epíscopi, Augúrii et Eulógii Diaconórum, qui témpore Galliéni, primo in cárcerem trusi, deinde flammis injécti, exústis vínculis, mánibus in modum crucis expánsis, orántes martyrium complevérunt : in quorum die natáli sanctus Augustínus sermónem ad pópulum hábuit.

Trecis sancti Pátrocli Mártyris, qui sub Aureliáno Imperatóre martyrii corónam proméruit.

In Gálliis in monastério Augiénsi sancti Meinárdi Eremítæ a latrónibus cæsi.

Papiæ sancti Epiphánii Epíscopi et Confessóris.

ix. A Undecimo Kalendas Februarii. Luna. 22

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

Valentiæ in Hispánia Tarraconénsi sancti Vincéntii Levítæ et Mártyris qui sub Daciáno impiíssimo Præside cárceres, famem, equúleum, distorsiónes membrórum, láminas candéntes, cratem férream ignítam, aliáque tormentórum génera perpéssus, ad martyrii præmium evolávit in cœlum : cujus passiónis nóbilem triúmphum Prudéntius

luculénter vérsibus exéquitur, et beátus Augustínus, ac sanctus Leo Papa summis laúdibus comméndant.

Romæ ad Aquas Sálvias sancti Anastásii Persæ Mónachi, qui post plúrima torménta cárceris, vérberum, et vinculórum, quæ in Cæsaréa Palæstínæ perpéssus fúerat, a Chósroe Persárum Rege multis pœnis afféctus, ad últimum decollátus est, cum prius septuaginta sócios in fluénta demérsos ad martyrium præmisísset. Ejus caput Romam delátum est una cum veneránda ejus imágine : cujus aspéctu fugári dæmones, morbósque curári, acta secúndi Concílii Nicæni testántur.

Ebredúni in Gállia sanctórum Mártyrum Vincéntii, Oróntii, et Victóris, qui in persecutióne Diocletiáni martyrio coronáti sunt.

Nováriæ sancti Gaudéntii Epíscopi et Confessóris.

Soræ sancti Domínici Abbátis, miráculis clari.

23 Decimo Kalendas Februarii. Luna. B viij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

BARCINONE sancti Raymúndi de Pénnafort; de ejus autem natáli ágitur séptimo Idus Januárii.

Romæ sanctæ Emerentiánæ Vírginis et Mártyris, quæ adhuc catechúmena, dum oráret ad sepúlchrum sanctæ Agnétis, cujus fúerat collactánea, a Gentílibus lapidáta est.

Philíppis in Macedónia sancti Pármenæ, qui fuit unus de septem primis Diáconis. Hic tráditus grátiæ Dei, injúnctum sibi a frátribus offícium prædicatiónis plena fide consúmmans, sub Trajáno martyrii glóriam est adéptus.

Cæsaréæ in Mauritánia sanctórum Mártyrum Severiáni et Aquilæ uxóris ejus ígnibus combustórum.

Apud Antinoum Ægypti urbem sancti Asclæ Mártyris, qui post divérsa torménta pretiósam Deo ánimam, in flumen præcipitátus, réddidit.

Ancyræ in Galátia sancti Cleméntis Epíscopi, qui sæpius cruciátus, tandem sub Diocletiáno martyrium consummávit.

Ibídem sancti Agathángeli, qui eódem die sub Lúcio Præside passus est.

Alexandríæ sancti Joánnis Eleemosynárii, ejúsdem urbis Epíscopi, misericórdia in paúperes celebérrimi.

Toléti sancti Ildefónsi Epíscopi, qui ob singulárem vitæ integritátem, susceptámque defensiónem advérsus hæréticos, Dei Genitrícis virginitátem impugnántes, ab eádem candidíssima veste donátus est, ac demum sanctitáte célebris in cœlum vocátus.

In Provincia Valériæ sancti Martyrii Mónachi, cujus méminit beátus Gregórius Papa.

vij. C Nono Kalendas Februarii. Luna. 24

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

Natalis sancti Timóthei discípuli beáti Pauli Apóstoli, qui ab eódem Ephesi ordinátus Epíscopus, post multos pro Christo agónes, cum Diánæ immolántes argúeret, lapídibus óbrutus, paulo post obdormívit in Dómino.

Antiochíæ sancti Bábilæ Epíscopi, qui in persecutióne Décii, posteáquam frequénter passiónibus suis, ac cruciátibus glorificáverat Deum, gloriósæ vitæ finem sortítus est in vínculis férreis, cum quibus et suum corpus sepelíri mandávit. Referúntur étiam passi cum eo tres púeri, Urbánus, Prilidiánus et Epolónius, quos ille in fide Christi instrúxerat.

Neocæsaréæ sanctórum Mártyrum Mardónii, Musónii, Eugénii et Metélli, qui omnes igni tráditi sunt, et eórum relíquiæ in flumen dispérsæ.

Fulgínii sancti Feliciáni, qui a Victóre Papa ejúsdem civitátis Epíscopus ordinátus, post multos labóres in última senectúte sub Décio martyrio coronátur.

Item sanctórum Mártyrum Thyrsi et Projécti.

Bonóniæ sancti Zamæ primi ejúsdem civitátis Epíscopi, qui a sancto Dionysio Románo Pontífice ordinátus, illic christiánam fidem miríficc propagávit.

Item beáti Suráni Abbátis, qui témpore Longobardórum sanctitáte flóruit.

vj. D Octavo Kalendas Februarii. Luna. 25

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

Conversio sancti Pauli Apóstoli, quæ fuit secúndo ab Ascensióne Dómini anno.

Apud Damáscum natális sancti Ananíæ, qui eúmdem Apóstolum baptizávit. Hic cum Damásci, et Eleutherópoli, alibíque Evangélium prædicásset, sub Licínio júdice nervis cæsus et laniátus, demum lapídibus oppréssus martyrium consummávit.

Antiochíæ sanctórum Mártyrum Juventíni et Máximi, qui sub Juliáno Apóstata martyrio coronáti sunt, in quorum die natáli sanctus Joánnes Chrysóstomus sermónem ad pópulum hábuit.

Arvérnis sanctórum Projécti Epíscopi, et Maríni viri Dei, qui a procéribus ejúsdem urbis passi sunt.

Item sanctórum Mártyrum Donáti, Sabíni, et Agapis.

Tomis in Scythia sancti Bretannniónis Epíscopi, qui mira sanctitáte, et zelo cathólicæ fídei sub Valénte Imperatóre Ariáno, cui fórtiter réstitit, in Ecclésia flóruit.

Atrébati in Gálliis sancti Poppónis Abbátis, miráculis clari.

26 Septímo Kalendas Februarii. Luna. E v.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

SMYRNÆ natális sancti Polycárpi, qui beáti Joánnis Apóstoli discípulus, et ab eo ejúsdem civitátis Epíscopus ordinátus, totíus Asiæ Princeps fuit: póstea sub Marco Antoníno et Lúcio Aurélio Cómmodo, sedénte Procónsule, et univérso pópulo in amphitheátro advérsus eum personánte, igni tráditus est; et cum ab eo mínime læderétur, gládio confóssus, martyrii corónam accépit; cum quo étiam álii duódecim ex Philadélphia veniéntes in præfáta urbe martyrio consummáti sunt.

Hipponerégio in Africa sanctórum Theógenis Epíscopi, et aliórum trigíntasex, qui in persecutióne Valeriáni contemnéntes temporálem mortem, corónam vitæ ætérnæ adépti sunt.

Apud Béthlehem Judæ dormítio sanctæ Paulæ Víduæ, matris Eustóchii Vírginis Christi: quæ cum esset e nobilíssimo Senatórum génere, renúntians século, et facultátes suas paupéribus distríbuens, ad Præsépe Dómini se recépit; ubi multis virtútibus prædita, et longo coronáta martyrio, ad cœléstia regna transívit: cujus vitam virtútibus admirándam sanctus Hierónymus scripsit.

In território Parisiénsi sanctæ Bathíldis Regínæ, sanctitáte et miraculórum glória illústris.

iv. **F** Sexto Kalendas Februarii. Luna. 27

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

CONSTANTINOPOLI sancti Joánnis Epíscopi, propter aúreum eloquéntiæ flumen cognoménto Chrysóstomi, qui verbo et exémplo Christiánæ religióni plúrimum prófuit, et post multos labóres, in exílio vitam finívit. Ejus sacrum corpus sub Theodósio junióre hac die Constantinópolim, inde póstea Romam translátum, in Basílica Príncipis Apostolórum cónditum fuit.

Soræ sancti Juliáni Mártyris, qui in persecutióne Antoníni comprehénsus, cum idolórum templum, dum ipse torquerétur, corruísset, truncáto cápite, martyrii corónam accépit.

In Africa sancti Avíti Mártyris.

Ibídem sanctórum Mártyrum, Dátii, Reátri, et Sociórum, qui in persecutióne Wandálica passi sunt.

Item sanctórum Datívi, Juliáni, Vincéntii, atque aliórum vigintiséptem Mártyrum.

Romæ sancti Vitaliáni Papæ.

Apud Cenomános depositio sancti Juliáni primi ejúsdem urbis Epíscopi, quem sanctus Petrus illuc ad prædicándum Evangélium misit.

In monastério Bobacénsi sancti Mauri Abbátis.

Brixiæ sanctæ Angelæ Meríci Vírginis Institutrícis Societátis Moniálium sanctæ Ursulæ, quarum præcípuum munus esset dirígere adolescéntulas in vias Dómini. Ejus Festum prídie Kaléndas Júnii Pius Séptimus recoléndum indúlsit.

iij. **G** Quinto Kalendas Februarii. Luna. 28

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

ROMÆ sanctæ Agnétis secúndo.

Ibídem sancti Flaviáni Mártyris, qui sub Diocletiáno passus est.

Apolloniæ, sanctórum Mártyrum Thyrsi, Leúcii et Calliníci, qui témpore Décii Imperatóris váriis tormentórum genéribus cruciáti, primus et últimus abscissióne cápitis, médius cœlésti voce evocátus spíritum reddens, martyrium consummárunt.

In Thebáide sanctórum Mártyrum Leónidis et Sociórum, qui témpore Diocletiáni palmam martyrii sunt assecúti.
Alexandríæ commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum, qui hac ipsa die factióne Syriáni Ducis Ariáni, dum in Ecclésia synáxim ágerent, divérso mortis génere sunt interémpti.
Item sancti Cyrilli ejúsdem urbis Epíscopi, qui Cathólicæ fídei præclaríssimus propugnátor, doctrína et sanctitáte illústris quiévit in pace.
Cæsaraugústæ sancti Valérii Epíscopi.
Conchæ in Hispánia natális sancti Juliáni Epíscopi, qui érogans in paúperes bona Ecclésiæ, ópera mánuum sibi more Apostólico victum quærens, clarus miráculis quiévit in pace.
In monastério Rheménsi depositio sancti Joánnis Presbyteri, viri Dei.
In Palæstína sancti Jacóbi Eremítæ, qui post lapsum, diu in sepúlchro pœniténtiæ causa látuit, et clarus miráculis migrávit ad Dóminum.

29 Quarto Kalendas Februarii. Luna. A ij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

LUGDUNI in Gállia sancti Francísci Salésii Epíscopi Gebennénsis Confessóris, de quo ágitur quinto Kaléndas Januárii.
Romæ via Nomentána natális sanctórum Mártyrum Pápiæ et Mauri mílitum témpore Diocletiáni Imperatóris : quorum ora jussit Laodícius Urbis Præféctus ad primam Christi confessiónem lapídibus contúndi, et sic eos in cárcerem trudi, ac póstea fústibus cædi, atque ad últimum plumbátis pércuti, donec expiráront.
Perúsiæ sancti Constántii Epíscopi et Mártyris, qui una cum sóciis sub Marco Aurélio Imperatóre ob fídei defensiónem martyrii corónam accépit.
Edéssæ in Syria sanctórum Mártyrum Sarbélii et Bárbeæ soróris ejus, qui a beáto Barsimæo Epíscopo baptizáti, in persecutióne Trajáni sub Lysia Præside martyrio coronáti sunt.
In território Tricassíno sancti Sabiniáni Mártyris, qui, jubénte Aureliáno Imperatóre, pro fide Christi decollátus est.
Mediolàni sancti Aquilíni Presbyteri, qui ab Ariánis gládio in gútture transverberátus, martyrio coronátur.
Tréviris depositio beáti Valérii Epíscopi, discípuli sancti Petri Apóstoli.
Apud Bitúricas sancti Sulpícii Sevéri Epíscopi, virtútibus et erudítióne conspícui.

j. B Tertio Kalendas Februarii. Luna. 30

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

Romæ sanctæ Martínæ Vírginis et Mártyris, cujus natális memória Kaléndis Januárii recólitur.

Antiochíæ pássio beáti Hippólyti Presbyteri, qui Nováti schísmate aliquántulum decéptus, sed operánte grátia Christi corréctus, ad unitátem Ecclésiæ rédiit, pro qua, et in qua póstea illústre martyrium consummávit. Hic rogátus a suis, quænam secta vérior esset, execrátus dogma Nováti, eam fidem dicens esse servándam, quam Petri Cáthedra custodíret, júgulum præbuit.

In Africa pássio sanctórum Mártyrum Feliciáni, Philappiáni, et aliórum centum vigintiquátuor.

Edéssæ in Syria sancti Barsimæi Epíscopi, qui cum Gentíles plúrimos convertísset ad fidem, et præmisísset ad corónam, eos secútus est sub Trajáno cum palma martyrii.

Ibídem sancti Barsen Epíscopi, grátia curatiónum illústris, qui a Valénte Imperatóre Ariáno in extrémas illíus regiónis oras ob fidem cathólicam relegátus, vitam finívit.

Item beáti Alexándri, qui in persecutióne Décii comprehénsus, longævæ ætátis veneránda canítie, et confessióne iteráta resplendens, inter carníficum torménta réddidit spíritum.

Jerosólymis natális sancti Mathíæ Epíscopi, de quo mira et plena fide gesta narrántur: qui sub Hadriáno multa pro Christo perpéssus, demum in pace quiévit.

Romæ sancti Felícis Papæ, qui pro fide cathólica plúrimum laborávit.

Papíæ sancti Armentárii Episcopi et Confessóris.

In Malbódio Hannóniæ monastério sanctæ Aldegúndis Vírginis, témpore Dagobérti Regis.

Medioláni sanctæ Savínæ féminæ religiosíssimæ, quæ ad sepúlchra sanctórum Náboris et Felícis Mártyrum orans, obdormívit in Dómino.

Vitérbii, sanctæ Hyacínthæ de Mariscóttis Virginis tértii Ordinis sancti Francísci, Sanctimoniális pœniténtia, et charitáte insignis, quam Benedíctus Tertiusdécimus Beátis, et Pius Séptimus Sanctis adscrípsit.

31 Pridie Kalendas Februarii. Luna. C *

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

Barcinone in Hispánia sancti Petri Nolásco Confessóris, qui obdormívit in Dómino octávo Kaléndas Januárii.
Romæ via Portuénsi sanctórum Mártyrum Cyri et Joánnis, qui post multa torménta pro confessióne Christi cápite truncáti sunt.
Alexandríæ natális sancti Metráni Mártyris, qui sub Décio Imperatóre, cum ad jussiónem Paganórum nollet ímpia verba proférre, illi totum ejus corpus fústibus collisérunt, vultúmque et óculos præacútis cálamis terebrántes, ipsum extra urbem cum cruciátibus expulérunt, ibíque lapídibus oppréssum interemérunt.
Ibídem sanctórum Mártyrum Saturníni, Thyrsi et Victóris.
In eádem civitáte sanctórum Mártyrum Tharsícii, Zótici, Cyríaci, et Sociórum.
Cyzici in Hellespónto sanctæ Triphénis Mártyris, quæ plúrimis torméntis superátis, a tauro demum necáta, martyrii palmam proméruit.
Mútinæ sancti Geminiáni Epíscopi, miraculórum glória illústris.
In Província Mediolanénsi sancti Július Presbyteri et Confessóris, témpore Imperatóris Theodósii.
Romæ sanctæ Marcéllæ Víduæ, cujus præcláras laudes beátus Hierónymus scripsit.
Ibídem beátæ Ludovícæ Albertóniæ Víduæ Románæ, Tértii Ordinis sancti Francísci, virtútibus claræ.
Eódem die Translátio sancti Marci Evangelístæ, cum sacrum ejus corpus ex Alexandría Ægypti urbe, a Bárbaris tunc occupáta, Venétias allátum, ibídem in majóri Ecclésia ejus nómine consecráta honorificentíssime cónditum fuit.

# FEBRUARIUS

xxix. **D** Kalendis Februarii. Luna. **1**

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| **3** | **4** | **5** | **6** | **7** | **8** | **9** | **10** | **11** | **12** | **13** | **14** | **15** | **16** | **17** | **18** | **19** | **20** | **21** |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| **22** | **23** | **24** | **25** | **26** | **27** | **27** | **28** | **29** | **30** | **1** | **2** |

**Natalis sancti Ignátii Epíscopi et Mártyris, qui tértius post beátum Apóstolum Petrum Antiochénam rexit Ecclésiam, atque in persecutióne Trajáni damnátus ad béstias, Romam vinctus míttitur, jubénte Trajáno, ubi, circumsedénte Senátu, immaníssimis pœnárum supplíciis primo affléctus, leónibus dehinc objícitur, quorum déntibus præfocátus, Hóstia Christi effícitur.**

**Smyrnæ sancti Piónii Presbyteri et Mártyris, qui post apologías pro fide Christiána conscríptas, post squalórem cárceris, ubi multos fratrum ad martyrii toleránitiam suis exhortatiónibus roborávit, cruciátibus multis vexátus, clavis confíxus, et ardénti rogo superpósitus, beátum pro Christo finem sortítus est : cum quo et álii quíndecim passi sunt.**

**Ravénnæ sancti Sevéri Epíscopi, qui ob præclára mérita signo colúmbæ fuit eléctus.**

**In Gállia civitáte Tricastína sancti Pauli Epíscopi, cujus vita virtútibus cláruit, et mors pretiósa miráculis commendátur.**

**Eódem die sancti Ephrem Edessénæ Ecclésiæ Diáconi, qui post multos labóres pro fide Christi suscéptos, sub Valénte Imperatóre sanctitáte et doctrína conspícuus quiévit in Dómino.**

**In Scótia sanctæ Brígidæ Vírginis, quæ cum lignum altáris tetigísset, in testimónium virginitátis suæ, statim víride factum est.**

**Apud Castrum Florentínum in Etrúria beátæ Veridiánæ Vírginis reclúsæ Ordinis Vallisumbrósæ.**

xxviij. **E** Quarto Nonas Februarii. Luna. **2**

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| **4** | **5** | **6** | **7** | **8** | **9** | **10** | **11** | **12** | **13** | **14** | **15** | **16** | **17** | **18** | **19** | **20** | **21** | **22** |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| **23** | **24** | **25** | **26** | **27** | **28** | **28** | **29** | **30** | **1** | **2** | **3** |

**Purificatio Beátæ Maríæ Vírginis, quæ a Græcis Hypapánte Dómini appellátur.**

Romæ via Salária pássio sancti Aproniáni Commentariénsis, qui adhuc Gentílis, cum sanctum Sisinium e cárcere edúceret, ut Laodicio Præfécto præsentáret, vocémque e cœlo factam audiret, Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum, quod vobis parátum est a constitutióne mundi, credens baptizátur, et póstea in confessióne Dómini finem vitæ capitáli senténtia accépit.

Item Romæ sanctórum Mártyrum Fortunáti, Feliciáni, Firmi, et Cándidi.

Cæsaréæ in Palæstina sancti Cornélii Centuriónis, quem beátus Petrus Apóstolus baptizávit, et apud præfátam urbem Episcopáli honóre sublimávit.

Aureliáni sancti Flósculi Epíscopi.

Cantuáriæ in Anglia natális sancti Lauréntii Epíscopi, qui post sanctum Augustínum eam Ecclésiam gubernávit, et Regem ipsum ad fidem convértit.

3 Tertio Nonas Februarii. Luna. F xxvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |

Sebaste in Arménia pássio sancti Blásii Epíscopi et Mártyris, qui multórum patrátor miraculórum, sub Agricoláo Præside post diútinam cæsiónem, atque in ligno suspensiónem, ubi férreis pectínibus carnes ejus dirúptæ sunt : post tetérrimum cárcerem, et in lacum demersiónem, unde salvus exívit, jubénte eódem Júdice, una cum duóbus púeris cápite truncátur. Ante eum vero septem Mulíeres, quæ guttas Sánguinis ejus defluéntes, dum torquerétur, colligébant, deprehénsæ, quod essent Christiánæ, post dira torménta gládio percússæ sunt.

In Africa sancti Celeríni Diáconi, qui decem et novem dies custódia cárceris septus, in nervo et ferro, variísque pœnis gloriósus fuit Christi Conféssor : et dum inexpugnábili firmitáte certáminis sui adversárium vicit, vincéndi céteris viam fecit.

Item sanctórum Mártyrum, Laurentíni ejus pátrui, Ignátii avúnculi, et Celerínæ áviæ, qui ántea martyrio coronáti fúerant : de quorum ómnium gloriósis laúdibus extat beáti Cypriáni Epístola.

Ibidem sanctórum Mártyrum Felícis, Symphrónii, Hippólyti, et Sociórum.

In óppido Vapíngo sanctórum Tigidis et Remédii Episcopórum.

Lugdúni sanctórum Lupicíni et Felícis itidem Episcopórum.

Eódem die sancti Anschárii Breménsis Epíscopi, qui Suévos et Danos ad fidem Christi convértit.

xxvj. 25 G Pridie Nonas Februarii. Luna. 4

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

Florentiæ sancti Andréæ Corsíni Epíscopi Fesuláni, cujus natális ágitur octávo Idus Januárii.

Romæ sancti Eutychii Mártyris, qui illústre martyrium consummávit, sepultúsque est in cœmetério Callísti : cujus sepúlchrum sanctus Dámasus Papa vérsibus exornávit.

Forosemprónii sanctórum Mártyrum Aquilíni, Gémini, Gelásii, Magni, et Donáti.

Thmuis in Ægypto pássio beáti Philææ ejúsdem civitátis Epíscopi, et Philóromi Tribúni mílitum, qui in persecutióne Diocletiáni, cum a cognátis et amícis suadéri non possent, ut sibi párcerent, ambo datis cervícibus palmas a Dómino meruérunt : cum quibus étiam innúmera multitúdo fidélium ex cádem urbe, pastóris sui sequens exémplum, martyrio coronáta est.

Eódem die sancti Rembérti Breménsis Epíscopi.

Threcis sancti Aventíni Confessóris.

Pelúsii in Ægypto sancti Isidóri Mónachi, méritis et doctrína conspícui.

Eódem die sancti Gilbérti Confessóris.

In óppido Amatrícis Reatínæ diœcésis depositio sancti Joséphi a Leonissa, Ordinis Minórum Capuccinórum, quem ob fidei prædicatiónem a Mahumetánis dira perpéssum, Apostólicis labóribus et miráculis clarum Benedictus decimusquártus Póntifex Máximus in Sanctórum Confessórum cánonem rétulit.

xxv xxiv. A Nonis Februarii. Luna. 5

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

Catanæ in Sicília natális sanctæ Agathæ Vírginis et Mártyris, quæ tempóribus Décii Imperatóris sub Quinctiáno Júdice post álapas et cárcerem, post equúleum, et torsiónes, post mamillárum abscissiónem,

post volutatiónem in téstulis et carbónibus, tandem in cárcere Deum precándo consummáta est.

In Ponto commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum, quorum álii in persecutióne Maximiáni plumbo liquénti perfúsi, álii acútis arundínibus in únguibus cruciáti, ac multis horréndis torméntis vexáti, iisdémque sæpius iterátis, palmas a Dómino et corónas illústri passióne meruérunt.

Alexandríæ sancti Isidóri Mártyris, qui in persecutióne Décii a Numeriáno exércitus duce pro fide Christi cápite cæsus est.

In regno Japóniæ pássio vigíntisex Mártyrum, qui pro cathólica fide in crucem acti, et lanceárum íctibus perfóssi, inter divínas laudes, ejusdémque fídei prædicatiónem glorióse occubuérunt.

Viénnæ beáti Avíti Epíscopi, et Confessóris, cujus fide, indústria, atque admirábili doctrína ab infestatióne Ariánæ hæresis Gálliæ defénsæ sunt.

Brixinóne sanctórum Episcopórum Genuíni et Albíni quorum vita miráculis éxtitit glorióa.

6 Octavo Idus Februarii. Luna. B xxiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

Cæsareæ in Cappadócia natális sanctæ Dorótheæ Vírginis et Mártyris, quæ sub Saprício illíus Provínciæ Præside primum equúlei extensióne vexáta, dehinc palmis diutíssime cæsa, ad últimum capitáli senténtia puníta est: in cujus confessióne Theóphilus quidam scholásticus ad Christi fidem convérsus, et mox equúleo acérrime tortus, novíssime gládio cæsus est.

Eódem die sanctórum Mártyrum Saturníni, Theóphili, et Revocátæ.

Emessæ in Phænícia sancti Silváni Episcopi, qui cum eídem Ecclésiæ annis quadragínta præfuísset, sub Maximiáno Imperatóre una cum duóbus áliis objéctus feris, membratímque discérptus, martyrii palmam accépit.

Arvérnis in Gállia sancti Antholiáni Mártyris.

Eódem die sanctórum Episcopórum Vedásti et Amándi, quorum vita et mors plúrimis miráculis éxtitit glorióa: e quibus prior Atrebaténsium, alter vero Trajecténsium rexit Ecclésiam.

Bonóniæ sancti Guaríni Epíscopi Cardinális Prænestíni, vitæ sanctitáte conspícui.

xxij. C Septimo Idus Februarii. Luna. 7

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

Sancti Romuáldi Abbátis, Monachórum Camaldulénsium Patris, cujus dies natális ágitur tertiodécimo Kaléndas Júlii.

Augústæ in Británnia natális beáti Aúguli Epíscopi, qui ætátis cursum per martyrium explens, ætérna præmia suscipere méruit.

In Phrygia sancti Adaúci Mártyris, qui ex Itália génere clarus, et omni fere dignitátum gradu ab Imperatóribus honorátus, dum adhuc Quæstóris offício fungerétur, martyrii coróna pro fídei defensióne dignátus est.

Item plurimórum sanctórum Mártyrum urbis uníus cívium, quorum dux erat idem Adaúcus: qui cum omnes Christiáni essent, et constánter in fídei confessióne persísterent, a Galério Maximiáno Imperatóre igne consúmpti sunt.

Heracléæ sancti Theodóri ductóris mílitum, qui Licínio imperánte, post multa torménta truncátus cápite, victor migrávit in cœlum.

In Ægypto sancti Moysis Epíscopi venerábilis, qui primum in erémo vitam solitáriam duxit; deinde, peténte Maúvia Regina Sarracenórum, Epíscopus factus, gentem illam ferocíssimam magna ex parte ad fidem convértit, et gloriósus méritis quiévit in pace.

Lucæ in Túscia depositio sancti Richárdi Regis Anglórum.

Bonóniæ sanctæ Juliánæ Víduæ.

xxj. D Sexto Idus Februarii. Luna. 8

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

Sancti Joánnis de Matha Confessóris, Ordinis sanctíssimæ Trinitátis Redemptiónis Captivórum Institutóris, qui sextodécimo Kaléndas Januárii obdormívit in Dómino.

Item sancti Hierónymi Æmiliáni Confessóris Congregatiónis Somáschæ Fundatóris, qui sexto Idus Februárii obdormívit in Dómino, et a Cleménte Decimotértio inter Sanctos fuit relátus, ejus Festo assignáto tertiodécimo Kaléndas Augústi.

Romæ sanctórum Mártyrum Pauli, Lúcii, et Cyríaci.

In Arménia minóri natális sanctórum Mártyrum Dionysii , Æmiliáni , et Sebastiáni.

Alexandríæ pássio sanctæ Coínthæ Mártyris sub Décio Imperatóre , quam Pagáni corréptam , ad idóla perducéntes , adoráre cogébant : quod cum illa éxecrans recusáret, pedes ejus vínculis innecténtes, et eam per platéas civitátis trahéntes horréndo supplício discerpsérunt.

Constantinópoli natális sanctórum Mártyrum Monachórum monastérii Dii, qui ob defensiónem fídei Cathólicæ, cum ferrent lítteras sancti Felícis Papæ advérsus Acácium, diríssime cæsi sunt.

In Pérside commemorátio sanctórum Mártyrum, qui sub Cábade Rege Persárum ob Christiánam fidem divérsis suppliciis necáti sunt.

Papíæ sancti Juvéntii Epíscopi, qui strénue in Evangélio laborávit.

Medioláni depositio sancti Honoráti Epíscopi et Confessóris.

Virodúni in Gállia sancti Pauli Epíscopi, miraculórum glória illústris.

Apud Murétum in agro Lemovicénsi natális sancti Stéphani Abbátis , Ordinis Grandimonténsis Institutóris, virtútibus et miráculis clari.

In Monastério Vallisumbrósæ beáti Petri Cardinális, et Episcopi Albanénsis , Congregatiónis Vallisumbrósæ Ordinis sancti Benedícti, cognoménto Ignei , quia per ignem illæsus transívit.

9 Quinto Idus Februarii. Luna. E xx.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

Alexandríæ natális sanctæ Apollóniæ Vírginis, cui persecutóres sub Décio dentes omnes primum excussérunt : deínde constrúcto ac succénso rogo, cum comminaréntur vivam se eam incensúros, nisi cum eis ímpia verba proférret; illa paúlulum intra semetípsam delíberans, repénte se de mánibus impiórum proripuit, et in ignem, quem paráverant, majóri sancti Spíritus flamma intus accénsa, sponte prosilívit, ita ut perterreréntur étiam ipsi crudelitátis auctóres, quod prómptior invénta esset ad mortem fémina , quam persecútor ad pœnam.

Romæ pássio sanctórum Mártyrum Alexándri, et aliórum trigintaócto Coronatórum.

Soli in Cypro sanctórum Mártyrum Ammónii, et Alexándri.

Antiochíæ sancti Nicéphori Mártyris, qui sub Valeriáno Imperatóre cápite cæsus, martyrii corónam accépit.

In Africa in castéllo Lemelénsi sanctórum Mártyrum Primi et Donáti Diaconórum, qui cum altáre in Ecclésia tutaréntur, a Donatístis occísi sunt.

In Monastério Fontanéllæ sancti Ansbérti Rhotomagénsis Epíscopi.
Canúsii in Apúlia sancti Sabíni Epíscopi et Confessóris.

xix. F Quarto Idus Februarii. Luna. 10

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

Apud montem Cassínum sanctæ Scholásticæ Vírginis, soróris sancti Benedícti Abbátis : qui ejus ánimam instar colúmbæ migrántem e córpore, in cœlum ascéndere vidit.
Romæ sanctórum Mártyrum Zótici, Irenæi, Hyacínthi, et Amántii.
Ibídem via Lavicána sanctórum decem Militum Mártyrum.
Item Romæ via Appia sanctæ Sotéris Vírginis et Mártyris, quæ (ut scribit sanctus Ambrósius) nóbili génere nata, paréntum Consulátus et Præfectúras ob Christum contémpsit : jussáque immoláre, non acquiéscens, gráviter et diutíssime álapis cæsa est : et cum cétera quoque pœnárum génera vicísset, percússa gládio, læta migrávit ad sponsum.
In Campánia sancti Silváni Epíscopi et Confessóris.
In Stábulo Rhodis in território Senénsi sancti Guiliélmi Eremítæ.
In pago Rhotomagénsi sanctæ Austrebértæ Vírginis, miráculis célebris.

xviij. G Tertio Idus Februarii. Luna. 11

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

In Africa natális sanctórum Mártyrum Saturníni Presbyteri, Datívi, Felícis, Ampélii et Sociórum, qui conveniéntes ad Domínicum ex more celebrándum, in persecutióne Diocletiáni a milítibus comprehénsi, sub Anolíno Procónsule passi sunt.
In Numídia commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum, qui in eádem persecutióne comprehénsi, cum juxta Imperatóris edíctum divínas Scriptúras trádere noluíssent, gravíssimis excruciáti supplíciis, occísi sunt.
Hadrianópoli sanctórum Mártyrum Lúcii Epíscopi et Sociórum ejus, qui sub Constántio ab Ariánis multa perpéssus, in vínculis martyrium consummávit : céteri vero nobilióres cívium, cum Ariános in Sardicénsi Concílio tunc damnátos recípere noluíssent, a Philágrio Cómite capitálem senténtiam excepérunt.

Lugdúni sancti Desidérii Epíscopi Viennénsis et Mártyris.
Ravénnæ sancti Calóceri Epíscopi et Confessóris.
Medioláni sancti Lázari Epíscopi.
Cápuæ sancti Castrénsis Epíscopi.
In Castro Nantoniénsi sancti Severíni Abbátis monastérii Agaunénsis, cujus précibus cultor Dei Rex Clodovéus a diútina infirmitáte liberátus est.
In Ægypto sancti Jonæ Mónachi, virtútibus clari.

12 Pridie Idus Februarii. Luna. A xvij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

Barcinone in Hispánia sanctæ Euláliæ Vírginis, quæ témpore Diocletiáni Imperatóris equúleum, úngulas, flammásque perpéssa, demum cruci affixa, gloriósam martyrii corónam accépit.
In Africa sancti Damiáni Mílitis et Mártyris.
Carthágine sanctórum Mártyrum Modésti et Juliáni.
Apud Beneventum sancti Modésti Levítæ et Mártyris.
Alexandriæ sanctórum Modésti et Ammónii infántum.
Antiochíæ sancti Melétii Epíscopi, qui pro fide cathólica sæpe exílium passus, demum Constantinópoli migrávit ad Dóminum: cujus virtútes sanctus Joánnes Chrysóstomus et Gregórius Nyssénus summis laúdibus celebrárunt.
Constantinópoli sancti Antónii Epíscopi témpore Leónis sexti Imperatóris.
Verónæ sancti Gaudéntii Epíscopi et Confessóris.

13 Idibus Februarii. Luna. B xvj.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

Antiochiæ natális sancti Agabi Prophétæ, de quo beátus Lucas in Actibus apostólicis scribit.
Ravénnæ sanctárum Fuscæ Vírginis, et Mauræ nutrícis ejus, quæ, Décio imperánte, multa sub Quinctiáno Præside perpéssæ, demum gládio transfíxæ, martyrium consummárunt.
Melitínæ in Arménia sancti Polyeúcti Mártyris, qui in persecutióne ejúsdem Décii multa passus, martyrii corónam adéptus est.

Lugdúni sancti Juliáni Mártyris.
Tudérti sancti Benigni Mártyris.
Romæ sancti Gregórii Papæ secúndi, qui Leónis Isaúrici impietáti acérrime réstitit, et sanctum Bonifácium ad prædicándum Evangélium in Germániam misit.
Andégavi depositio sancti Lucinii Epíscopi, venerábilis sanctitátis viri.
Lugdúni sancti Stéphani Epíscopi et Confessóris.
Reáte sancti Stéphani Abbátis, miræ patiéntiæ viri : in cujus tránsitu (ut refert beátus Gregórius Papa) sancti Angeli, céteris étiam vidéntibus, adfuérunt.
Prati in Etrúria sanctæ Catharinæ de Ricciis Vírginis Florentínæ, Ordinis Prædicatórum, cœléstium donórum cópia insígnis, quam Benedíctus Decimusquártus Póntifex Máximus sanctárum Vírginum fastis adscrípsit. Obiit virtútibus et méritis plena quarto Nonas Februárii, sed ejus Festum hódie celebrátur.

xv. **C** Sextodecimo Kalendas Martii. Luna. **14**

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

ROMÆ via Flamínia natális beáti Valentíni Presbyteri et Mártyris, qui post multa sanitátum et doctrínæ insígnia fústibus cæsus, et decollátus est sub Claúdio Cæsare.
Item Romæ sanctórum Mártyrum Vitális, Felículæ, et Zenónis.
Interámnæ sancti Valentíni Epíscopi et Mártyris, qui post diútinam cædem custódiæ mancipátus, cum superári non posset, médiæ noctis siléntio ejéctus de cárcere, decollátus est jussu Plácidi urbis Præfécti.
Ibídem sanctórum Próculi, Ephébi et Apollónii Mártyrum, qui cum ad corpus sancti Valentini vigílias ágerent, jussu Leóntii Consuláris comprehénsi, gládio cæsi sunt.
Alexandríæ sanctórum Mártyrum Bassi, Antónii, et Protólici, qui demérsi sunt in mare.
Item sanctórum Mártyrum Cyriónis Presbyteri, Bassiáni Lectóris, Agathónis Exorcístæ, et Moysis, qui omnes igne combústi evolavérunt ad cœlum.
Ibídem sanctórum Dionysii et Ammónii decollatórum.
Ravénnæ sancti Eleuchádii Epíscopi et Confessóris.
In Bithynia sancti Auxéntii Abbátis.
Apud Surréntum sancti Antoníni Abbátis, qui e monastério Cassinénsi

a Longobárdis devastáto in solitúdinem ejúsdem urbis secédens, ibídem sanctitáte célebris obdormívit in Dómino : cujus corpus multis quotídie miráculis, et præsértim in liberándis energúmenis effúlget.

15 Quintodecimo Kalendas Martii. Luna. **D** xiv.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

BRIXIÆ natális sanctórum Mártyrum Faustíni, et Jovítæ, qui sub Hadriáno Imperatóre, post multa præclára pro Christi fide suscépta certámina, victrícem martyrii corónam accepérunt.

Romæ sancti Cratónis Mártyris, qui cum uxóre sua et univérsa domo a beáto Valentíno Epíscopo baptizátus, non multo post una cum illis martyrio consummátus est.

Interámnæ sanctæ Agapis Vírginis et Mártyris.

Item natális sanctórum Mártyrum Saturníni, Cástuli, Magni, et Lúcii.

Vasióne in Gálliis sancti Quinídii Epíscopi, cujus mortem in conspéctu Dómini pretiósam mirácula crebra testántur.

Cápuæ sancti Decorósi Epíscopi et Confessóris.

In Província Valériæ sancti Sevéri Prcsbyteri, de quo beátus Gregórius scribit, quod fusis lácrymis defúnctum revocávit ad vitam.

Antiochíæ sancti Joseph Diáconi.

Arvérnis sanctæ Geórgiæ Vírginis.

16 Quartodecimo Kalendas Martii. Luna. **E** xiij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

NATALIS beáti Onésimi, de quo sanctus Paulus Apóstolus ad Philémonem scribit, quem étiam post sanctum Timótheum Ephesiórum Episcopum ordinávit, prædicationísque verbum illi commísit. Hic vinctus Romam perdúctus, ac pro fide Christi lapidátus, primo ibídem sepúltus fuit; inde ad locum ubi Epíscopus fúerat ordinátus, corpus ejus delátum est.

Cumis in Campánia Translátio sanctæ Juliánæ Vírginis et Mártyris, quæ Nicomédiæ sub Maximiáno Imperatóre primum a patre suo Africáno gráviter cæsa, deinde ab Evilásio Præfécto, cui núbere recusárat, várie cruciáta, et póstmodum in cárcerem detrúsa, ubi palam

cum diábolo conflíxit, demum flammas ígnium, et ollam ferventem súperans, cápitis decollatióne martyrium consummávit.

In Ægypto sancti Juliáni Mártyris cum áliis quinque míllibus.

Cæsaréæ in Palæstina sanctórum Mártyrum Ægyptiórum Eliæ, Jeremiæ, Isaíæ, Samuélis, et Daniélis, qui cum spontánee ministrássent Confessóribus in Cilícia ad metálla damnátis, inde reverténtes, comprehénsi, et a Firmiliáno Præside sub Galério Maximiáno Imperatóre sævíssime torti, gládio demum percússi sunt.

Post quos sanctus Porphyrius Pámphili Mártyris fámulus, et sanctus Seleúcus Cáppadox, qui iterátis certamínibus sæpe vícerant, rursus cruciáti, alter incéndio, gládio alter martyrii corónam accepérunt.

Arétii in Etrúria beáti Gregórii Décimi Placentini, qui ex Archidiácono Leodiénsi summus Póntifex renunciátus, Concilium Lugdunénse secúndum celebrávit, Græcísque ad unitátem fídei recéptis, compósitis Christianórum dissídiis, Terræ Sanctæ recuperatióne institúta, Ecclésiam sanctíssime gubernávit.

Brixiæ sancti Faustíni Epíscopi et Confessóris.

xij. F Tertiodecimo Kalendas Martii. Luna. 17

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

ROMÆ pássio sancti Faustíni, quem álii quadragintaquátuor secúti sunt ad corónam.

In Pérside natális beáti Polychrónii Epíscopi Babylónis, qui in persecutióne Décii, ore lapídibus cæso, mánibus exténsis, óculos ad cœlum élevans, emísit spíritum.

Concórdiæ sanctórum Mártyrum Dónati, Secundiáni, et Rómuli, cum áliis octogintasex ejúsdem corónæ consórtibus.

Cæsaréæ in Palæstina sancti Theodúli senis, qui ex família Præsidis Firmiliáni, Mártyrum excitátus exémplo, cum Christum constánter confiterétur, cruci affíxus, martyrii palmam nóbili triúmpho proméruit.

Ibídem sancti Juliáni Cappádocis, qui exósculans necatórum Mártyrum córpora, ut Christiánus delátus, et ad Præsidem ductus, lento igne jussus est combúri.

In pago Tarvanénsi sancti Silvíni Epíscopi Tolosáni.

In Scótia sancti Fintáni Presbyteri et Confessóris.

Floréntiæ beáti Aléxii Falconérii Confessóris ex Septem Fundatóribus Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, qui décimo supra centésimum

vitæ suæ anno, Christi Jesu, et Angelórum præséntia recreátus, beáto fine quiévit.

| 18 | | | | | Duodecimo Kalendas Martii. Luna. | | | | | | | | | | | | G | xj. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

JEROSOLYMIS natális beáti Simeónis Epíscopi et Mártyris qui fílius Cléophæ, et propínquus Salvatóris secúndum carnem fuisse tráditur. Hic Jerosolymórum Epíscopus post Jacóbum fratrem Dómini ordinátus, in persecutióne Trajáni multis supplíciis afféctus, martyrio consummátus est, ómnibus qui áderant, et júdice ipso mirántibus, ut centum vigínti annórum senex crucis supplícium fórtiter constantérque pertulísset.

Apud Ostia Tiberína sanctórum Mártyrum Máximi et Claúdii fratrum, et Præpedígnæ uxóris Claúdii, cum duóbus fíliis Alexándro et Cútia: qui cum essent præclaríssimi géneris, jubénte Diocletiáno, tenti sunt, atque in exílium deportáti, deinde incéndio concremáti odoríferum martyrii sacrifícium Deo ipsi obtulérunt: quorum relíquiæ in flumen projéctæ, et a Christiánis perquisítæ, juxta eámdem civitátem sepúltæ sunt.

In Africa sanctórum Mártyrum Lúcii, Silváni, Rútuli, Clássici, Secundini, Frúctuli, et Máximi.

Constantinópoli sancti Flaviáni Epíscopi, qui cum fidem cathólicam Ephesi propugnáret, ab ímpii Dióscori factióne pugnis et cálcibus percússus, atque in exílium actus, ibídem post tríduum vitam finívit.

Toléti sancti Helládii Epíscopi et Confessóris.

| 19 | | | | | Undecimo Kalendas Martii. Luna. | | | | | | | | | | | | A | x. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

ROMÆ natális sancti Gabini Presbyteri et Mártyris, fratris beáti Caji Papæ, qui a Diocletiáno diu in custódia vínculis afflictus, pretiósa morte cœli gaúdia comparávit.

In Africa sanctórum Mártyrum Públii, Juliáni, Marcélli, et aliórum.

In Palæstina commemorátio sanctórum Monachórum, et aliórum Mártyrum, qui a Sarracénis sub Duce Alcmúndaro ob fidem Christi sævissime cæsi sunt.

Jerosólymis sancti Zambdæ Epíscopi.

Sóliis sancti Auxíbii Epíscopi.
Apud Beneventum sancti Barbáti Epíscopi, qui sanctitáte célebris, Longobárdos et eórum Ducem ad Christum convértit.
Medioláni sancti Mansuéti Epíscopi et Confessóris.

ix. **B** Décimo Kaléndas Mártii. Luna. 20

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

Tyri in Phœnícia commemorátio beatórum Mártyrum, quorum númerum solíus Dei sciéntia cólligit, qui sub Diocletiáno Imperatóre a Vetúrio mílitum magístro multis tormentórum genéribus sibi ínvicem succedéntibus occísi sunt : primo quidem flagris toto córpore dilaniáti, inde divérsis bestiárum genéribus tráditi, sed ab illis divína virtúte nil læsi, post áddita feritáte ignis ac ferri, martyrium consummárunt. Horum gloriósam multitúdinem ad victóriam incitábant Tyránnio, Silvánus, Péleus et Nilus Epíscopi, ac Zenóbius Présbyter, qui felíci agóne una cum illis martyrii palmam adépti sunt.
In Cypro ínsula sanctórum Mártyrum Pothámii et Nemésii.
Constantinópoli sancti Eleuthérii Epíscopi et Mártyris.
In Pérside natális sancti Sadoth Epíscopi, et aliórum centum vigintióeto, qui sub Sápore Rege Persárum, cum solem adoráre renuíssent, crudéli nece præcláras sibi corónas comparárunt.
Cátanæ in Sicília sancti Leónis Epíscopi, qui virtútibus atque miráculis coruscávit.
Eódem die sancti Euchérii Epíscopi Aurelianénsis, qui eo magis miráculis cláruit, quo plúribus invidórum calúmniis fuit oppréssus.
Tornáci in Gálliis sancti Eleuthérii Epíscopi et Confessóris.

viij. **C** Nono Kaléndas Mártii. Luna. 21

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

In Sicília natális sanctórum Mártyrum septuagintanóvem, qui sub Diocletiáno per divérsa torménta confessiónis suæ corónam percípere meruérunt.
Adruméti in Africa sanctórum Mártyrum Véruli, Secundíni, Syrícii, Felícis, Sérvuli, Saturníni, Fortunáti, et aliórum séxdecim, qui in persecutióne

Wandálica ob Cathólicæ fidei confessiónem martyrio coronáti sunt.
Scythópoli in Palæstína sancti Severiáni Epíscopi et Mártyris.
Damásci sancti Petri Mavìméni, qui cum díceret Arábibus quibúsdam ad se ægrótum veniéntibus : Omnis, qui fidem Christiánam Cathólicam non ampléctitur, damnátus est, sicut et Máhumet pseudoprophéta vester, ab illis necátus est.
Ravénnæ sancti Maximiáni Epíscopi, et Confessóris.
Metis sancti Felícis Epíscopi.
Brixiæ sancti Patérii Epíscopi.

22 Octavo Kalendas Martii. Luna. D vij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

ANTIOCHIÆ Cáthedra sancti Petri Apóstoli, ubi primum discípuli cognomináti sunt Christiáni.
Hierápoli in Phrygia beáti Pápiæ ejúsdem civitátis Epíscopi, qui sancti Joánnis Senióris audítor, Polycárpi autem sodális fuit.
Salamínæ in Cypro sancti Aristiónis, qui (ut idem Pápias testátur) fuit unus de septuagintaduóbus Christi discípulis.
In Arábia commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum, qui sub Galério Maximiáno Imperatóre sævíssime cæsi sunt.
Alexandríæ sancti Abílii Epíscopi, qui secúndus post beátum Marcum ejúsdem civitátis Epíscopus, sacerdótium virtúte conspícuus ministrávit.
Viénnæ sancti Paschásii Epíscopi, eruditióne et morum sanctitáte præclári.
Cortónæ in Túscia sanctæ Margarítæ Tértii Ordinis sancti Francísci, cujus corpus per quátuor et ámplius sǽcula mirabíliter incorrúptum, suávem spirans odórem, et crebris miráculis clarum, ibídem magno cum honóre cólitur.

23 Septimo Kalendas Martii. Luna. E vj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

In anno Bissextili omittitur **Vigília sancti Matthíæ Apóstoli** : quia transfertur in sequentem diem, quæ est 24.

VIGILIA sancti Matthíæ Apóstoli.
Faventíæ sancti Petri Damiáni Cardinális, et Epíscopi Ostiénsis doctrína, et sanctitáte célebris.

Apud Sirmium beáti Siréni Mónachi et Mártyris, qui jubénte Maximiáno Imperatóre reténtus, cum se Christiánum esse confiterétur, cápite cæsus est.
Ibidem natális sanctórum septuagintaduórum Mártyrum, qui martyrii certámen in præfáta urbe consummántes, regna mansúra percepérunt.
Romæ sancti Polycárpi Presbyteri, qui cum beáto Sebastiáno plúrimos ad fidem Christi convértit, atque ad martyrii glóriam exhortándo perdúxit.
In civitáte Asturicénsi sanctæ Marthæ Vírginis et Mártyris sub Décio Imperatóre, et Patérno Procónsule.
Constantinópoli sancti Lázari Mónachi, qui cum sacras Imágines pingeret, Theóphili Imperatóris iconoclástæ jussu diris suppliciis excruciátur, et manus ei candénti ferro combúritur : sed Dei virtúte sanátus, abrásas Imágines sanctas pingéndo restítuit, ac demum in pace quiévit.
Bríxiæ sancti Felícis Epíscopi.
Híspali in Hispánia sancti Floréntii confessóris.
Tudérti sanctæ Románæ Vírginis, quæ a sancto Silvéstro Papa baptizáta, in antris et spelúncis cœléstem vitam duxit, et miraculórum glória cláruit.
In Anglia sanctæ Milbúrgis Vírginis, fíliæ Regis Merciórum.
Et álibi aliórum, etc.

¶ In anno Bissextili bis pronunciatur, Sexto Kaléndas Mártii, et eadem Luna, scilicet die 24. et 25. Prima die, id est 24. hoc modo : Sexto Kaléndas Mártii, Luna, quota fuerit.

Deinde, Vigília sancti Matthiæ Apóstoli.
Item commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum et Confessórum, atque sanctárum Vírginum. ℟. Deo grátias.

Secunda die, id est 25. Sexto Kaléndas Mártii, Luna.... In Judæa, etc. ut in sequenti Lectione.

v. F Sexto Kalendas Martii. Luna. 24

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

In Judæa natális sancti Matthíæ Apóstoli, qui post Ascensiónem Dómini ab Apóstolis in locum Judæ proditóris sorte eléctus, pro Evangélii prædicatióne martyrium passus est.
Romæ sanctæ Primitívæ Mártyris.
Cæsaréæ in Cappadócia sancti Sérgii Mártyris, cujus gesta præclára habéntur.

In Africa sanctórum Mártyrum Montáni, Lúcii, Juliáni, Victórici, Flaviáni et Sociórum, qui fuérunt sancti Cypriáni discípuli, et sub Valeriáno Imperatóre martyrium consummárunt.
Rothómagi pássio sancti Prætextáti Epíscopi et Mártyris.
Tréviris sancti Modésti Epíscopi et Confessóris.
In Anglia sancti Edilbérti Regis Cantiórum, quem sanctus Augustínus Anglórum Epíscopus ad fidem Christi convértit.
Jerosólymis prima invéntio cápitis Præcursóris Dómini.

25 Quinto Kalendas Martii. Luna. G iv.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

In Ægypto natális sanctórum Mártyrum Victoríni, Victóris, Nicéphori, Claudiáni, Dióscori, Serapiónis, et Pápiæ sub Numeriáno Imperatóre; quorum duo primi pro confessióne fidei exquisita suppliciórum génera constánter tolerántes, cápite plectúntur : Nicéphorus post craticulas candéntes, ignésque superátos, minutátim concísus est : Claudiánus et Dióscorus flammis incénsi : Serápion vero, et Pápias gládio cæsi sunt.
In Africa sanctórum Mártyrum Donáti, Justi, Herénæ, et Sociórum.
Romæ natális sancti Felícis Papæ Tértii, qui sancti Gregórii Magni átavus fuit : de quo is refert, qüod sanctæ Tharsíllæ nepti appárens, illam ad cœléstia regna vocávit.
Constantinópoli sancti Tharásii Epíscopi, eruditióne et pietáte insígnis, ad quem extat Hadriáni Papæ Primi epistola pro defensióne sanctárum Imáginum.
Naziánzi sancti Cæsárii, fratris beáti Gregórii Theólogi, quem idem Gregórius inter ágmina Beatórum se vidisse testátur.

26 Quarto Kalendas Martii. Luna. A iij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

Perge in Pamphylia natális beáti Néstoris Epíscopi, qui in persecutióne Décii, cum diu noctúque oratióni insísteret, póstulans ut grex Christi custodirétur, comprehénsus, ac nomen Dómini mira libertáte et alacritáte conféssus, jussu Præsidis Polliónis equúleo crudelíssime

tortus est; ac demum cum se Christo semper adhæsúrum constánter profiterétur, crucis suspéndio victor migrávit in cœlum.
Ibídem pássio sanctórum Pápiæ, Diodóri, Conónis, et Claudiáni, qui sanctum Néstorem martyrio præcessérunt.
Item sanctórum Mártyrum Fortunáti, Felícis, et aliórum vigintiséptem.
Alexandríæ sancti Alexándri Epíscopi, gloriósi senis, qui post beátum Petrum ejúsdem civitátis Epíscopum, Arium Presbyterum suum hæréticа impietáte depravátum, et divína veritáte convíctum, de Ecclésia ejécit; ac póstea inter trecéntos decem et octo Patres in Nicæno Concílio eúmdem damnávit.
Bonóniæ sancti Faustiniáni Epíscopi, qui eam Ecclésiam Diocletiáni persecutióne vexátam, verbo prædicatiónis firmávit et auxit.
Gazæ in Palæstína sancti Porphyrii Epíscopi, qui témpore Arcádii Imperatóris Marnam idólum, ejúsque templum evértit, ac multa passus quiévit in Dómino.
Florentiæ sancti Andréæ Epíscopi et Confessóris.
In território Archiacénsi sancti Victóris Confessóris, cujus laudes sanctus Bernárdus conscrípsit.

ij. B Tertio Kalendas Martii. Luna. 27

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

ROMÆ natális sanctórum Mártyrum Alexándri, Abúndii, Antígoni, et Fortunáti.
Alexandríæ pássio sancti Juliáni Mártyris : qui cum ita pódagra constríctus esset, ut neque incédere, neque stare posset, una cum duóbus fámulis, qui cum in sella gestábant, Júdici offértur : quorum alter fidem negávit, alter nómine Eunus cum Juliáno in confessióne Christi perdúrans, ambo simul camélis impósiti, per totam urbem circumdúci jubéntur, et flagris laniári, ac tandem incénso rogo, hinc inde spectánte pópulo combúri.
Ibídem sancti Besæ Mílitis, qui cum insultántes in prædíctos Mártyres cohibéret, delátus ad Júdicem, pro fide constánter agens, cápite truncátus est.
Hispali in Hispánia natális sancti Leándri ejúsdem civitátis Epíscopi, cujus prædicatióne et indústria Visigothórum gens, adjuvánte Reccarédo eórum Rege, ab Ariána impietáte ad Cathólicam fidem convérsa est.

Constantinópoli sanctórum Confessórum Basilii et Procópii, qui témpore Leónis Imperatóris pro cultu sanctárum Imáginum strénue decertárunt.

Lugdúni sancti Baldoméri viri Dei, cujus sepúlchrum crebris miráculis illustrátur.

**28** Pridie Kalendas Martii. Luna. **C** j.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

ROMÆ natális sanctórum Mártyrum Macárii, Rufíni, Justi, et Theóphili.

Alexandriæ pássio sanctórum Cæreális, Púpuli, Caji, et Serapiónis.

Ibídem commemorátio sanctórum Presbyterórum, Diaconórum, et aliórum plurimórum, qui témpore Valeriáni Imperatóris, cum pestis sævíssima grassarétur, morbo laborántibus ministrántes, libentíssime mortem oppetiére; quos velut Mártyres religiósa piórum fides venerári consuévit.

In território Lugdunénsi, locis Jurénsibus, depositio sancti Románi Abbátis, qui primus illic eremíticam vitam duxit, et multis virtútibus ac miráculis clarus plurimórum póstea Pater éxtitit Monachórum.

Papíæ Translátio córporis sancti Augustíni Epíscopi ex Sardínia ínsula, ópera Luithprándi Regis Longobardórum.

# MARTIUS.

| * D | Kalendis Martii. Luna. | 1 |
|---|---|---|

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |

ROMÆ sanctórum Mártyrum ducentórum sexaginta, quos jussit primo Claúdius pro Christi nómine damnátos extra portam Saláriam arénam fódere, deinde in amphitheátro mílitum sagittis intérfici.

Item natális sanctórum Mártyrum Leónis, Donáti, Abundántii, Nicéphori, et aliórum novem.

Massíliæ sanctórum Mártyrum Hermétis et Hadriáni.

Heliópoli sanctæ Eudóciæ Mártyris, quæ in persecutióne Trajáni, a Theódoto Epíscopo baptizáta, et ad certámen muníta, Vincéntii Præsidis jussu percússa gládio, martyrii corónam accépit.

Eódem die sanctæ Antonínæ Mártyris, quæ in persecutióne Diocletiáni cum Gentílium deos irrisísset, post vários cruciátus, in vase quodam inclúsa, in palúdem urbis Ceæ demérsa est.

Apud civitátem Werdam sancti Suitbérti Epíscopi, qui témpore Sérgii Papæ apud Frisones, Bátavos, et álios Germániæ pópulos Evangélium prædicávit.

Andégavi sancti Albíni Epíscopi et Confessóris, viri præclaríssimæ virtútis et sanctitátis.

Apud Cenomános sancti Siviárdi Abbátis.

Perúsiæ Translátio sancti Herculáni Epíscopi et Mártyris, qui jussu Tótilæ Gothórum Regis decollátus est: cujus corpus ita cápiti unítum, atque sanum, quadragésimo post abscissiónem die (ut scribit sanctus Gregórius Papa) repértum est, ac si nulla ferri incísio illud tetigísset.

| xxix. E | Sexto Nonas Martii. Luna. | 2 |
|---|---|---|

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

ROMÆ via Latína sanctórum Mártyrum Jovíni et Basiléi, qui passi sunt sub Valeriáno et Galliéno Imperatóribus.

Item Romæ plurimórum sanctórum Mártyrum, qui sub Alexándro Imperatóre et Ulpiáno Præfécto diu cruciáti, ad extrémum capitáli senténtia damnáti sunt.
In Portu Románo sanctórum Mártyrum Pauli, Heraclii, Secundíllæ, et Januáriæ.
Cæsaréæ in Cappadócia sanctórum Mártyrum Lúcii Epíscopi, Absalónis, et Lórgii.
In Campánia commemorátio sanctórum octoginta Mártyrum, qui cum nollent carnes immolátas comédere, nec caput capræ adoráre, a Longobárdis sævíssime cæsi sunt.
Romæ sancti Simplícii Papæ et Confessóris.
In Anglia sancti Ceáddæ Epíscopi Merciórum et Lindisfarnórum, cujus præcláras virtútes Beda commémorat.

3 Quinto Nonas Martii. Luna. F xxviij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |

Cæsareæ in Palæstina sanctórum Mártyrum Maríni mílitis, et Astérii Senatóris, in persecutióne Valeriáni: quorum prior accusátus a commilitónibus quod esset Christiánus, et interrogátus a Júdice, cum Christiánum se esse voce claríssima testarétur, martyrii corónam cápitis abscissióne suscépit: cumque Astérius corpus Mártyris cápite truncátum subjéctis húmeris et substráta veste, qua induebátur, exciperet, honórem, quem Mártyri détulit, contínuo ipse Martyr accépit.
In Hispánia natális sanctórum Mártyrum Hermitérii et Cheledónii, qui cum apud Legiónem Gallæciæ urbem in castris militárent, exurgénte persecutiónis procélla, pro confessióne nóminis Christi, Calagúrrim usque profécti, ibi plúribus torméntis afflícti, martyrio coronáti sunt.
Eódem die pássio sanctórum Felícis, Lucióli, Fortunáti, Márciæ, et Sociórum.
Item sanctórum Mílitum Cleoníci, Eutrópii et Basilísci, qui in persecutióne Maximiáni sub Asclepíade Præside crucis supplício felíciter triumphárunt.
Bríxiæ sancti Titiáni Epíscopi et Confessóris.
Bambérgæ sanctæ Chunegúndis Augústæ, quæ Henríco primo Imperatóri nupta, cum virginitátem ipso annuénte servásset, bonórum óperum méritis cumuláta, sancto fine quiévit, et post mortem miráculis cláruit.

4 Quarto Nonas Martii. Luna. G xxvij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |

Vilnæ in Lithuánia beáti Casimíri filii Casimíri Regis, quem Leo Décimus Románus Póntifex in Sanctórum númerum rétulit.

Romæ via Appia natális sancti Lúcii Papæ et Mártyris, qui primo in persecutióne Valeriáni ob Christi fidem exílio relegátus, et póstmodum divíno nutu ad Ecclésiam suam redire permíssus, cum plúrimum advérsus Novatiános laborásset, martyrium cápitis obtruncatióne complévit: quem sanctus Cypriánus summis laúdibus celebrávit.

Romæ item via Appia sanctórum Mártyrum nongentórum, qui pósiti sunt in cœmetério, ad sanctam Cæcíliam.

Eódem die sancti Caji Palatíni in mare demérsi, et aliórum vigintiséptem.

Nicomédiæ sancti Hadriáni Mártyris, cum áliis vigintitríbus, qui omnes sub Diocletiáno Imperatóre martyrium crurifrágio consummárunt: cujus memória sexto Idus Septémbris, quando ejus corpus Romam translátum fuit, potíssimum ágitur.

Item pássio sanctórum Archelái, Cyrílli, et Phótii.

Apud Chersonésum pássio sanctórum Episcopórum Basilíi, Eugénii, Agathodóri, Elpídii, Æthérii, Capitónis, Ephrem, Néstoris, et Arcádii.

5 Tertio Nonas Martii. Luna. A xxvj.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

Antiochiæ natális sancti Phocæ Mártyris, qui post multas, quas pro nómine Redemptóris passus est, injúrias, quáliter de antíquo illo serpénte triumpháverit, hódie quoque pópulis eo miráculo declarátur, quod si quíspiam a serpénte morsus fúerat, ut jánuam Basílicæ Mártyris credens attígerit, conféstim evacuáta virtúte venéni sanátur.

Cæsaréæ in Palæstína sancti Hadriáni Mártyris, qui primo in persecutióne Diocletiáni jussu Firmiliáni Præsidis ob Christi fidem leóni objéctus, deinde gládio jugulátus martyrii corónam accépit.

Eódem die pássio sanctórum Eusébii Palatíni, et aliórum novem Mártyrum.

Cæsaréæ in Palæstina sancti Theóphili Epíscopi, qui sub Sevéro Príncipe sapiéntia et vitæ integritáte conspícuus emícuit.
Item in Palæstina ad ripam Jordánis sancti Gerásimi Anachorétæ, qui témpore Zenónis Imperatóris flóruit.
Neápoli Depositio sancti Joánnis Joséphi a Cruce Ordinis Minórum Excalceatórum sancti Petri de Alcántara itálicæ Famíliæ Promotóris, primíque Provinciális, qui sanctórum Francísci Assisiénsis et Petri de Alcántara stúdia æmulátus, Ordini Seráphico insígne decus áddidit, a Gregório Papa Decimoséxto in Sanctórum Cánonem relátus.

6 Pridie Nonas Martii. Luna. B 25. xxv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

NICOMEDIÆ natális sanctórum Mártyrum Victóris et Victoríni, qui per triénnium cum Claudiáno, et Bassa uxóre ejus, torméntis multis afflícti, et retrúsi in cárcerem, ibídem vitæ suæ cursum implevérunt.
Terdónæ sancti Marciáni Epíscopi et Mártyris, qui sub Trajáno pro Christi glória occísus coronátur.
Constantinópoli sancti Evágrii, qui témpore Valéntis a Cathólicis eléctus Epíscopus, ab eódem Imperatóre in exílium missus, migrávit ad Dóminum.
In Cypro sancti Conónis Mártyris, qui sub Décio Imperatóre, pédibus clavis confíxis, ante currum jussus cúrrere, in génua procúmbens, in oratióne réddidit spíritum.
Item pássio sanctórum quadragintaduórum Mártyrum, qui in Amório comprehénsi, et in Syriam perdúcti, illic egrégio perácto certámine, victóres palmam martyrii percepérunt.
Bonóniæ sancti Basílii Epíscopi, qui a sancto Silvéstro Papa ordinátus, verbo et exémplo créditam sibi Ecclésiam sanctíssime gubernávit.
Barcinóne in Hispánia beáti Ollegárii prímum Canónici, et póstea Epíscopi Barcinonénsis, et Archiepíscopi Tarraconénsis.
Apud Gandávum in Flándria sanctæ Colétæ Vírginis, quæ primum Tértii Ordinis Régulam proféssa, deinde divíno Spíritu afflâta, quamplúra Moniálium secúndi Ordinis Monastéria primævæ disciplínæ restítuit, atque divínis exornáta virtútibus, innúmeris cláruit miráculis, a Pio Séptimo Pontífice Máximo in Albo sanctórum adscrípta.

xxiv. C Nonis Martii. Luna. 7

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

In Monastério Fossænóvæ prope Tarracínam sancti Thomæ Aquinátis Confessóris et Doctóris, Ordinis Prædicatórum, nobilitáte géneris, vitæ sanctitáte, et Theologíæ sciéntia illústris.

Tubúrbi in Mauritánia natális sanctárum Mártyrum Perpétuæ et Felicitátis, quæ cum esset prægnans (ut sanctus Augustínus ait) expectáta, juxta leges, ut páreret, dum parturiébat, dolébat, objécta feris gaudébat; passíque sunt cum eis Revocátus, Saturnínus, et Secúndolus; quorum últimus quiévit in cárcere, réliqui omnes béstiis tráditi sunt, sub Sevéro Príncipe.

Cæsaréæ in Palæstina pássio sancti Eubúli, qui cum esset sócius sancti Hadriáni, bíduo post illum laniátus a leónibus, et gládio trucidátus, últimus ómnium in ea civitáte martyrii corónam accépit.

Nicomédiæ sancti Theóphili Episcopi, qui ob cultum sanctárum Imáginum in exílium pulsus, illic defúnctus est.

Pelúsii in Ægypto sancti Pauli Epíscopi, qui cádem ex causa exul occúbuit.

Bríxiæ sancti Gaudiósi Episcopi et Confessóris.

In Thebáide sancti Pauli cognoménto Simplicis.

xxiij. D Octavo Idus Martii. Luna. 8

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

Granatæ in Hispánia sancti Joánnis de Deo, Ordinis Fratrum Hospitalitátis infirmórum Institutóris, misericórdia in paúperes, et sui despiciéntia célebris.

Apud Antinoum Ægypti urbem natális sanctórum Mártyrum Philémonis et Apollónii Diáconi, qui tenti, et ad Júdicem addúcti, cum constánter idólis sacrificáre renuíssent, perforátis calcáneis per civitátem horribíliter tracti, novíssime gládio cæsi, martyrium complevérunt.

Item ibídem pássio sanctórum Ariáni Præsidis, Theótici, et aliórum trium, quos Judex submérsos in mare necávit; sed delphinórum obséquio córpora eórum ad littus deláta sunt.

Nicomédiæ sancti Quinctilis Episcopi et Mártyris.

Carthágine sancti Póntii Diáconi beáti Cypriáni Epíscopi, qui usque ad diem mortis illíus cum ipso exílium sústinens, vitæ et passiónis ejus egrégium volúmen relíquit, atque in suis passiónibus Dóminum semper gloríficans, corónam vitæ proméruit.
Item in Africa sanctórum Cyrílli Epíscopi, Rogáti, Felícis, item Rogáti, Beátæ, Heréniæ, Felicitátis, Urbáni, Silváni, et Mamílli.
Toléti in Hispánia depositio beáti Juliáni Epíscopi et Confessóris, sanctitáte et doctrína celebérrimi.
In Anglia sancti Felícis Epíscopi, qui Orientáles Anglos ad fidem convértit.

9 Septimo Idus Martii. Luna. E xxij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

Romæ sanctæ Franciscæ Víduæ, nobilitáte géneris, vitæ sanctitáte, et miraculórum grátia célebris.
Apud Sebásten Arméniæ natális sanctórum quadraginta Mílitum Cappádocum, qui témpore Licínii Imperatóris sub Præside Agricoláo post víncula et cárceres tetérrimos, post cæsas lapídibus fácies, frigidíssimo hiemis témpore supra stagnum rigens pernoctáre nudi sub dio jussi sunt, ubi gelu constricta eórum córpora disrumpebántur, ac demum crurifrágio martyrium consummárunt. Erant autem inter eos nobilióres Cyrion et Cándidus, quorum ómnium præcláras glórias sanctus Basilíus, aliíque Patres scriptis suis celebrárunt, quorum festívitas sequénti die celebrátur.
Nyssæ depositio sancti Gregórii Epíscopi, fratris beáti Basilii Magni, vita et eruditióne clarissimi, qui ob fidei cathólicæ defensiónem sub Valénte Imperatóre Ariáno civitáte sua pulsus est.
Barcinóne in Hispánia sancti Paciáni Episcopi, tam vita, quam sermóne conspícui, qui témpore Theodósii Principis in última senectúte finem vitæ sortítus est.
In Morávia sanctórum Episcopórum Cyrilli, et Methódii, qui multas illárum regiónum gentes cum eárum Régibus ad fidem Christi perduxérunt.
Bonóniæ sanctæ Catharínæ Vírginis, Ordinis sanctæ Claræ, vitæ sanctitáte illústris, cujus corpus magno cum honóre ibidem cólitur.

xvj. F Sexto Idus Martii. Luna. 10

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

Apud Sebásten Arméniæ sanctórum quadragínta Mártyrum.

Apaméæ in Phrygia natális sanctórum Mártyrum Caji et Alexándri, qui (ut scribit Apollináris Hierapolitánus Epíscopus in libro advérsus Cataphrygas hæréticos) in persecutióne Marci Antoníni et Lúcii Veri, glorióso martyrio coronáti sunt.

In Pérside pássio sanctórum quadragintaduórum Mártyrum.

Corínthi sanctórum Mártyrum Codráti, Dionysii, Cypriáni, Anécti, Pauli et Crescéntis, qui in persecutióne Décii et Valeriáni, sub Jasóne Præside, gládio cæsi sunt.

In Africa sancti Victóris Mártyris, in cujus solemnitáte sanctus Augustínus ad pópulum tractátum hábuit.

Jerosólymis sancti Macárii Epíscopi et Confessóris, cujus hortátu loca sancta a Constantíno et Hélena expurgáta, et sacris Basílicis illustráta sunt.

Lutétiæ Parisiórum depositío sancti Droctovéi Abbátis, discípuli beáti Germáni Epíscopi.

In Monastério Bobiénsi sancti Attalæ Abbátis miráculis clari.

xv. G Quinto Idus Martii. Luna. 11

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

Carthagine sanctórum Mártyrum Heraclii et Zósimi.

Alexandríæ pássio sanctórum Cándidi, Piperiónis, et aliórum vigínti.

Laodicéæ in Syria sanctórum Mártyrum Tróphimi et Thali, qui in persecutióne Diocletiáni post multa sævâque torménta, corónas glóriæ sunt assecúti.

Antiochíæ commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum, quorum álii Maximiáni Imperatóris mandáto candéntibus craticulis superpósiti, non ad mortem, sed ad diutúrnum cruciátum assáti, álii áliis sævissimis affécti supplíciis, ad palmam martyrii pervenérunt.

Item sanctórum Gorgónii et Firmi.

Córdubæ sancti Eulógii Presbyteri, qui ejúsdem urbis Martyribus in persecutióne Saracenórum adjúngi méruit, quorum pro fide certámina scribéndo fúerat æmulátus.

Sardis sancti Euthymii Epíscopi, qui ob cultum sanctárum Imáginum a Michaéle Imperatóre Iconoclásta in exílium missus, demum, Theóphilo imperánte, martyrium consummávit.

Jerosólymis sancti Sophrónii Epíscopi.

Mediolánі sancti Benedicti Epíscopi.

In fínibus Ambianénsium sancti Firmíni Abbátis.

Carthágine sancti Constantíni Confessóris.

Babúci in Hérnicis sancti Petri Confessóris, miraculórum glória insígnis.

12 Quarto Idus Martii. Luna. **A** xix.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

Romæ sancti Gregórii Papæ, et Ecclésiæ Doctóris exímii, qui ob res præcláre gestas, atque Anglos ad Christi fidem convérsos, Magnus est dictus, et Anglórum Apóstolus appellátus.

Item Romæ sancti Mamiliáni Mártyris.

Nicomédiæ pássio beáti Petri Mártyris, qui cum esset cubiculárius Diocletiáni Imperatóris, et libérius de imménsis Mártyrum suppliciis quererétur, jubénte eódem, in médium addúcitur, ac primo suspénsus, diutíssime flagris torquétur, deinde acéto ac sale perfúsus, ad últimum in craticula lento igne assátur, sicque vere Petri éxtitit et fídei hæres et nóminis.

Ibídem sanctórum Egdúni Presbyteri et aliórum septem, qui singuli diébus singulis suffocáti sunt, ut céteris metus incuterétur.

Constantinópoli sancti Theóphanis, qui ex ditíssimo pauper Mónachus efféctus, ab ímpio Leóne Arméno pro cultu sacrárum Imáginum biénnio deténtus in cárcere, inde in Samothráciam deportátus, ibídem ærúmnis conféctus, réddidit spíritum, multísque miráculis cláruit.

Cápuæ sancti Bernárdi Epíscopi et Confessóris.

xviij. B Tertio Idus Martii. Luna. 13

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

NICOMEDIÆ natális sanctórum Mártyrum Macedónii, Patrítiæ uxóris ejus, et Modéstæ filiæ.
Nicææ sanctórum Mártyrum Theusétæ et Horris filii ejus, Theodóræ, Nymphodóræ, Marci et Arábiæ, qui omnes pro Christo igni tráditi sunt.
Hermópoli in Ægypto sancti Sabíni Mártyris, qui multa passus, tandem projéctus in flumen martyrium consummávit.
In Pérside sanctæ Christínæ Vírginis et Mártyris.
Córdubæ sanctórum Ruderíci Presbyteri et Salomónis Mártyrum.
Constantinópoli sancti Nicéphori Epíscopi, qui paternárum traditiónum propugnátor acérrimus, Leóni Arméno Imperatóri iconoclástæ pro cultu sanctárum Imáginum se constánter oppósuit, a quo mulctátus exílio, ibídem quatuórdecim annis longum ducens martyrium, migrávit ad Dóminum.
Apud Camerínum sancti Ansovíni Epíscopi et Confessóris.
In Thebáide depositio sanctæ Euphrásiæ Vírginis.

xvij. C Pridie Idus Martii. Luna. 14

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

ROMÆ natális sanctórum quadragintaséptem Mártyrum, qui baptizáti sunt a beáto Apóstolo Petro, cum tenerétur in custódia Mamertíni cum coapóstolo suo Paulo, ubi novem menses deténti sunt: qui omnes sub devotíssima fídei confessióne Neroniáno gládio consúmpti sunt.
In Africa sanctórum Mártyrum Petri et Aphrodísii, qui in persecutióne Wandálica martyrii corónam percepérunt.
Carrhis in Mesopotámia sancti Eutychii patrícii et Sociórum, qui ab Evelid Arabum Rege ob fídei confessiónem interémpti sunt.
In Província Valériæ sanctórum duórum Monachórum, quos Longobárdi suspéndio necavérunt in árbore, in qua, licet defúncti, ab hóstibus ipsis audíti sunt psállere.
In ea étiam persecutióne Diáconus Ecclésiæ Marsicánæ in confessióne fídei cápite truncátus est.

Halberstátti in Germánia dormítio beátæ Mathíldis Regínæ, matris Othónis Primi Imperatóris, humilitáte et patiéntia célebris.

15 Idibus Martii. Luna. D xvj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

Cæsareæ in Cappadócia pássio sancti Longini mílitis, qui latus Dómini láncea perforásse perhibétur.
Eódem die natális sancti Aristóbuli Apostolórum discípuli, qui cursu prædicatiónis perácto, martyrium consummávit.
Thessaloníćæ sanctæ Matrónæ ancíllæ cujúsdam Judææ, quæ cum occúlte Christum cóleret, et furtívis oratiónibus quotídie Ecclésiam frequentáret, a dómina sua deprehénsa, et multipliciter afflicta, novíssime robústis fústibus usque ad mortem cæsa, in confessióne Christi incorrúptum Deo spíritum réddidit.
Eódem die sancti Menígni fullónis, qui sub Décio passus est.
In Ægypto sancti Nicándri Mártyris, qui cum sanctórum Mártyrum relíquias studióse perquíreret, et ipse martyr éffici méruit sub Diocletiáno Imperatóre.
Córdubæ sanctæ Leocrítiæ Vírginis et Mártyris.
Romæ natális sancti Zacharíæ Papæ, qui Dei Ecclésiam summa vigilántia gubernávit, et clarus méritis quiévit in pace.
Reáte sancti Probi Epíscopi, cui moriénti Juvenális et Eleuthérius Mártyres adfuérunt.
Romæ sancti Speciósi Mónachi, cujus ánimam germánus ejus ferri vidit in cœlum.

16 Decimoseptimo Kalendas Aprilis. Luna. E xv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

Romæ pássio sancti Cyríaci Diáconi, qui post longam cárceris maceratiónem liquáta pice perfúsus, et in catásta exténsus, attráctus étiam nervis, et fústibus cæsus, ad últimum cum Largo, et Smarágdo, et áliis vigínti, jubénte Maximiáno, cápite truncátus est. Horum tamen

festivitas sexto Idus Augústi recólitur, quo die a beáto Marcéllo Papa eórum córpora sunt leváta, ac venerabíliter tumuláta.

Aquiléjæ natális beáti Hilárii Episcopi et Tatiáni Diáconi, qui sub Numeriáno Imperatóre et Berónio Præside, post equúleum atque ália torménta, una cum Felíce, Largo, et Dionysio martyrium terminárunt.

In Licaónia sancti Papæ Mártyris, qui ob Christi fidem verbéribus cæsus, úngulis férreis lacerátus, claváitis cálceis incédere jussus est; deinde árbori alligátus, migrans ad Dóminum, eámdem árborem ex stérili réddidit fructuósam.

Anazárbi in Cilícia sancti Juliáni Mártyris, qui sub Marciáno Præside diutíssime cruciátus, demum in sacco una cum serpéntibus inclúsus, in mare demérsus est.

Ravénnæ sancti Agapíti Episcopi, et Confessóris.

Colóniæ sancti Heribérti Episcopi, sanctitáte célebris.

Arvérnis depositio sancti Patrítii Episcopi.

In Syria sancti Abrahæ Eremítæ, cujus res gestas beátus Ephrem Diáconus conscrípsit.

xiv. **F** Sextodecimo Kalendas Aprilis. Luna. **17**

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

In Hibérnia natális sancti Patrítii Episcopi et Confessóris, qui primus ibidem Christum evangelizávit, et máximis miráculis, et virtútibus cláruit.

Jerosólymis sancti Joseph ab Arimathæa nóbilis Decuriónis, discípuli Dómini, qui ejus corpus de cruce depósitum in monuménto suo novo sepelívit.

Romæ sanctórum Alexándri et Theodóri Mártyrum.

Alexandríæ commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum, qui a Serápidis cultóribus comprehénsi, cum idólum adoráre constánter renuíssent, sævíssime cæsi sunt, témpore Theodósii Imperatóris, qui mox rescríptum dedit, ut Serápidis templum destruerétur.

Constantinópoli sancti Pauli Mártyris, qui sub Constantíno Coprónymo cum sanctárum Imáginum cultum defénderet, igne combústus est.

Cabilóne in Gálliis sancti Agrícolæ Episcopi.

Nivigéllæ in Brabántia sanctæ Gertrúdis Vírginis, quæ claríssimo génere orta, despíciens mundum, et toto vitæ suæ cursu in ómnibus sanctitátis offíciis se exércens, Christum sponsum in cœlis habére méruit.

| 18 | Quintodecimo Kalendas Aprilis. Luna. | | | | | | | | | | | | | | | | | G xiij. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

CÆSAREÆ in Palæstina natális beáti Alexándri Epíscopi, qui de Cappadócia ex própria civitáte, ubi erat Epíscopus, sanctórum locórum desidério Jerosólymam véniens, cum Narcíssus ejúsdem urbis Epíscopus jam senex Ecclésiam régeret, divina revelatióne ejus gubernácula suscépit : póstmodum vero in persecutióne Décii, cum jam longævæ ætátis veneránda canítie præfulgéret, ductus Cæsaréam, et clausus in cárcere, ob confessiónem Christi martyrium complévit.

Augústæ sancti Narcíssi Epíscopi, qui primus in Rhætia Evangélium prædicávit : deínde in Hispániam profectus, cum Gerúndæ multos ad Christi fidem convertisset, ibidem in persecutióne Diocletiáni cum Felíce Diácono martyrii palmam accépit.

Nicomédiæ sanctórum decem míllium Mártyrum, qui pro Christi confessióne gládio percússi sunt.

Item sanctórum Mártyrum Tróphimi et Eucárpii.

In Británnia sancti Eduárdi Regis, qui dólis novércæ necátus, multis miráculis cláruit.

Jerosólymis sancti Cyrilli Epíscopi, qui ab Ariánis multas fídei causa perpéssus injúrias, et ab Ecclésia sua sæpe pulsus, tandem sanctitátis glória clarus in pace quiévit, cujus intemerátæ fídei Synodus œcuménica, Dámaso scribens, præclárum testimónium dedit.

Lucæ in Túscia natális sancti Frigdiáni Epíscopi, virtúte miraculórum illústris, cujus festívitas quartodécimo Kaléndas Decémbris, quando ejus corpus translátum fuit, potíssimum recólitur.

Mántuæ sancti Anselmi Episcopi et Confessóris.

| 19 | Quartodecimo Kalendas Aprilis. Luna. | | | | | | | | | | | | | | | | | A xij. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

IN Judæa natális sancti Joseph sponsi beatíssimæ Vírginis Maríæ.

Surrénti sanctórum Mártyrum Quincti, Quinctíllæ, Quartíllæ, et Marci cum áliis novem.

Nicomédiæ sancti Panchárii Románi, qui sub Diocletiáno truncátus cápite, martyrii corónam accépit.
Eódem die sanctórum Apollónii, et Leóntii Episcopórum.
Gandávi sanctórum Landoáldi Presbyteri Románi, et Amántii Diáconi; qui a sancto Martíno Papa ad prædicándum Evangélium missi, multis post óbitum sunt illustráti miráculis.
Apud Pinnénsem civitátem natális beáti Joánnis, magnæ sanctitátis viri, qui de Syria ad Itáliam véniens, et constrúcto illic monastério, multórum servórum Dei per quátuor et quadragínta annos Pater exístens, clarus virtútibus quiévit in pace.

xj. B Tertiodecimo Kalendas Aprilis. Luna. 20

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

In Judæa sancti Jóachim Patris beatíssimæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ; cujus festum ágitur Domínica infra Octávam Assumptiónis ejúsdem beátæ Vírginis Maríæ.
In Asia natális sancti Archíppi commilitónis beáti Pauli Apóstoli; cujus ipse in Epístola ad Philémonem, et ad Colosséuses méminit.
In Syria sanctórum Mártyrum Pauli, Cyrílli, Eugénii, et aliórum quátuor.
Eódem die sanctórum Photínæ Samaritánæ, Joseph et Victóris filiórum, itémque Sebastiáni ducis, Anatólii, Phótii, Photídis, Parascéves, et Cyriácæ germanárum: qui omnes Christum conféssi, martyrium sunt assecúti.
Amisi in Paphlagónia sanctárum septem mulierum, Alexándræ, Claúdiæ, Euphrásiæ, Matrónæ, Juliánæ, Euphémiæ et Theodósiæ, quæ in confessióne fídei cæsæ sunt, eásque secútæ sunt Derphúta, et soror ipsius.
Apollóniæ sancti Nicétæ Epíscopi, qui pro sanctárum imáginum cultu ejéctus in exílium réddidit spíritum.
In monastério Fontanéllæ sancti Wulfránni Epíscopi Senonénsis, qui, relícto Episcopátu, ibídem clarus miráculis decéssit e vita.
In Británnia deposítio sancti Cuthbérti Epíscopi Lindisfarnénsis, qui a pueritia ad óbitum usque sanctis opéribus et miraculórum signis effúlsit.
Senis in Túscia beáti Ambrósii, Ordinis Prædicatórum, sanctitáte, prædicatióne, et miráculis clari.

**21** Duodecimo Kalendas Aprilis. Luna. **C** x.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| **22** | **23** | **24** | **25** | **26** | **27** | **28** | **29** | **30** | **1** | **2** | **3** | **4** | **5** | **6** | **7** | **8** | **9** | **10** |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| **11** | **12** | **13** | **14** | **15** | **16** | **16** | **17** | **18** | **19** | **20** | **21** |

**In monte Cassíno natális sancti Benedícti Abbátis, qui Monachórum disciplínam in Occidénte pene collápsam restítuit, ac miríﬁce propagávit: cujus vitam virtútibus et miráculis gloriósam beátus Gregórius Papa conscrípsit.**
**Alexandríæ commemorátio sanctórum Mártyrum, qui sub Constantíno Imperatóre et Præfécto Philágrio, irruéntibus Ariánis et Gentílibus, in Ecclésias in die Parascéves cæsi sunt.**
**Eódem die sanctórum Mártyrum Philémonis et Domníni.**
**Cátanæ sancti Birílli, qui a beáto Petro ordinátus Epíscopus, cum multos Gentílium convertísset ad ﬁdem, in última senectúte quiévit in pace.**
**Alexandríæ beáti Serapiónis Anachorétæ et Epíscopi Thmúeos, magnárum virtútum viri, qui Arianórum furóre in exílium actus migrávit ad Dóminum.**
**In território Lugdunénsi sancti Lupicíni Abbátis, cujus vita sanctitátis et miraculórum glória fuit illústris.**

**22** Undecimo Kalendas Aprilis. Luna. **D** ix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| **23** | **24** | **25** | **26** | **27** | **28** | **29** | **30** | **1** | **2** | **3** | **4** | **5** | **6** | **7** | **8** | **9** | **10** | **11** |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| **12** | **13** | **14** | **15** | **16** | **17** | **17** | **18** | **19** | **20** | **21** | **22** |

**Narbóne in Gállia natális sancti Pauli Epíscopi, Apostolórum discípuli, quem tradunt fuísse Sérgium Paulum Procónsulem, qui a beáto Apóstolo Paulo baptizátus, et cum in Hispániam pérgeret, apud Narbónam relíctus, ibídem Episcopáli dignitáte donátus est : ubi prædicatiónis offício non ségniter expléto, clarus miráculis migrávit in cœlum.**
**Tarracínæ sancti Epaphrodíti Apostolórum discípuli, qui a beáto Petro Apóstolo Epíscopus illíus civitátis ordinátus fuit.**
**In Africa sanctórum Mártyrum Saturníni et aliórum novem.**
**Eódem die natális sanctárum Mártyrum Callinícæ et Basilíssæ.**
**Ancyræ sancti Basilíi Presbyteri et Mártyris, qui sub Juliáno Apóstata gravíssimis cruciátibus afféctus, ánimam Deo réddidit.**
**Carthágine sancti Octaviáni Archidiáconi, et multórum míllium Mártyrum, qui ob ﬁdem cathólicam a Wándalis cæsi sunt.**
**Ibídem sancti Deográtias Epíscopi Carthaginénsis qui plúrimos a Wán-**

dalis captivos ab Urbe ductos redémit, aliisque sanctis opéribus célebris quiévit in Dómino.
Auxími in Picéno sancti Benvenúti Epíscopi.
In Suécia sanctæ Catharínæ Vírginis, filiæ sanctæ Birgittæ.
Romæ sanctæ Leæ Víduæ, cujus virtútes, et ad Deum tránsitum sanctus Hierónymus scribit.
Jánuæ sanctæ Catharínæ Víduæ, contémptu mundi, et charitáte in Deum insígnis.

viij. E Decimo Kalendas Aprilis. Luna. 23

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

In Africa sanctórum Mártyrum Victoriáni Procónsulis Carthágìnis, et duórum germanórum Aquisregiénsium : item Fruméntii, et altérius Fruméntii Mercatórum, qui in persecutióne Wandálica (ut scribit Victor Africánus Epíscopus) sub Hunnerico Rege Ariáno pro constántia cathólicæ confessiónis immaníssimis supplíciis cruciáti, egrégie coronáti sunt.
Item in Africa sancti Fidélis Mártyris.
Ibidem sancti Felícis et aliórum vigínti.
Cæsaréæ in Palæstina sanctórum Mártyrum Nicónis, et aliórum nonagintanóvem.
Item corónæ sanctórum Mártyrum Domítii, Pelágiæ, Aquilæ, Epárchii, et Theodósiæ.
Limæ in Regno Peruáno sancti Turíbii Archiepíscopi, cujus virtúte fides et disciplína Ecclesiástica per Américam diffúsæ sunt : ejus festívitas recólitur quinto Kaléndas Maji.
Antiochiæ sancti Theodúli Presbyteri.
Cæsaréæ sancti Juliáni Confessóris.
In Campánia sancti Benedícti Mónachi, qui a Gothis in ardénti clíbano inclúsus, sequénti die invéntus est illæsus.

vij. F Nono Kalendas Aprilis. Luna. 24

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

Romæ sanctórum Mártyrum Marci et Timóthei, qui sub Antoníno Imperatóre Martyrio coronáti sunt.

Ibidem sancti Epigménii Presbyteri, qui in persecutióne Diocletiáni sub Túrpio Júdice gládio cæsus, martyrium consummávit.
Item Romæ pássio beáti Pigménii Presbyteri, qui sub Juliáno Apóstata pro fide Christi præcipitátus in Tiberim, necátus est.
Cæsaréæ in Palæstina natális sanctórum Mártyrum Timolái, Dionysii, Pausídis, Rómuli, Alexándri, altérius Alexándri, Agápii, et altérius Dionysii, qui in persecutióne Diocletiáni sub Urbáno Præside secúri percússi, vitæ corónas meruérunt.
In Mauritánia natális sanctórum Rómuli et Secúndi fratrum, qui pro Christi fide passi sunt.
Tridénti pássio sancti Simeónis púeri, a Judæis sævíssime trucidáti, qui multis póstea miráculis coruscávit.
Synnadæ in Phrygia sancti Agapiti Epíscopi.
Brixiæ sancti Latíni Epíscopi.
In Syria sancti Seleúci Confessóris.

**25** Octavo Kalendas Aprilis. Luna. **G** vj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

ANNUNTIATIO beatissimæ Virginis Genitrícis Dei Maríæ.
Romæ sancti Quirini Mártyris, qui sub Claúdio Imperatóre post facultátum amissiónem, post cárceris squalórem, post multórum vérberum afflictiónem, gládio interféctus est, et in Tiberim projéctus : quem Christiáni in insula Lycaónia inveniéntes, in cœmetério Pontiáni condidérunt.
Ibidem sanctórum ducentórum sexagintaduórum Mártyrum.
Sírmii pássio sancti Irenæi Epíscopi et Mártyris, qui témpore Maximiáni Imperatóris sub Præside Probo primum torméntis acérrimis vexátus, deínde diébus plúrimis in cárcere cruciátus, novíssime abscisso cápite consummátus est.
Nicomédiæ sanctæ Dulæ ancíllæ cujúsdam mílitis, quæ pro castitáte servánda occísa, martyrii corónam proméruit.
Jerosólymis commemorátio sancti Latrónis, qui in cruce Christum conféssus, ab eo méruit audíre : Hódie mecum eris in paradíso.
Laodicéæ sancti Pelágii Epíscopi, qui ob fidem cathólicam témpore Valéntis exílium et ália passus, quiévit in Dómino.
Pistórii sanctórum Confessórum Baróntii et Desidérii.
In Antro ínsula Lígeris flúminis sancti Hermelándi Abbátis, cujus gloriósa conversátio miraculórum præcónio commendátur.

v. **A** Septimo Kalendas Aprilis. Luna. **26**

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

Romæ via Lavicána sancti Cástuli Mártyris, qui cum esset Zetárius Palátii, et hospes sanctórum, a persecutóribus tértio appénsus, tértio audítus, in confessióne Dómini persevérans, missus est in fóveam, et dimíssa super eum massa arenária, martyrio coronátus est.

Ibídem corónæ sanctórum Mártyrum Petri, Marciáni, Jovíni, Theclæ, Cassiáni, et aliórum.

Pentápoli in Lybia natális sanctórum Mártyrum Theodóri Epíscopi, Irenæi Diáconi, Serapiónis et Ammónii Lectórum.

Sírmii sanctórum Mártyrum Montáni Presbyteri et Máximæ, qui ob Christi fidem in flumen demérsi sunt.

Item sanctórum Mártyrum Quadráti, Theodósii, Emmanuélis, et aliórum quadragínta.

Alexandríæ sanctórum Mártyrum Eutychii, et aliórum, qui Constántii témpore sub Geórgio Epíscopo Ariáno pro fide cathólica gládio cæsi sunt.

Eódem die sancti Ludgéri Epíscopi Monasteriénsis, qui Saxónibus Evangélium prædicávit.

Cæsaraugústæ in Hispánia sancti Braúlii Epíscopi et Confessóris.

Tréviris sancti Felícis Epíscopi.

iv. **B** Sexto Kalendas Aprilis. Luna. **27**

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

Drizíparæ in Pannónia sancti Alexándri mílitis, qui sub Maximiáno Imperatóre post multos pro Christo agónes superátos, múltaque mirácula édita, martyrium cápitis abscissióne complévit.

Eódem die sanctórum Philéti Senatóris, Lydiæ uxóris, et filiórum Macédonis et Theoprépidis : itémque Amphilóchii Ducis, et Chrónidæ Commentariénsis, qui pro Christi confessióne cæsi sunt.

In Pérside sanctórum Mártyrum Zanítæ, Lázari, Marótæ, Narsétis, et aliórum quinque, qui sub Sápore Rege Persárum sævíssime trucidáti, martyrii palmam meruérunt.

Salisbúrgi sancti Rupérti Episcopi et confessóris, qui apud Bávaros et Nóricos Evangélium mirifice propagávit.
In Ægypto sancti Joánnis Eremitæ magnæ sanctitátis viri, qui inter cétera virtútum insígnia, étiam prophético spiritu plenus, Theodósio Imperatóri victórias de tyránnis Máximo et Eugénio prædíxit.

**28** Quinto Kalendas Aprilis. Luna. **C** iij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

CÆSAREÆ in Palæstína natális sanctórum Mártyrum Prisci, Malchi, et Alexándri : qui in persecutióne Valeriáni cum in suburbáno agéllo supradictæ urbis habitárent, atque in ea cœléstes martyrii proponeréntur corónæ, divíno fidei calóre succénsi, ultro Júdicem adeúntes, cur tantum in sánguinem piórum desæviret, objúrgant : quos ille contínuo pro Christi nómine béstiis trádidit devorándos.
Tarsi in Cilícia sanctórum Mártyrum Cástoris et Dorótheï.
In Africa sanctórum Mártyrum Rogáti, Succéssi, et aliórum séxdecim.
Romæ sancti Xysti Tértii Papæ et Confessóris.
Apud Núrsiam sancti Spei Abbátis, miræ patiéntiæ viri, cujus ánima, cum ex hac vita migráret, in colúmbæ spécie a cunctis frátribus visa est in cœlum ascéndere.
Cabillóne in Gálliis depositio sancti Gunthrámni Regis Francórum, qui spiritálibus actiónibus ita se mancipávit, ut, relictis sæculi pompis, thesaúros suos Ecclésiis et paupéribus erogáret.

**29** Quarto Kalendas Aprilis. Luna. **D** ij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

IN Pérsia sanctórum Mártyrum Jonæ et Barachísii sub Sápore Rege Persárum : quorum Jonas pressus in cóchlea, confráctis óssibus, médius disséctus est; alter, opplétis faúcibus, pice ardénti suffocátus.
Heliópoli apud Líbanum sancti Cyrílli Diáconi et Mártyris, cujus jecur discisso ventre avúlsum Gentiles sub Juliáno Apóstata feráliter depásti sunt.
Nicomédiæ pássio sanctórum Mártyrum Pastóris, Victoríni, et Sociórum.
In Africa sanctórum Confessórum Armogástis Cómitis, Másculæ Archi-

mimi, et Sáturi régiæ domus procuratóris, qui témpore Wandálicæ persecutiónis sub Genseríco Rege Ariáno pro confessióne veritátis multa et grávia perpéssi supplícia, atque oppróbria, cursum gloriósi certáminis implevérunt.

In urbe Asténsi sancti Secúndi Mártyris.

In Monastério Luxoviénsi deposítio sancti Eustásii Abbátis, discípuli sancti Columbáni, qui ferme sexcentórum monachórum Pater fuit, et vitæ sanctitáte conspícuus, étiam miráculis cláruit.

j. E Tertio Kalendas Aprilis. Luna. 30

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

ROMÆ via Appia pássio beáti Quiríni Tribúni, qui a sancto Alexándro Papa, quem habébat in custódia, cum omni domo sua baptizátus est, et sub Hadriáno Imperatóre tráditus Aureliáno Júdici, cum in confessióne fídei persísteret, post linguæ abscissiónem, equúlei suspensiónem, manuúmque ac pedum detruncatiónem, agónem martyrii gládio consummávit.

Thessalonícæ natális sanctórum Mártyrum Domníni, Victóris, et Sociórum.

Constantinópoli commemorátio sanctórum plurimórum Mártyrum cathólicæ communiónis, quos Constántii témpore Macedónius hæresiárcha inaudítis tormentórum genéribus cruciátos occídit; nam inter cétera, fidélium mulíerum úbera inter labra arcárum compréssa dissécuit, et candénti ferro combússit.

In castro Silvanecténsi depositio sancti Réguli Arelaténsis Epíscopi.

Aurélíæ in Gállia sancti Pastóris Epíscopi.

Syracúsis sancti Zósimi Epíscopi et Confessóris.

In monte Sina sancti Joánnis Clímaci Abbátis.

Apud Aquínum sancti Clinii Confessóris.

* F Pridie Kalendas Aprilis. Luna. 31

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

THECUÆ in Palæstína sancti Amos Prophétæ, quem Amasías Sacérdos frequénter plagis afflixit, et fílius ejus Ozías vecte per témpora

transfixit : qui póstea semivívus in pátriam devéctus, ibidem expirávit, sepultúsque est cum pátribus suis.

In Africa sanctórum Mártyrum Theodúli, Anésii, Felícis, Cornéliæ, et Sociórum.

In Pérside sancti Bénjamin Diáconi, qui cum Dei verbum non desísteret prædicáre, sub Isdegérde Rege únguibus, arundínibus acútis confíxus, et spinósa sude per alvum transmíssa, martyrium consummávit.

Romæ sanctæ Balbínæ Vírginis, fíliæ beáti Quiríni Mártyris, quæ a sancto Alexándro Papa baptizáta, post devíctum hujus sæculi cursum sepelítur via Appia juxta patrem suum.

# APRILIS.

xxix. G Kalendis Aprilis. Luna. 1

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |

ROMÆ pássio sanctæ Theodóræ soróris illustríssimi Mártyris Hermétis, quæ sub Hadriáno Imperatóre ab Aureliáno Júdice affécta martyrio, sepúlta est juxta fratrem suum via Salária, non longe ab Urbe.
Eódem die sancti Venántii Epíscopi et Mártyris.
In Ægypto sanctórum Mártyrum Victóris et Stéphani.
In Arménia sanctórum Mártyrum Quinctiáni et Irenæi.
Constantinópoli sancti Macárii Confessóris, qui sub Leóne Imperatóre pro assertióne sanctárum Imáginum in exílio vitam finívit.
Gratianópoli sancti Hugónis Epíscopi, qui multis annis in solitúdine vitam exégit, et miraculórum glória clarus migrávit ad Dóminum.
Apud Ambiánum sancti Walerici Abbátis, cujus sepúlchrum crebris miráculis illustrátur.

xxviij. A Quarto Nonas Aprilis. Luna. 2

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |

SANCTI Francísci de Paula, Ordinis Minimórum institutóris, quem virtútibus et miráculis clarum Leo Décimus Sanctórum número adscrípsit.
Cæsaréæ in Palæstina natális sancti Amphiáni Mártyris, qui in persecutióne Galérii Maximiáni, cum Urbánum Præsidem idólis immolántem arguísset, sæve dilaniátus, ac pédibus lino in óleum intincto, eóque incénso obvolútus, acerbíssime cruciátus, demum in mare demérsus, tránsiens per ignem et aquam, edúctus est in refrigérium.
Ibídem pássio sanctæ Theodósiæ Vírginis Tyriæ, quæ in eádem persecutióne cum sanctos Confessóres ante tribúnal stantes públice salutásset, atque rogásset, ut, cum ad Dóminum pervenissent, sui recordaréntur, a milítibus tenta, et ad Urbánum Præsidem ducta, ejus jussu latéribus

et mammis ad interióra usque dilaniátis, in mare tandem projícitur.
Lugdúni sancti Nicétii ejúsdem urbis Epíscopi, vita et miráculis clari.
Apud Comum sancti Abúndii Epíscopi et Confessóris.
Apud Língonas sancti Urbáni Epíscopi.
In Palæstína depositio sanctæ Maríæ Ægyptíacæ, quæ Peccátrix appellátur.

5 Tertio Nonas Aprilis. Luna. **B** xxvij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |

Tauromenii in Sicília sancti Pancrátii Epíscopi, qui Christi Evangélium, quod a sancto Petro Apóstolo illuc missus prædicáverat, martyrii sánguine consignávit.
Tomis in Scythia natális sanctórum Mártyrum Evágrii et Benigni.
Thessaloníca pássio sanctárum Vírginum Agapis et Chióniæ sub Diocletiáno Imperatóre : quæ cum Christum negáre nollent, primum in cárcere macerátæ, póstea in ignem missæ, sed a flammis intáctæ, ibi oratióne ad Dóminum fusa, ánimas reddidérunt.
Tyri sancti Vulpiáni Mártyris, qui in persecutióne Maximiáni Galérii cum áspide et cane insútus cúlleo, in mare demérsus fuit.
In monastério Medítii in Oriénte sancti Nicétæ Abbátis, qui ob cultum sanctárum Imáginum sub Leóne Arméno multa passus est.
In Anglia sancti Richárdi Epíscopi Cicestrénsis, sanctitáte, et miraculórum glória conspícui.
Ibídem sanctæ Burgundóforæ Abbatissæ et Vírginis.
Panórmi sancti Benedícti a sancto Philadélpho Confessóris, ob córporis nigrédinem, cognoménto Nigri, Ordinis Minórum, qui signis, et virtútibus clarus prídie Nonas Aprílis in Dómino quiévit, et a Pio Séptimo Pontífice Máximo in Sanctórum número relátus.

4 Pridie Nonas Aprilis. Luna. **C 25.** xxvj.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

Hispali in Hispánia sancti Isidóri Epíscopi, sanctitáte et doctrína conspícui, qui zelo cathólicæ fídei, et observántia Ecclesiásticæ disciplínæ Hispánias illustrávit.

Thessalonícæ sanctórum Mártyrum Agathópodis Diáconi, et Theodúli Lectóris, qui sub Maximiáno Imperatóre, et Faustíno Præside ob Christiánæ fidei confessiónem, alligáto ad collum saxo, in mare demérsi sunt.
Medioláni deposítio sancti Ambrósii Episcopi et Confessóris, cujus stúdio inter cétera doctrínæ et miraculórum insígnia, témpore Ariánæ perfídiæ tota fere Itália ad cathólicam fidem convérsa est.
Constantinópoli sancti Platónis Mónachi, qui plúribus annis advérsus hæréticos sanctárum Imáginum effractóres invicto ánimo decertávit.
In Palæstína sancti Zósimi Anachorétæ, qui funus sanctæ Maríæ Ægyptíacæ curávit.

xxv. xxiv. **D** Nonis Aprilis. Luna. 5

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

Venetiæ in Británnia minóri sancti Vincéntii Confessóris, cognoménto Ferrérii, Ordinis Prædicatórum, qui potens ópere et sermóne, multa míllia infidélium convértit ad Christum.
Thessalonícæ sanctæ Irénes Vírginis, quæ cum sacros libros contra Diocletiáni edictum occultásset, post tolerántiam cárceris, sagítta percússa est, et igne cremáta jussu Dulcétii Præsidis, sub quo et soróres ejus simul Agape et Chiónia passæ ántea fúerant.
In Lesbo ínsula pássio quinque sanctórum Mártyrum.
Eódem die sancti Zenónis Mártyris, qui detrácta pelle, pice íllitus, in ignem conjéctus est.
In África pássio sanctórum Mártyrum, qui in persecutióne Genseríci Regis Ariáni in die Paschæ in Ecclésia cæsi sunt : quorum Lector, dum in púlpito Allelúia cantáret, sagítta in gútture transfíxus est.

xxiij. **E** Octavo Idus Aprilis. Luna. 6

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

Romæ natális beáti Xysti Papæ et Mártyris, qui tempóribus Hadriáni Imperatóris regens Ecclésiam, demum sub Antoníno Pio, ut sibi Christum lucrifáceret, libénter mortem sustínuit temporálem.
In Macedónia sanctórum Mártyrum Timóthei et Diógenis.
In Pérside sanctórum centum viginti Mártyrum.

Ascalóne pássio sanctórum Platónidis, et aliórum duórum Mártyrum.
Carthágine sancti Marcellíni Mártyris, qui ob Cathólicæ fídei defensiónem ab hæréticis occísus est.
Romæ sancti Cœlestíni Papæ, qui Nestórium Constantinopolitánum Epíscopum damnávit, Pelagiúmque fugávit : cujus étiam auctoritáte sancta universális Synodus Ephesína advérsus eúmdem Nestórium celebráta est.
In Hibérnia sancti Celsi Epíscopi, qui beátum Malachíam in Episcopátu præcéssit.
In Dánia sancti Guliélmi Abbátis, vita et miráculis clari.

7 Septimo Idus Aprilis. Luna. **F** xxij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

In Africa natális sanctórum Mártyrum Epiphánii Epíscopi, Donáti, Rufíni, et aliórum trédecim.
Synópe in Ponto sanctórum ducentórum Mártyrum.
In Cilícia sancti Calliópii Mártyris, qui sub Maximiáno præfécto post ália torménta verso in terram cápite cruci affíxus, nóbili coróna martyrii decorátus est.
Nicomédiæ sancti Cyríaci et aliórum decem Mártyrum.
Alexandríæ sancti Peleúsii Presbyteri et Mártyris.
Romæ sancti Hegesíppi, qui vicínus Apostolórum tempóribus Romam venit ad Anicétum Pontíficem, ibíque mansit usque ad Eleuthérium, et Ecclesiasticórum Actuum a Passióne Dómini usque ad suam ætátem sermóne símplici téxuit históriam : ut quorum vítam sectabátur, dicéndi quoque exprímeret charactére.
Verónæ sancti Saturníni Epíscopi et Confessóris.
In Syria sancti Aphraátis Anachorétæ, qui Valéntis témpore cathólicam fidem virtúte miraculórum advérsus Ariános deféndit.

8 Sexto Idus Aprilis. Luna. **G** xxj.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

Alexandriæ sancti Ædésii Mártyris, fratris beáti Appliiáni, qui sub Maximiáno Galério Imperatóre cum ímpium Júdicem, quod Deo dicátas Vírgines leónibus tráderet, palam argúeret, a milítibus tentus,

sævissimísque afféctus supplíciis, in mare demérsus est pro Christo Dómino.

In Africa sanctórum Mártyrum Januárii, Máximæ, et Macáriæ.

Carthágine sanctæ Concéssæ Mártyris.

Eódem die commemorátio sanctórum Herodiónis, Asyncríti, et Phlegóntis, de quibus scribit beátus Paulus Apóstolus in epístola ad Romános.

Apud Corínthum beáti Dionysii Epíscopi qui eruditióne et grátia, quam hábuit in verbo Dei, non solum suæ civitátis et provínciæ pópulos, sed et aliárum provinciárum et úrbium Epíscopos epístolis erudívit; Romanósque Pontífices ádeo cóluit, ut eórum epístolas públice légere in Ecclésia diébus Domínicis consuéverit. Cláruit autem tempóribus Marci Antoníni Veri, et Lúcii Aurélii Cómmodi.

Turónis sancti Perpétui Epíscopi, admirándæ sanctitátis viri.

Ferentíni in Hérnicis sancti Redémpti Epíscopi, cujus méminit beátus Gregórius Papa.

Apud Comum sancti Amántii Epíscopi, et Confessóris.

xx. **A** Quinto Idus Aprilis. Luna. 9

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

Antiochiæ sancti Próchori, qui fuit unus de septem primis Diáconis; et fide ac miráculis clarus, martyrio coronátus est.

Romæ natális sanctórum Mártyrum Demétrii, Concéssi, Hilárii, et Sociórum.

Sírmii pássio sanctárum septem Vírginum et Mártyrum, quæ dato simul prétio sánguinis, vitam mercátæ sunt ætérnam.

Cæsaréæ in Cappadócia sancti Eupsychii Mártyris, qui ob evérsum Fortúnæ fanum sub Juliáno Apóstata martyrium consummávit.

In Africa sanctórum Mártyrum Massylitanórum, in quorum die natáli sanctus Augustínus tractátum hábuit.

Amidæ in Mesopotámia sancti Acátii Epíscopi, qui pro rediméndis captívis etiam Ecclésiæ vasa conflávit, ac véndidit.

Rhotómagi sancti Hugónis Epíscopi et Confessóris.

In civitáte Diénsi sancti Marcélli Epíscopi, miráculis clari.

In Judæa sanctæ Maríæ Cléophæ, soróris sanctíssimæ Dei Genitrícis Maríæ.

Romæ translátio córporis sanctæ Mónicæ matris beáti Augustíni Epíscopi, quod ex Ostiis Tiberínis, Martíno Quinto summo Pontífice, in

Urbem delátum, in Ecclésia ejúsdem beáti Augustíni honorífice recónditum fuit.
Móntibus in Hannónia beátæ Waldetrúdis, vitæ sanctimónia et miráculis claræ.

10 Quarto Idus Aprilis. Luna. B xix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

Ezechielis Prophétæ, qui a Júdice pópuli Israël, quod eum de cultu idolórum argúeret, apud Babylóniam interféctus, in sepúlchro Sem et Arpháxad Abrahæ progenitórum sepúltus est, ad quod oratiónis causa multi conflúere consuevérunt.
Romæ natális plurimórum sanctórum Mártyrum, quos sanctus Alexánder Papa, cum detinerétur in cárcere, baptizávit. Hos autem omnes Aureliánus Præféctus navi vetústæ impósitos, in altum mare dedúci, et illic, ligátis ad colla lapídibus, mergi præcépit.
Alexandriæ sanctórum Mártyrum Apollónii Presbyteri et aliórum quinque, qui in persecutióne Maximiáni in mare demérsi sunt.
In Africa sanctórum Mártyrum Teréntii, Africáni, Pompéji, et Sociórum, qui sub Décio Imperatóre et Fortunián Præfécto virgis cæsi, equúleis torti, aliísque supplíciis cruciáti, demum cápitis obtruncatióne martyrium complevérunt.
Eódem die sancti Macárii Epíscopi Antiochéni, virtútibus et miráculis clari.

11 Tertio Idus Aprilis. Luna. C xviij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

Romæ sancti Leónis Papæ et Confessóris, qui virtútum excéllens méritis, dictus est Magnus. Ejus tempóribus celebráta fuit sancta Synodus Chalcedonénsis, in qua ipse per legátos Eútychen damnávit; cujus étiam Synodi decréta auctoritáte sua confirmávit: cumque multa sanxísset, et luculénter scripsísset de sancta Dei Ecclésia et univérso grege Domínico Pastor bonus óptime méritus, in pace quiévit.

Pérgami in Asia sancti Antipæ testis fidélis, cujus méminit sanctus Joánnes in Apocalypsi. Is sub Domitiáno Imperatóre in bovem æneum candéntem conjéctus martyrium consummávit.
Salónæ in Dalmátia sanctórum Mártyrum Domniónis Epíscopi, cum militibus octo.
Gortyne in Creta sancti Philíppi Epíscopi, vita et doctrína claríssimi, qui tempóribus Marci Antoníni Veri, et Lúcii Aurélii Cómmodi Ecclésiam sibi créditam regens, a furóre Gentílium, et hæreticórum insídiis, eámdem tutátus est.
Nicomédiæ sancti Eustórgii Presbyteri.
Spoléti sancti Isaac Mónachi et Confessóris, cujus virtútes sanctus Gregórius Papa commémorat.
Apud Gazam Palæstínæ sancti Barsanúphii Anachorétæ, sub Justiniáno Imperatóre.

xvij. D Pridie Idus Aprilis. Luna. 12

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

Veronæ pássio sancti Zenónis Epíscopi, qui inter procéllas persecutiónis eam Ecclésiam mira constántia gubernávit, et Galliéni témpore martyrio coronátus est.
In Cappadócia sancti Sabæ Gothi, qui sub Valénte Imperatóre, cum Athanaricus Gothórum Rex Christiános insequerétur, post dira torménta in flumen projéctus est : quo étiam témpore (ut sanctus Augustínus scribit) quamplúrimi ex Gothis orthodóxis martyrii coróna sunt insigniti.
Brácari in Lusitánia sancti Victóris Mártyris, qui adhuc catechúmenus, cum idólum adoráre noluísset, et Christum Jesum magna constántia conféssus fuísset, post multa torménta, cápite abscísso, méruit próprio sánguine baptizári.
Firmi in Picéno sanctæ Vissiæ Vírginis et Mártyris.
Romæ via Aurélia natális sancti Júlii Papæ, qui advérsus Ariános pro fide cathólica plúrimum laborávit, ac multis præcláre gestis, sanctitáte célebris quiévit in pace.
Apud Vapingum óppidum sancti Constantíni Epíscopi et Confessóris.
Papiæ sancti Damiáni Epíscopi.

| 13 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | Idibus Aprilis. Luna. E xvj. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

Hispali in Hispánia sancti Hermenegildi filii Leovigildi Regis Visigothórum Ariáni, qui ob cathólicæ fidei confessiónem in cárcerem conjéctus, cum in solemnitáte Paschali communiónem ab Epíscopo Ariáno accípere noluísset, jussu pérfidi patris secúri percússus regnum cœléste pro terréno Rex et Martyr intrávit.

Pérgami in Asia natális sanctórum Mártyrum Carpi Epíscopi Thyatirénsis, Pápyli Diáconi, et Agathónicæ soróris ejus óptimæ féminæ, Agathodóri quoque eórum fámuli, aliorúmque multórum, qui post vários cruciátus, pro beátis confessiónibus martyrio coronáti sunt in persecutióne Marci Antoníni Veri, et Lúcii Aurélii Cómmodi.

In qua étiam persecutióne Romæ passus est vir mirábilis Justínus Philósophus, qui cum secúndum librum pro religiónis nostræ defensióne præfátis Imperatóribus porrexísset, eámque ibídem disputándo strénue propugnásset, Crescéntis Cynici, cujus vitam et mores nefários redargúerat, insídiis accusátus quod Christiánus esset, remuneratiónem linguæ fidélis, martyrii munus accépit.

Eódem die pássio sanctórum Máximi, Quinctiliáni et Dadæ, in persecutióne Diocletiáni.

Ravénnæ sancti Ursi Epíscopi et Confessóris.

| 14 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | Decimooctavo Kalendas Maji. Luna. F xv. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

Romæ via Appia natális sanctórum Mártyrum Tibúrtii, Valeriáni et Máximi sub Alexándro Imperatóre et Almáchio Præfécto : quorum primi beátæ Cæcíliæ exhortatióne ad Christum convérsi, et a sancto Urbáno Papa baptizáti, ob fidei confessiónem fústibus cæsi, gládio percússi sunt : Máximus vero Præfécti cubiculárius, horum permótus constántia, et angélica visióne firmátus, in Christum credens, támdiu plumbátis verberátus est, donec spíritum exhaláret.

Interámnæ sancti Próculi Epíscopi et Mártyris.

5.

Item sanctæ Domnínæ Vírginis et Mártyris, cum Sóciis Virgínibus coronátæ.
Alexandríæ sanctæ Thomáidis Mártyris.
Eódem die sancti Ardaliónis Mimi, qui cum sacris Christianórum in theátro illúderet, derepénte mutátus, ea non solum verbis, sed et testimónio sui sánguinis comprobávit.
Lugdúni sancti Lambérti Epíscopi et Confessóris.
Alexandríæ sancti Frontónis Abbátis, cujus vita sanctitáte et miráculis cláruit.
Romæ sancti Abúndii Mansionárii Ecclésiæ sancti Petri.

xiv. G Decimoseptimo Kalendas Maji. Luna. 15

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

Romæ sanctárum Basilissæ et Anastásiæ nobílium feminárum, quæ cum essent Apostolórum discípulæ, et constántes in fídei confessióne persisterent, sub Neróne Imperatóre lingua pedibúsque præcísis, percússæ gládio, martyrii corónam adéptæ sunt.
Eódem die sanctórum Mártyrum Marónis, Eutychétis, et Victoríni, qui primo cum beáta Flávia Domitílla apud ínsulam Póntiam in Christi confessióne éxules, póstmodum sub Príncipe Nerva liberáti, cum plúrimos ad fidem convertissent, in persecutióne Trajáni a Valeriáno Júdice váriis pœnis jussi sunt intérfici.
In Pérside sanctórum Mártyrum Máximi, et Olympíadis, qui sub Décio Imperatóre fústibus et plumbátis cæsi sunt, et ad últimum cápita eórum fústibus tunsa, donec emítterent spíritum.
Ferentíni in Hérnicis sancti Eutychii Mártyris.
Myræ in Lícia sancti Crescéntis, qui per ignem martyrium consummávit.
Item sanctórum Mártyrum Theodóri et Pausilíppi, qui sub Hadriáno Imperatóre passi sunt.

xiij. A Sextodecimo Kalendas Maji. Luna. 16

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

Corinthi natális sanctórum Mártyrum Callísti et Charísii, cum áliis septem, qui omnes in mare demérsi sunt.

Cæsaraugústæ in Hispánia natális sanctórum decem et octo Mártyrum, Optáti, Lupérci, Successi, Martiális, Urbáni, Júliæ, Quinctiliáni, Públii, Frontónis, Felícis, Cæciliáni, Evéntii, Primitívi, Apodémii, et aliórum quátuor, qui Saturníni vocáti esse referúntur. Hi omnes sub Daciáno Hispaniárum Præside simul pœnis affécti, atque interémpti sunt : quorum illústre martyrium Prudéntius vérsibus exornávit.

Ibídem sanctæ Encrátidis Vírginis et Mártyris, quæ laniáto córpore, mamílla abscíssa, et jécore avúlso, adhuc supérstes in cárcere inclúsa est, donec ulcerátum corpus putrésceret.

In eádem civitáte sanctórum Caji et Creméntii, qui secúndo conféssi, et in fide Christi perseverántes, martyrii cálicem gustavérunt.

Item ibídem sancti Lambérti Mártyris.

Paléntiæ sancti Turíbii Epíscopi Asturicénsis, qui ope sancti Leónis Papæ hæresim Priscilliáni ex Hispánia pénitus profligávit, clarúsque miráculis in pace quiévit.

Brácari in Lusitánia sancti Fructuósi Epíscopi.

Eódem die sancti Patérni Epíscopi Abricénsis.

In Belgis apud Valencénas sancti Drogónis Confessóris.

Senis in Túscia beáti Jóachim Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis.

17 Quintodecimo Kalendas Maji. Luna. **B** xij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

Romæ sancti Anicéti Papæ et Mártyris, qui in persecutióne Marci Aurélii Antoníni, et Lúcii Veri, martyrii palmam accépit.

In Africa natális beáti Mappálici Mártyris, qui (ut scribit sanctus Cypriánus in epístola ad Mártyres et Confessóres) cum áliis plúribus martyrio coronátus est.

Ibídem sanctórum Mártyrum Fortunáti et Marciáni.

Antiochíæ sanctórum Mártyrum Petri Diáconi, et Hermógenis ejus minístri.

Córdubæ sanctórum Mártyrum Elíæ Presbyteri, Pauli et Isidóri Monachórum.

Viénnæ sancti Pantágathi Epíscopi.

Terdónæ sancti Innocéntii Epíscopi et Confessóris.

Cistércii in Gállia sancti Stéphani Abbátis, qui primus erémum Cisterciénsem incóluit, et sanctum Bernárdum cum sóciis ad se veniéntem lætus excépit.

In monastério Casæ Dei Claromontánæ Diœcésis sancti Robérti Confessóris, ejúsdem monastérii conditóris et primi Abbátis.

xj. C Quartodecimo Kalendas Maji. Luna. 18

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

Romæ beáti Apollónii Senatóris, qui sub Cómmodo Príncipe et Perénnio Præfécto, a servo próditus quod Christiánus esset, jussus ut ratiónem fídei suæ rédderet, insígne volúmen compósuit, quod in Senátu legit, et nihilóminus senténtia Senátus pro Christo cápite truncátus est.

Messánæ natális sanctórum Mártyrum Eleuthérii Epíscopi Illyrici, et Anthiæ matris ejus : qui cum esset vitæ sanctimónia et miraculórum virtúte illústris, sub Hadriáno Príncipe lectum férreum ignitum, craticulam, et sartáginem óleo, pice, ac resina fervéntem súperans, leónibus quoque projéctus, sed ab illis nil læsus, novíssime una cum matre jugulátur.

Ibídem sancti Corébi Præfécti, qui per sanctum Eleuthérium convérsus ad fidem, gládio percússus est.

Bríxiæ sancti Calóceri Mártyris, qui a sanctis Faustíno et Jovíta convérsus ad Christum, sub eódem Hadriáno gloriósum confessiónis certámen complévit.

Córdubæ sancti Perfécti Presbyteri, et Mártyris, a Mauris, quod in Mahumétis sectam inveherétur, perémpti.

Medioláni sancti Galdíni Cardinális, et ejúsdem civitátis Epíscopi, qui, concióne advérsus hæréticos expléta, spíritum Deo réddidit.

Etrúriæ in Monte Senário beáti Amidæi Confessóris, ex septem Fundatóribus Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, flagrantíssima in Deum charitáte præclári.

x. D Tertiodecimo Kalendas Maji. Luna. 19

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

Natalis sancti Timónis Diáconi de septem primis, qui primo apud Berœam Doctor resédit, ac deinde verbum Dómini disséminans, venit Corínthum, ibique a Judæis et Græcis (ut tráditur) flammis

injéctus, sed nihil læsus, demum cruci affixus martyrium suum implévit.
Melitinæ in Arménia sanctórum Mártyrum Hermógenis, Caji, Expedíti, Aristónici, Rufi, et Gálatæ una die coronatórum.
Caucolíberi in Hispánia Tarraconénsi pássio sancti Vincéntii Mártyris.
Eódem die sanctórum Mártyrum Sócratis et Dionysii, qui lánceis confóssi sunt.
Jerosólymis sancti Paphnútii Mártyris.
Cantuáriæ in Anglia sancti Elphegi Episcopi et Mártyris.
Antiochíæ Pisídiæ sancti Geórgii Epíscopi, qui ob cultum sanctárum Imáginum exul occúbuit.
Romæ sancti Leónis Papæ Noni, virtútum et miraculórum laude insígnis.
In cœnóbio Laubiénsi sancti Ursmári Episcopi.
Floréntiæ sancti Crescéntii Confessóris, discípuli beáti Zenóbii Epíscopi.

20 Duodecimo Kalendas Maji. Luna. E ix.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

ROMÆ sanctórum Mártyrum Sulpícii et Serviliáni, qui prædicatióne et miráculis beátæ Domitíllæ Vírginis ad Christi fidem convérsi, cum nollent idólis immoláre, in persecutióne Trajáni a præfécto Urbis Aniáno cápite cæsi sunt.
Eódem die sanctórum Mártyrum Victóris, Zótici, Zenónis, Acindíni, Cæsárei, Severiáni, Chrysóphori, Theónæ, et Antoníni, qui sub Diocletiáno várie tentáti, martyrium complevérunt.
Tomis in Scythia sancti Theotími Episcopi, quem ob insígnem ejus sanctitátem atque miràcula, étiam infidéles bárbari veneráti sunt.
Ebredúni in Gálliis sancti Marcellíni primi ejúsdem urbis Epíscopi, qui Dei mónitu cum sanctis sóciis Vincéntio et Domníno ex Africa véniens, máximam partem Alpium maritimárum verbo et signis admirándis, quibus usque hódie refúlget, ad fidem Christi convértit.
Antisiodóri sancti Marciáni Presbyteri.
Eódem die sancti Theodóri Confessóris, ab áspera cilícii veste, qua tegebátur, cognoménto Trichínas, qui multis virtútibus, præsértim advérsus dæmones, cláruit : ex cujus córpore unguéntum scatúriens, ægrótis sanitátem impértit.
In monte Politiáno sanctæ Agnétis Vírginis Ordinis sancti Domínici, miráculis claræ.

viij. F Undecimo Kalendas Maji. Luna. 21

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

Cantuariæ in Anglia sancti Ansélmi Epíscopi, sanctitáte et doctrina conspícui.

In Pérside natális sancti Simeónis Epíscopi Seleúciæ et Ctesiphóntis : qui, jubénte Sápore Persárum Rege, compreliénsus, ferróque onústus, iníquis tribunálibus exhíbitus, cum solem ipsum adoráre nollet, et de Jesu Christo voce líbera et constantíssima testarétur : primum carceráli ergástulo cum áliis centum (ex quibus álii Epíscopi, álii erant Presbyteri, álii diversórum órdinum Clérici) longo témpore macerátus est : deinde cum Usthazánes Regis nutrítius, qui ante jam lapsus a fide, sed per eum ad pœniténtiam fúerat revocátus, martyrium constánter subiisset; postrídie, qui erat ánnuus Domínicæ passiónis dies, ómnibus ante Simeónis óculos, qui unumquémque eórum strénue exhortabátur, gládio jugulátis, novíssime et ipse decollátus est. Passi sunt étiam cum eo claríssimi viri, Abdéchalas et Ananías ejus Presbyteri : Pusícius quoque Præféctus Regis artíficum, eo quod Ananíam titubántem corroborásset, collo circa téndinem perforáto, et lingua exínde extrácta, crudéli morte occúbuit; post quem et fília ejus, quæ erat sacra virgo, necáta est.

Alexandríæ sanctórum Mártyrum Aratóris Presbyteri, Fortunáti, Felícis, Sílvii et Vitális, qui in cárcere quievérunt.

Item sanctórum Apóllinis Isácii, et Crotátis, qui sub Diocletiáno passi sunt.

Antiochíæ sancti Anastásii Sinaitæ Epíscopi.

vij. G Decimo Kalendas Maji. Luna. 22

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

Romæ via Appia natális sancti Sotéris Papæ et Mártyris.

Ibídem sancti Caji Papæ, qui sub Diocletiáno Príncipe martyrio coronátus est.

Smyrnæ sanctórum Apéllis et Lúcii ex primis Christi discípulis.

Eódem die sanctórum plurimórum Mártyrum, qui sequénti anno post

óbitum Simeónis, ánnuo item die, quo passiónis Domínicæ memória celebrabátur, per totam Pérsidis regiónem pro Christi nómine sub Rege Sápore, gládio cædi jussi sunt. In quo fidei certámine passus est Azades eunúchus Regi charissimus : Milles Epíscopus, sanctitáte et miraculórum glória insígnis ; Acépsimas Epíscopus, cum Presbytero suo Jacóbo, item Aíthala et Joséрho Presbyteris, Azadáne et Abdiéso Diáconis, et complúribus áliis Cléricis : Maréas quoque et Bicor Epíscopi, cum áliis vigínti Epíscopis, et Cléricis fere ducéntis quinquagínta, Mónachis étiam et sacris Virgínibus plúrimis, inter quas et sancti Simeónis Episcopi soror, nómine Tárbula, cum pedissequa sua, quæ stipítibus alligátæ, serráque scissæ, crudelissime necátæ sunt.

Item in Pérsia sanctórum Parménii, Heliménæ et Chrysóteli Presbyterórum, Lucæ et Múcii Diaconórum : quorum triúmphus martyrii in passióne sanctórum Abdon et Sennen habétur.

Alexandriæ natális sancti Leonídis Mártyris, qui sub Sevéro passus est.

Lugdúni sancti Epipódii, qui in persecutióne Antoníni Veri cum Alexándro colléga tentus, post dirà torménta martyrium cápitis abscissióne complévit.

Apud Sénonas sancti Leónis Epíscopi et Confessóris.

Anastasiópoli sancti Theodóri Epíscopi, miráculis clari.

23 Nono Kalendas Maji. Luna A vj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

NATALIS sancti Geórgii Mártyris, cujus illústre martyrium inter corónas Mártyrum Ecclésia Dei venerátur.

Valéntiæ in Gállia pássio sanctórum Mártyrum Felícis Presbyteri, Fortunáti et Achíllei Diaconórum : qui a beáto Irenæo Lugdunénsi Epíscopo ad prædicándum verbum Dei missi, cum máximam partem illíus civitátis ad fidem Christi convertíssent, a Cornélio duce in cárcerem trusi sunt, deinde diutíssime verberáti, cruribúsque confráctis, circa rotárum vertíginem stricti, fumum quoque in equúlei suspensióne perpéssi, ad extrémum gládio consummáti sunt.

In Prússia natális sancti Adalbérti Pragénsis Epíscopi et Mártyris, qui Polónis et Húngaris Evangélium prædicávit.

Medioláni sancti Mároli Epíscopi et Confessóris.

Tulli in Gállia sancti Gerárdi ejúsdem civitátis Episcopi.

v. B Octavo Kalendas Maji. Luna. 24

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

Sevisii in Rhétia sancti Fidélis a Sigmaringa Ordinis Minórum Capuccinórum, qui illuc ad prædicándum cathólicam Fidem missus, ab hæréticis interémptus martyrium consummávit, et a Benedícto decimoquárto Pontífice Máximo inter sanctos Mártyres relátus est.

Romæ sancti Sabæ ductóris militum, qui accusátus quod Christiános in cárcere deténtos visitáret, coram Júdice Christum libere conféssus est : a quo fácibus adústus, et in lebétem picis fervéntis injéctus ; cum evasísset illæsus, eo miráculo septuagínta viros ad Christum convértit : qui omnes in confessióne fidei constánter permanéntes, gládio cæsi sunt : postrémo ipse demérsus in flumen, martyrium consummávit.

Lugdúni in Gállia natális sancti Alexándri Mártyris, qui in persecutióne Antoníni Veri post cárceris custódiam primo ita laniátus est crudelitáte verberántium, ut crate solúta costárum, patefáctis viscéribus, interióra córporis panderéntur : deínde crucis affíxus patíbulo, beátum spíritum exanimátus emísit. Passi sunt cum eo álii número trigintaquátuor, quorum memória áliis diébus ágitur.

Eódem die sanctórum Mártyrum Eusébii, Neónis, Leóntii, Longíni, et aliórum quátuor, qui in persecutióne Diocletiáni post diros cruciátus gládio percússi sunt.

In Anglia depositio sancti Melliti Episcopi, qui a sancto Gregório in Angliam missus, Orientáles Sáxones et Regem ipsórum ad fidem convértit.

Illiberi in Hispánia sancti Gregórii Epíscopi et Confessóris.

Bríxiæ sancti Honórii Epíscopi.

In Hibérnia sancti Egbérti Presbyteri et Mónachi, admirándæ humilitátis et continéntiæ viri.

Rhemis sanctárum Vírginum Bonæ et Dodæ.

iv. C Septimo Kalendas Maji. Luna. 25

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

Alexandriæ natális beáti Marci Evangelistæ. Hic discípulus et intérpres Apóstoli Petri, rogátus Romæ a frátribus, scripsit Evangélium,

quo assúmpto perréxit in Ægyptum, primúsque Alexandriæ Christum annúntians, constituit Ecclésiam : ac póstea pro fide Christi tentus, fúnibus vinctus, et per saxa raptátus, gráviter afflictus est : deínde reclúsus in cárcere, primo angélica visitatióne confortátus, et demum ipso Dómino sibi apparénte, ad cœléstia regna vocátus est octávo Nerónis anno.
Romæ Litaníæ majóres ad sanctum Petrum.
Syracúsis sanctórum Mártyrum Evódii, Hermógenis, et Callísti.
Antiochíæ sancti Stéphani Epíscopi et Mártyris, qui ab hæréticis Synodum Chalcedonénsem impugnántibus multa passus, in Oróntem flúvium præcipitátus est, témpore Zenónis Imperatóris.
Ibídem sanctórum Philónis et Agathópodis Diaconórum.
Alexandríæ sancti Aniáni Epíscopi, qui beáti Marci discípulus, ejúsque in Episcopátu succéssor, clarus virtútibus quiévit in Dómino.
Laúbiis natális sancti Ermíni Epíscopi et Confessóris.

26 Sexto Kalendas Maji. Luna. D iij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

ROMÆ natális beáti Cleti Papæ, qui secúndus post Apóstolum Petrum rexit Ecclésiam, et in persecutióne Domitiáni martyrio coronátus est.
Ibídem sancti Marcellíni Papæ et Mártyris, qui sub Maximiáno pro fide Christi una cum Claúdio, Cyríno et Antoníno cápite truncátus est : quo témpore magna fuit persecútio, ita ut intra mensem, decem et septem míllia Christianórum martyrio coronaréntur.
Amaséæ in Ponto sancti Basiléi Epíscopi et Mártyris, qui sub Licínio Imperatóre illústre martyrium consummávit, cujus corpus in mare projéctum, et ab Elpidíphoro Angeli mónitu repértum, honorífice tumulátum fuit.
Brácari in Lusitánia sancti Petri Mártyris, primi ejúsdem civitátis Epíscopi.
Viénnæ sancti Claréntii Epíscopi et Confessóris.
Verónæ sancti Lucídii Epíscopi.
In monastério Céntula sancti Richárii Presbyteri et Confessóris.
Trecis sanctæ Exuperántiæ Vírginis.

ij. E Quinto Kalendas Maji. Luna. 27

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

Nicomediæ natális sancti Anthimi Epíscopi et Mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni ob confessiónem Christi, martyrii glóriam cápitis obtruncatióne suscépit. Secúta est quoque illum univérsa pene gregis sui multitúdo, quorum álios Judex gládio obtruncári, álios ígnibus conflagrári, álios navículis impósitos pélago immérgi fecit.

Tarsi in Cilícia sanctórum Cástoris et Stéphani Mártyrum.

Romæ depositio beáti Anastásii Papæ, viri ditíssimæ paupertátis et Apostólicæ solicitúdinis : quem (ut ait sanctus Hierónymus) diu Roma habére non méruit, ne orbis caput sub tali Epíscopo truncarétur : nam haud multo post ejus óbitum Roma a Gothis capta atque dirépta fuit.

Bonóniæ sancti Tertulliáni Epíscopi et Confessóris.

Brixiæ sancti Theóphili Epíscopi.

Constantinópoli sancti Joánnis Abbátis, qui pro cultu sacrárum Imáginum sub Leóne Isaúrico plúrimum decertávit.

Tarracónæ beáti Petri Armengaúdii, Ordinis beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum, qui pro fidélibus rediméndis in Africa multa passus, tandem in convéntu sanctæ Maríæ Pratórum beáto fine quiévit.

Limæ in regno Peruáno sancti Turibii Archiepíscopi, de cujus natáli ágitur décimo Kaléndas Aprílis.

Lucæ in Itália beátæ Zitæ Vírginis, virtútum et miraculórum fama conspícuæ, cujus festum Leo Décimus Póntifex Máximus hac die celebrándum constítuit.

j. F Quarto Kalendas Maji. Luna. 28

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

Ravennæ natális sancti Vitális Mártyris, patris sanctórum Gervásii et Protásii : qui cum beáti Ursicíni corpus sublátum honestáte débita sepelísset, tentus a Paulíno Consulári, post equúlei torménta jussus est depóni in profúndam fóveam, et terra ac lapídibus óbrui ; talíque martyrio migrávit ad Christum.

Medioláni sanctæ Valériæ Mártyris, cónjugis sancti Vitális.

Atínæ sancti Marci, qui a beáto Petro Apóstolo Epíscopus ordinátus, Æquícolis primus Evangélium prædicávit, et in persecutióne Domitiáni sub Máximo Præside martyrii corónam accépit.
Alexandríæ pássio sanctæ Theodóræ Vírginis, quæ idólis sacrificáre contémnens, cum esset in lupánar trádita, repénte quidam ex frátribus nómine Dídymus miro Dei favóre commutátis véstibus illam erípuit; qui póstea in persecutíone Diocletiáni sub Eustrátio Præside simul cum eádem percússus, simul coronátus est.
Eódem die sanctórum Aphrodísii, Caralíppi, Agápii, et Eusébii Mártyrum.
In Pannónia sancti Polliónis Mártyris sub Diocletiáno Imperatóre.
Prusæ in Bithynia sanctórum Mártyrum Patrítii Epíscopi, Acátii, Menándri, et Polyæni.
Turiasóne in Hispánia sancti Prudéntii Epíscopi et Confessóris.
Corfínii in Pelígnis sancti Pámphili Valvénsis Epíscopi, charitáte in paúperes et grátia miraculórum illústris : cujus corpus Sulmóne cónditum est.

29 Tertio Kalendas Maji. Luna. G *

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |

Mediolani sancti Petri Mártyris, Ordinis Prædicatórum, ab hæréticis ob fidem cathólicam interémpti.
Apud Paphum in Cypro sancti Tychici discípuli beáti Pauli Apóstoli, quem idem Apóstolus in suis epístolis charíssimum fratrem, minístrum fidélem, et consérvum suum in Dómino appéllat.
Cirthæ in Numídia natális sanctórum Mártyrum Agápii et Secundíni Episcopórum, qui post longum apud præfátam urbem exílium, in persecutióne Valeriáni, in qua tunc máxime Gentílium rábies ad tentándam justórum fidem inhiábat, ex illústri sacerdótio effécti sunt mártyres gloriósi. Passi sunt in eórum collégio Æmiliánus miles, Tertúlla et Antónia sacræ Vírgines, et quædam múlier cum suis géminis.
Eódem die sanctórum septem Latrónum, qui a sancto Jásone ad Christum convérsi, martyrio vitam adépti sunt sempitérnam.
Bríxiæ sancti Paulíni Epíscopi et Confessóris.
In cœnóbio Cluniacénsi sancti Hugónis Abbátis.
In monastério Molisménsi sancti Robérti primi Abbátis Cistércii.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| xxix. A | | | | | | Pridie Kalendas Maji. Luna. | | | | | | | | | | | | | 30 |
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u | |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

Romæ sanctæ Catharinæ Vírginis Senénsis, Ordinis sancti Domínici, vita et miráculis claræ, quam Pius Secúndus sanctárum Vírginum número adscripsit.

Lambésæ in Numídia natális sanctórum Mártyrum Mariáni Lectóris, et Jacóbi Diáconi; quorum prior, cum jam pridem infestatiónes Deciánæ persecutiónis in confessióne Christi vicisset, íterum cum claríssimo colléga tentus est, et ambo mirabíliter post dira et exquisíta supplícia divínis revelatiónibus secúndo confortáti, novíssime cum multis áliis gládio consummáti sunt.

Apud Sántonas beáti Eutrópii Epíscopi et Mártyris, quem sanctus Clemens Pontificális órdinis grátia consecrátum diréxit in Gálliam, peractáque diu prædicatióne, ob Christi testimónium collíso cápite, victor occúbuit.

Córdubæ sanctórum Mártyrum Amatóris Presbyteri, Petri Mónachi, et Ludovíci.

Nováriæ sancti Lauréntii Presbyteri, et puerórum Mártyrum, quos ille suscéperat educándos.

Alexandríæ sanctórum Mártyrum Aphrodísii Presbyteri, et aliórum trigínta.

Ephesi sancti Máximi Mártyris, qui in persecutióne Décii coronátus est.

Firmi in Picéno sanctæ Sophíæ Vírginis et Mártyris.

Neápoli in Campánia sancti Sevéri Epíscopi, qui inter ália admiránda, mórtuum de sepúlchro excitávit ad tempus, ut mendácem creditórem víduæ et pupillórum falsitátis argúeret.

Evóreæ in Epíro sancti Donáti Epíscopi, qui témpore Theodósii Imperatóris exímia sanctitáte refúlsit.

Londíni in Anglia sancti Erconváldi Epíscopi, qui multis miráculis cláruit.

# M A J U S.

1 Kalendis Maji. Luna. B xxviij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |

NATALIS beatórum Apostolórum Philíppi et Jacóbi : ex quibus Philíppus, postquam omnem pene Scythiam ad fidem Christi convertísset, apud Hierápolim Asiæ civitátem cruci affíxus, et lapídibus óbrutus, glorióso fine quiévit : Jacóbus vero, qui et frater Dómini légitur, et primus Jerosolymórum Epíscopus, e pinna templi præcipitátus, confráctis crúribus, ac fullónis fuste in cérebro percússus intériit, ibíque non longe a templo sepúltus est.

In Ægypto sancti Jeremíæ Prophétæ, qui a pópulo lapídibus óbrutus, apud Taphnas occúbuit, ibíque sepúltus est : ad cujus sepúlchrum fidéles (ut refert sanctus Epiphánius) supplicáre consuevérunt, índeque sumpto púlvere, áspidum mórsibus medéntur.

In Gálliis, território Vivariénsi, beáti Andéoli Subdiáconi, quem sanctus Polycárpus una cum áliis ab Oriénte misit in Gálliam ad prædicándum verbum Dei. Hic sub Sevéro Imperatóre spinósis fústibus cæsus, demum ense lígneo cápite in quátuor partes in modum crucis conscísso, martyrium consummávit.

Oscæ in Hispánia sanctórum Mártyrum Oréntii et Patiéntiæ.

Sedúni in Gállia pássio sancti Sigismúndi Regis Burgundiónum, qui in púteum demérsus occúbuit, ac póstea miráculis cláruit.

Antisiodóri sancti Amatóris Epíscopi et Confessóris.

Aúscii sancti Oriéntii Epíscopi.

In Anglia sanctórum Asaphi Epíscopi, et Walbúrgæ Vírginis.

Bérgomi sanctæ Gratæ Víduæ.

Forolívii sancti Peregríni, Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis.

2 Sexto Nonas Maji. Luna. C xxvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |

ALEXANDRIÆ natális sancti Athanásii ejúsdem urbis Epíscopi, sanctitáte et doctrina claríssimi, in cujus persecutiónem univérsus pene

orbis conjuráverat : ipse tamen cathólicam fidem a témpore Constantíni usque ad Valéntem advérsus Imperatóres, Præsides, et innúmeros Epíscopos Ariános strénue propugnávit, a quibus plúrimas perpéssus insídias, prófugus toto orbe actus est, nec ullus ei tutus ad laténdum supérerat locus : tandem ad suam Ecclésiam revérsus, post multos agónes, multásque patiéntiæ corónas, quadragésimo sexto sui sacerdótii anno migrávit ad Dóminum, témpore Valentiniáni et Valéntis Imperatórum.

Romæ sanctórum Mártyrum Saturníni, Neópoli, Germáni et Cœlestíni, qui multa passi, in cárcerem demum conjécti, ibi in Dómino quievérunt.

Item sanctórum Mártyrum Exupérii et Zoes uxóris ejus, Cyríaci et Theodúli filiórum, qui sub Hadriáno Imperatóre passi sunt.

Hispali sancti Felícis Diáconi et Mártyris.

Eódem die sancti Vindemiális Epíscopi et Mártyris, qui una cum sanctis Epíscopis Eugénio, et Longíno, doctrína et miráculis advérsus Ariános decértans, ab Hunneríco Rege cápite obtruncári jubétur.

Abulæ in Hispánia sancti Secúndi Epíscopi de quo étiam infra Idibus Maji cum áliis ágitur.

Floréntiæ sancti Antoníni Epíscopi, Ordinis Prædicatórum, sanctitáte ac doctrína célebris, cujus festus dies ágitur sexto Idus Maji.

xxvj. D Quinto Nonas Maji. Luna. 3

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

JEROSOLYMIS Invéntio sacrosánctæ Crucis Domínicæ, sub Constantíno Imperatóre.

Romæ via Nomentána pássio sanctórum Mártyrum Alexándri Papæ, Evéntii et Theodúli Presbyterórum : ex quibus Alexánder sub Hadriáno Príncipe et Aureliáno Júdice post víncula, cárceres, equúleum, úngulas et ignes, punctis crebérrimis per tota membra confóssus, ac perémptus est : Evéntius vero et Theodúlus post longos cárceres ígnibus examináti, ad últimum decolláti sunt.

Nárniæ sancti Juvenális Epíscopi et Confessóris.

Constantinópoli sanctórum Mártyrum Alexándri mílitis, et Antonínæ Vírginis, quæ in persecutióne Maximiáni sub Præside Festo ad lupánar damnáta, et ab Alexándro, qui pro ea ibi remánserat, mutáto hábitu clam edúcta, cum eo póstmodum jussa est torquéri : et ambo simul præcísis mánibus in ignem pro Christo injécti, egrégio perácto certámine, coronántur.

In Thebáide sanctórum Mártyrum Timóthei et Mauræ cónjugis, quos Ariánus Præféctus post multa torménta cruci jussit affigi, in qua novem diébus vivi pendéntes, ac seípsos in fide roborántes, martyrium consummárunt.
Aphrodísiæ in Cária sanctórum Mártyrum Diodóri et Rodopiáni, qui in persecutióne Diocletiáni a cívibus suis lapidáti sunt.
In monte Senário prope Floréntiam beatórum Sostenæi, et Ugucciónis Confessórum, qui cœlitus admóniti, eádem die et hora salutatiónem Angélicam recitántes e vita migrárunt.

4 Quarto Nonas Maji. Luna. E 25 xxv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

Apud óstia Tiberína natális sanctæ Mónicæ matris beáti Augustíni, cujus ille præcláram vitam in libro nono Confessiónum testátam relíquit.
In metállo Phennénsi Palæstínæ natális beáti Silváni Gazæ Epíscopi, qui in Diocletiáni persecutióne, Galérii Maximiáni Cæsaris mandáto, cum plúrimis suis Cléricis martyrio coronátus est.
Item sanctórum trigintanóvem Mártyrum, qui ibidem ad metálla damnáti, post ferri candéntis adustiónem, et ália torménta, simul cápite cæsi sunt.
Jerosólymis sancti Cyríaci Epíscopi, qui cum loca sancta visitáret, sub Juliáno Apóstata cæsus est.
In Umbria sancti Porphyrii Mártyris.
Nicomédiæ natális sanctæ Antóniæ Mártyris, quæ nímium torta, et váriis afflícta cruciátibus, áltero bráchio tribus diébus suspénsa, et in cárcere biénnio deténta, ad últimum a Priscilliáno Præside in Confessióne Dómini flammis exústa est.
Lauriaci in Nórico Ripénsi sancti Floriáni Mártyris, qui sub Diocletiáno Imperatóre, Aquilíni Præsidis jussu, ligáto ad collum saxo, in flumen Anísum præcipitátus est.
Tarsi sanctæ Pelágiæ Vírginis, quæ sub Diocletiáno in bovem æneum candéntem inclúsa, martyrium complévit.
Colóniæ sancti Paulíni Mártyris.
Medioláni sancti Venérii Epíscopi, cujus virtútes sanctus Joánnes Chrysóstomus in epístola ad eum scripta testátas relíquit.
In território Petragoricénsi sancti Sacerdótis Epíscopi Lemovicénsis.
Hildesheimi in Saxónia sancti Godehárdi Epíscopi et Confessóris, ab Innocéntio Secúndo in Sanctórum censum reláti.
Antisiodóri sancti Curcódomi Diáconi.

xxiv. F Tertio Nonas Maji. Luna. 5

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

Romæ sancti Pii Papæ Quinti ex Ordine Prædicatórum, qui Ecclesiásticæ disciplínæ restituéndæ, hærésibus extirpándis, et Christiáni nóminis hóstibus conteréndis strénue ac feliciter incúmbens, vitæ ac legum sanctitáte cathólicam Ecclésiam gubernávit.

Item Romæ sanctæ Crescentiánæ Mártyris.

Ibidem sancti Silváni Mártyris.

Alexandríæ sancti Euthymii Diáconi ob Christum in cárcere quiescéntis.

Thessalonícæ natális sanctórum Mártyrum Irenæi, Peregríni et Irénes, ígnibus combustórum.

Antisiodóri pássio sancti Joviniáni Lectóris.

Leocátæ in Sicília sancti Angeli Presbyteri, Ordinis Carmelitárum, qui ab hæréticis ob defensiónem cathólicæ fidei trucidátus est.

Jerosólymis sancti Máximi Epíscopi et Confessóris, quem Maximiánus Galérius Cæsar post effóssum óculum, pedémque ignito ferro adústum, ad metálla damnávit.

Edéssæ in Syria sancti Eulógii Epíscopi, et Confessóris.

Areláte in Gállia sancti Hilárii Epíscopi, doctrína et sanctitáte conspícui.

Viénnæ sancti Nicéti Epíscopi, venerábilis sanctitátis viri.

Bonóniæ sancti Theodóri Epíscopi, méritis clari.

Eódem die sancti Sacerdótis Epíscopi Saguntíni.

Medioláni sancti Gerúntii Epíscopi.

Ibidem convérsio sancti Augustini Epíscopi et Ecclésiæ Doctóris, quem beátus Ambrósius Episcopus fidei cathólicæ veritátem dócuit, et hac die baptizávit.

xxiij. G Pridie Nonas Maji. Luna. 6

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

Romæ sancti Joánnis ante Portam Latínam, qui ab Epheso jussu Domitiáni vinctus Romam perdúctus, et judicánte Senátu, ante eámdem portam in ólei fervéntis dólium missus, púrior et vegétior inde éxiit, quam intrávit.

Antiochiæ sancti Evódii, qui (ut beátus Ignátius ad Antiochénses scribit) primus ibídem a sancto Petro Apóstolo ordinátus Epíscopus, glorióso martyrio vitam finívit.
Cyréne sancti Lúcii Epíscopi, quem in Actibus Apostolórum sanctus Lucas commémorat.
In Africa sanctórum Mártyrum Heliodóri et Venústi, cum áliis septuagintaquinque.
In Cypro sancti Theódoti Epíscopi Cyríniæ, qui sub Licínio Imperatóre gravíssima passus, in pace tandem Ecclésiæ spíritum Deo réddidit.
Damásci natális beáti Joánnis Damascéni sanctitáte et doctrína célebris, qui pro cultu sanctárum Imáginum verbo et scriptis advérsus Leónem Isaúricum strénue decertávit : cujus jussu cum ei déxtera manus amputáta fuisset, imágini beátæ Maríæ Vírginis, quam defénderat, seipsum comméndans, prótinus déxteram íntegram sanámque recépit.
Carrhis in Mesopotámia sancti Protógenis Epíscopi.
In Anglia sancti Eadbérti Epíscopi Lindisfarnénsis, doctrína et pietáte insígnis.
Romæ sanctæ Benedíctæ Vírginis.
Salérni translátio sancti Matthæi Apóstoli, cujus sacrum corpus olím ex Æthiópia ad divérsas regiónes, et demum ad eam urbem delátum, ibídem in Ecclésia ejus nómine dedicáta summo honóre cónditum fuit.

7 Nonis Maji. Luna. A xxij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

Cracoviæ in Polónia natális sancti Stanislái Epíscopi et Mártyris, qui a Bolesláo ímpio Rege necátus est.
Tarracínæ in Campánia natális beátæ Fláviæ Domitíllæ Vírginis et Mártyris, quæ cum esset Flávii Cleméntis Cónsulis soróris fília, et a sancto Cleménte sacro velámine consecráta, in persecutióne Domitiáni ob testimónium Christi cum áliis plúrimis in ínsulam Póntiam exílio deportáta, longum ibi martyrium duxit : novíssime vero Tarracínam dedúcta, cum doctrína et miráculis plúrimos ad fidem Christi convertísset, jussu Júdicis incénso cubículo, in quo simul cum suis virgínibus Euphrósina et Theodóra morabátur, cursum gloriósi martyrii consummávit. Celebrátur étiam una cum sanctis Martyribus Néreo et Achílleo die duodécima Maji.
Eódem die sancti Juvenális Mártyris.

Nicomédiæ sanctórum Mártyrum Flávii, Augústi et Augustíni fratrum.
Ibídem sancti Quadráti Mártyris, qui in persecutióne Décii sæpius ad torménta repetítus, demum cápite truncátus est.
Romæ sancti Benedícti Papæ et Confessóris.
Eboráci in Anglia sancti Joánnis Epíscopi, vita et miráculis clari.
Papíæ sancti Petri Epíscopi.
Romæ translátio córporis sancti Stéphani Protomártyris, quod, Pelágio Summo Pontífice, e Constantinópoli ad Urbem allátum, atque in sepúlchro sancti Lauréntii Mártyris in agro Veráno pósitum, ibídem magna piórum religióne cólitur.

xxj. B Octavo Idus Maji. Luna. 8

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

In monte Gargáno Apparítio sancti Michaélis Archángeli.
Medioláni natális sancti Victóris Mártyris, qui natióne Maurus, et a primæva ætáte Christiánus, cum esset in castris imperiálibus miles, compellénte Maximiáno, ut idólis sacrificáret, in confessióne Dómini fortíssime persevérans, primo gráviter fústibus cæsus, sed Deo protegénte dolóris expers, deinde liquénti plumbo perfúsus, sed nihil pénitus læsus, novíssime gloriósi martyrii cursum cápitis abscissióne complévit.
Constantinópoli sancti Acáthii Centuriónis, qui in persecutióne Diocletiáni et Maximiáni a Firmo Tribúno delátus quod Christiánus esset, et a Bibiáno Júdice Perínthi sævíssime tortus, Byzántii demum a Flaccíno Procónsule cápitis damnátus est : cujus corpus ad Scyllácium littus divínitus póstea delátum, ibi honorífice asservátur.
Viénnæ sancti Dionysii Epíscopi et Confessóris.
Antisiodóri sancti Helládii Epíscopi.
In território Bisuntíno sancti Petri Epíscopi.
In Scótia sancti Wirónis Epíscopi.

xx. C Septimo Idus Maji. Luna. 9

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

Nazianzi natális beáti Gregórii Epíscopi, ob singulárem divinárum rerum doctrínam cognoménto Theólogi, qui collápsam Constantinópoli

cathólicam fidem restítuit, hæresésque insurgéntes compréssit.
Romæ sancti Hermæ, cujus Apóstolus Paulus in epístola ad Romános méminit. Hic digne semetípsum sacríficans, acceptabilísque Deo hóstia factus, virtútibus clarus cœléstia regna petívit.
In Pérside sanctórum Mártyrum trecentórum et decem.
Cállii via Flamínia pássio sancti Geróntii Epíscopi Ficodénsis.
In castro Vindecino deposítio sancti Beáti Confessóris.
Constantinópoli translátio sanctórum Andréæ Apóstoli et Lucæ Evangelístæ de Achája, et Timóthei discípuli beáti Pauli Apóstoli ab Epheso: corpus autem sancti Andréæ longo post témpore Amálphim delátum, ibi pio fidélium concúrsu honorátur: ex cujus sepúlchro liquor ad languóres curándos júgiter manat.
Romæ item translátio sancti Hierónymi Presbyteri et Ecclésiæ Doctóris ex Béthlehem Judæ ad Basílicam sanctæ Maríæ ad Præsépe.
Bárii quoque in Apúlia translátio sancti Nicolái Epíscopi ex Myra civitáte Lyciæ.

10 Sexto Idus Maji. Luna. D xix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

Sancti Antoníni Confessóris et Archiepíscopi Florentíni, cujus natális dies sexto Nonas Maji recensétur.
Romæ via Latína natális sanctórum Mártyrum Gordiáni et Epímachi, quorum prior pro confessióne nóminis Christi témpore Juliáni Apóstatæ diu plumbátis cæsus, et ad últimum cápite truncátus, noctu a Christiánis sepúltus fuit eádem via in crypta, in quam beáti Epímachi Mártyris relíquiæ paulo ante translátæ fúerant ab Alexandría, ubi ille pro Christi fide martyrium compléverat.
In terra Hus sancti Job Prophétæ, admirándæ patiéntiæ viri.
Romæ beáti Calepódii Presbyteri et Mártyris, quem Alexánder Imperátor gládio fecit occídi, et corpus ejus per civitátem trahi, atque in Tiberim jactári; quod invéntum Callístus Papa sepelívit. Decollátus est étiam Palmátius Consul cum uxóre et fíliis, et áliis promíscui sexus quadragintaduóbus de domo sua: Simplícius quoque Senátor cum uxóre, et sexagintaócto de família sua: item et Felix cum uxóre sua Blanda: quorum cápita suspénsa sunt per divérsas portas Urbis ad exémplum Christianórum.
Item Romæ via Latína ad Centum aulas natális sanctórum Mártyrum Quarti et Quincti: quorum córpora Cápuam transláta sunt.

Apud Leontínos in Sicília sanctórum Mártyrum Alphii, Philadélphi, et Cyríni.
Smyrnæ sancti Dioscóridis Mártyris.
Bonóniæ beáti Nicolái Albergáti Mónachi Carthusiáni ejúsdem civitátis Epíscopi, et sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális, sanctitáte et Apostólicis Legatiónibus clari, cujus corpus Floréntiæ apud Carthusiános cónditum est.
Apud Taréntum sancti Catáldi Epíscopi, miráculis clari.
Medioláni Invéntio sanctórum Mártyrum Nazárii et Celsi : quando beátus Ambrósius Epíscopus sancti Nazárii corpus recénti adhuc sánguine conspérsum réperit, atque ad Basílicam Apostolórum tránstulit una cum córpore beáti Celsi púeri, quem idem ipse nutríerat, et Anolínus in Nerónis persecutióne simul cum eo gládio feríri jússerat quarto Kaléndas Augústi, quo die festívitas eórum martyrii celebrátur.
Matríti sancti Isidóri Agrícolæ, quem miráculis clarum Gregórius Decimusquíntus una cum sanctis Ignátio, Francisco, Terésia, et Philippo in Sanctórum númerum rétulit.

xviij. E Quínto Idus Maji. Luna. 11

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

Romæ via Salária natális beáti Anthimi Presbyteri, qui post virtútum et prædicatiónis insígnia, in persecutióne Diocletiáni in Tiberim præcipitátus, et ab Angelo exínde eréptus, oratório próprio restitútus est : deínde cápite punítus, victor migrávit ad cœlos.
Eódem die sancti Evéllii Mártyris, qui cum esset de família Nerónis, ad passiónem sancti Torpétis in Christum crédidit, pro quo et decollátus est.
Item Romæ sanctórum Mártyrum Máximi, Bassi et Fábii, qui sub Diocletiáno via Salária cæsi sunt.
Cameríni sanctórum Mártyrum Anastásii et Sociórum, qui in persecutióne Décii, sub Antíocho Præside cæsi sunt.
Auxími in Picéno sanctórum Mártyrum Sisínii Diáconi, Dioclétii, et Floréntii discipulórum sancti Anthimi Presbyteri, qui sub Diocletiáno lapídibus óbruti, martyrium complevérunt.
Varénnis sancti Gangúlpi Mártyris.
Viénnæ sancti Mamérti Epíscopi, qui ob imminéntem cladem solémnes ante Ascensiónem Dómini triduánas Litanías in ea urbe instítuit, quem ritum póstea universális Ecclésia recípiens comprobávit.

Apud Silviniacum depositio sancti Majóli Abbátis Cluniacénsis, cujus vita sanctis méritis fuit præclára.
In Picéno apud Septempedános sancti Illumináti Confessóris.
In Oppido Cryptaleárum Tarentínæ diœcésis sancti Francísci de Hierónymo Confessóris Societátis Jesu, exímiæ in procuránda animárum salúte charitátis, et patiéntiæ, quem Gregórius Papa Décimus sextus in Sanctórum cánonem rétulit. Ejus autem depositio Neápoli in Ecclésia Domus proféssæ, ubi corpus quiéscit, summa celebritáte cólitur.

**12** Quarto Idus Maji. Luna. **F** xvij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| **15** | **16** | **17** | **18** | **19** | **20** | **21** | **22** | **23** | **24** | **25** | **26** | **27** | **28** | **29** | **30** | **1** | **2** | **3** |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| **4** | **5** | **6** | **7** | **8** | **9** | **9** | **10** | **11** | **12** | **13** | **14** |

Romæ via Ardeatína sanctórum Mártyrum Nérei et Achíllei fratrum : qui primo cum Flávia Domitílla, cujus erant eunúchi, in ínsula Póntia longum pro Christo duxérunt exilium : póstmodum gravíssimis verbéribus attrectáti sunt : deinde, cum a Minútio Rufo Consulári equúleo et flammis ad immolándum compelleréntur, dicerentque se a beáto Petro Apóstolo baptizátos, nulla ratióne posse idólis immoláre, cápite cæsi sunt. Horum sacræ relíquiæ, simúlque Fláviæ Domitíllæ, ex Diaconía sancti Hadriáni in antíquum eórum Títulum, ubi olim recónditæ asservabántur, nunc restaurátum, jussu Cleméntis Papæ Octávi solémniter translátæ sunt, prídie hujus diéi.
Ibídem via Aurélia sancti Pancrátii Mártyris, qui cum esset annórum quatuórdecim, sub Diocletiáno martyrium cápitis obtruncatióne complévit.
Item Romæ sancti Dionysii Pátrui ejúsdem beáti Pancrátii.
In Sicília sancti Philíppi Argyriónis, qui a Románo Pontífice ad eam ínsulam missus, magnam illíus partem ad Christum convértit : cujus sánctitas in liberándis energúmenis máxime declarátur.
Salamínæ in Cypro sancti Epiphánii Episcopi, qui multíplici eruditióne et sacrárum Litterárum sciéntia excéllens, vitæ quoque sanctitáte, zelo cathólicæ fídei, munificéntia in paúperes, et virtúte miraculórum éxtitit admirándus.
Constantinópoli sancti Germáni Episcopi, virtútibus et doctrína insígnis, qui Leónem Isaúricum, advérsus sacras Imágines edictum promulgántem, magna fidúcia redárguit.
Tréviris sancti Modoáldi Episcopi.
In civitáte Calciaténsi sancti Domínici Confessóris.

xvj. G Tertio Idus Maji. Luna. 13

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

ROMÆ Dedicátio Ecclésiæ sanctæ Maríæ ad Mártyres quam beátus Bonifácius Papa Quartus, expurgáto deórum ómnium véteri fano, quod Pántheon vocabátur, in honórem beátæ semper Virginis Maríæ et ómnium Mártyrum dedicávit témpore Phocæ Imperatóris.
Constantinópoli beáti Lúcii Presbyteri et Mártyris, qui sub Diocletiáno Imperatóre et Laudício Procónsule, primo Amphípoli multis pœnis atque cruciátibus ob Christi confessiónem afflíctus, póstea Byzántium usque perdúctus, capitáli senténtia occúbuit.
Heracléæ sanctæ Glycériæ Mártyris Románæ, quæ sub Antoníno Imperatóre et Sabíno Præside passa est.
Alexandríæ commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum, qui ob fidem cathólicam ab Ariánis in Ecclésia Theónæ occísi sunt.
Apud Trajéctum sancti Servátii Tungrénsis Ecclésiæ Epíscopi, ad cujus méritum ómnibus demonstrándum, cum témpore híemis ómnia in circúitu nix repléret, sepúlchrum ejus numquam opéruit, donec indústria cívium Basílica super illud ædificáta est.
In Palæstína sancti Joánnis Silentiárii.
Vallisoléti sancti Petri Regaláti Confessóris, Ordinis Minórum, reguláris disciplínæ in Hispániæ cœnóbiis restitutóris, quem Benedictus Decimusquártus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adnumerávit.

xv. A Pridie Idus Maji. Luna. 14

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

NATALIS sancti Bonifácii Mártyris, qui sub Diocletiáno et Maximiáno apud Tarsum Cilíciæ passus, Romam deínde translátus, via Latína sepúltus est.
In Gállia sancti Póntii Mártyris, cujus prædicatióne et indústria postquam duo Philíppi Cæsares ad fidem Christi convérsi sunt, ipse sub Valeriáno et Galliéno princípibus martyrii palmam adéptus est.
In Syria sanctórum Mártyrum Victóris et Corónæ sub Antoníno Imperatóre : ex quibus Victor a Sebastiáno Júdice váriis et horréndis affectus

est cruciátibus : quem Coróna uxor cujúsdam mílitis cum cœpísset beátum prædicáre ob martyrii constántiam, vidit duas corónas de cœlo lapsas, unam Victóri, et álteram sibi missam : cumque hoc audiéntibus cunctis testarétur, ipsa quidem inter árbores scissa, Victor vero decollátus est.
In Sardínia sanctárum Mártyrum Justæ, Justínæ et Henedínæ.
Romæ sancti Paschális Papæ, qui plúrima sanctórum Mártyrum córpora e cryptis levávit, et in divérsis Ecclésiis honoríficе collocávit.
Feréнti in Túscia sancti Bonifácii Epíscopi, qui (ut refert beátus Gregórius Papa) a pueritia sanctitáte et miráculis cláruit.
Neápoli in Campánia sancti Pompónii Epíscopi.
In Ægypto sancti Pachómii Abbátis, qui plúrima in ea regióne monastéria eréxit, et régulam Monachórum scripsit, quam Angelo dictánte didícerat.

**15** Idibus Maji. Luna. **B** xiv.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

In Hispánia sanctórum Torquáti, Ctesiphóntis, Secúndi, Indalétii, Cæcílii, Hesychii et Euphrásii, qui Romæ a sanctis Apóstolis Epíscopi ordináti, et ad prædicándum verbum Dei in Hispánias diréсti sunt, cumque váriis úrbibus evangelizássent, et innúmeras multitúdines Christi fídei subjugássent, in ea província divérsis locis quievérunt; Torquátus Acci, Ctésiphon Vérgii, Secúndus Abulæ, Indalétius Urci, Cæcílius Illíberi, Hesychius Cartéjæ, et Euphrásius Illitúrgi.
Eboræ in Lusitánia sancti Máncii Mártyris.
In ínsula Chio natális beáti Isidóri Mártyris, in cujus Basílica extat púteus, in quem fertur fuísse injéctus, de cujus aqua infírmi sæpius potáti sanántur.
Lámpsaci in Hellespónto pássio sanctórum Petri, Andréæ, Pauli et Dionysiæ.
Fausínæ in Sardínia sancti Simplícii Epíscopi et Mártyris, qui Diocletiáni témpore sub Bárbaro Præside perfóssus láncea martyrium consummávit.
Arvérnis sanctórum Mártyrum Cássii, Victoríni, Máximi, et Sociórum.
In Brabántia sanctæ Dymрnæ Vírginis et Mártyris, fíliæ Regis Hibérniæ, quæ pro fide Christi et virginitáte servánda, a patre jussa est decollári.

xiij. C Decimoseptimo Kalendas Junii. Luna. 16

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

Eugubii sancti Ubáldi Epíscopi, miráculis clari.
In Isaúria natális sanctórum Mártyrum Aquilíni et Victoriáni.
Antisiodóri pássio sancti Peregríni primi ejúsdem civitátis Epíscopi, qui a beáto Xysto Papa in Gállias cum áliis Cléricis missus, Evangélicæ prædicatiónis múnere expléto, capitáli senténtia damnátus, corónam méruit sempitérnam.
Uzáli in Africa sanctórum Mártyrum Felícis, et Gennádii.
In Palæstína pássio sanctórum Monachórum a Sarracénis in Laura sancti Sabbæ interfectórum.
In Pérside sanctórum Mártyrum Audæ Epíscopi, septem Presbyterórum, novem Diaconórum, et septem Vírginum, qui sub Isdegérde Rege váriis tormentórum genéribus cruciáti, gloriósum martyrium complevérunt.
Pragæ in Bohémia sancti Joánnis Nepomucéni Metropolitánæ Ecclésiæ Canónici, qui frustra tentátus, ut Sigílli sacramentális fidem próderet, in flumen Moldávam dejéctus, martyrii palmam eméruit.
Ambiáni in Gállia sancti Honoráti Epíscopi.
Apud Cenomános sancti Dómnoli Epíscopi.
Mirándulæ in Æmília sancti Possídii Epíscopi Calaménsis discípuli sancti Augustíni, ejúsque præcláræ vitæ scriptóris.
Trecis sancti Fidoli Confessóris.
In Scótia sancti Brandáni Abbátis.
Apud Forum Júlii sanctæ Máximæ Vírginis, quæ multis clara virtútibus in pace quiévit.

xij. D Sextodecimo Kalendas Junii. Luna. 17

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

Apud Villam Regálem in Regno Valentíno sancti Pascbális, Ordinis Minórum, miræ innocéntiæ, et pœniténtiæ viri.
Pisis in Túscia sancti Torpétis Mártyris, qui magnus in offício Nerónis primum fuit, unúsque ex his, de quibus Paulus Apóstolus ab urbe

Roma ad Philippénses scribit : Salútant vos omnes Sancti, máxime autem qui de Cæsaris domo sunt : sed póstea pro fide Christi, jubénte Satéllico, álapis cæditur, verbéribus duríssime affícitur, ac béstiis devorándus tráditur, sed mínime læditur : tandem martyrium suum decollatióne complévit tértio Kaléndas Maji : ejus tamen festívitas hac die recólitur ob sui córporis translatiónem.

Eódem die sanctæ Restitútæ Vírginis et Mártyris, quæ, Valeriáno imperánte, a Próculo Júdice in Africa várie torta, et in navícula pice et stupa reférta, ut in mari comburerétur, impósita, immísso igne, cum in incensóres flamma converterétur, ipsa in oratióne spíritum Deo réddidit : cujus corpus cum eádem navícula, Dei nutu ad Ænáriam ínsulam prope Neápolim devéctum, a Christiánis magna veneratióne suscéptum est, ac póstmodum in ejus honórem Constantínus Magnus Basílicam Neápoli erigéndam curávit.

Noviodúni sanctórum Mártyrum Herádii, Pauli, et Aquilíni, cum duóbus áliis.

Chalcédone sanctórum Mártyrum Solocháni et sociórum mílitum sub Maximiáno Imperatóre.

Alexandríæ sanctórum Mártyrum Adriónis, Victóris, et Basíllæ.

Herbípoli sancti Brunónis Epíscopi et Confessóris.

18 Quintodécimo Kaléndas Junii. Luna. E xj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

Camerini sancti Venántii Mártyris, qui annos quíndecim natus, sub Décio Imperatóre et Antíocho Præside, una cum áliis decem gloriósi certáminis cursum cervícibus abscíssis implévit.

In Ægypto sancti Dióscori Lectóris, in quem Præses multa et vária torménta exércuit, ita ut ungues ejus effóderet, et lampádibus látera inflammáret; sed cœléstis lúminis fulgóre pertérriti cecidérunt minístri : novíssime láminis ardéntibus adústus, martyrium consummávit.

Spoléti sancti Felícis Epíscopi, qui sub Maximiáno Imperatóre martyrii palmam adéptus est.

In Ægypto sancti Potamiónis Epíscopi, qui primo sub Maximiáno Galério conféssor, deínde sub Constántio Imperatóre et Philágrio Præside Ariáno martyrio coronátus est.

Ancyræ in Galátia sancti Theódoti Mártyris, et sanctárum Thecúsæ

ejus ámitæ, Alexándræ, Claúdiæ, Faínæ, Euphrásiæ, Matrónæ, et Julíttæ Vírginum, quæ a Præside primum prostitútæ, sed Dei virtúte servátæ, lapídibus ad colla ligátis, in palúdem mersæ sunt, quarum relíquias colléctas cum Theódotus honorífice sepelísset, comprehénsus a Præside sævíssime dilaniátus est, ac demum ense percússus martyrii corónam accépit.
Upsali in Suécia sancti Eríci Regis et Mártyris.
Romæ sancti Felícis Confessóris, Ordinis Minórum Capuccinórum, evangélica simplicitáte et charitáte conspícui, quem Clemens Undécimus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscrípsit.

x. F Quartodecimo Kalendas Junii. Luna. 19

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

NATALIS sancti Petri de Moróno, qui ex Anachoréta Summus Póntifex creátus, dictus est Cœlestínus Quintus : sed Pontificátu se ábdicans, et in solitúdine religiósam vitam agens, virtútibus et miráculis clarus migrávit ad Dóminum.
Romæ sanctæ Pudentiánæ Vírginis, quæ post innúmeros agónes, post multórum Mártyrum venerabíliter exhíbitas sepultúras, post omnes facultátes suas paupéribus pro Christo erogátas, tandem de terris ad cœlos migrávit.
Ibídem sancti Pudéntis Senatóris, patris supradíctæ Vírginis, qui ab Apóstolis Christo in baptísmo vestítus, innocéntem túnicam usque ad vitæ corónam immaculáte custodívit.
Item Romæ via Appia natális sanctórum Calóceri et Parthénii eunuchórum; quorum prior, cum esset præpósitus cubículi uxóris Décii Imperatóris, alter vero altérius múneris Primicérius, noléntes idólis sacrificáre, ab eódem occísi sunt.
Nicomédiæ sancti Philóteri Mártyris, filii Paciáni Procónsulis, qui sub Diocletiáno Imperatóre multa passus, martyrii corónam accépit.
Ibídem sanctárum sex Vírginum et Mártyrum, quarum præcípua erat Cyríaca, quæ cum líbere Maximiánum impietátis objurgásset, diríssime cæsa et dilaniáta, ad últimum igne cremáta est.
Cantuáriæ sancti Dunstáni Epíscopi.
In Británnia minóri sancti Ivónis Presbyteri et Confessóris, qui pro Christi amóre causas pupillórum, viduárum, ac paúperum defendébat.

20 Tertiodecimo Kalendas Junii. Luna. G ix.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

Aquilæ in Vestínis sancti Bernardíni Senénsis, Ordinis Minórum, qui verbo et exémplo Itáliam illustrávit.

Romæ via Salária natális sanctæ Basillæ Vírginis, quæ cum esset ex régio génere, et illustríssimum sponsum habéret, illúmque dimisisset, accusáta ab eo quod esset Christiána, decrétum est a Galliéno Augústo, ut aut sponsum recíperet, aut gládio interíret : quæ convénta de hoc, cum respondisset, Regem regum se habére sponsum, gládio transverberáta est.

Nemaúsi in Gálliis sancti Baudélii Mártyris qui comprehénsus, cum sacrificáre nollet, et in fide Christi immóbilis inter vérbera et torménta persísteret, martyrii palmam pretiósa morte suscépit.

Edéssæ in Syria sanctórum Mártyrum Thalalæi, Astérii, Alexándri et Sociórum, qui sub Numeriáno Imperatóre passi sunt.

In Thebáide sancti Aquilæ Mártyris, qui pectínibus pro Christo dilaniátus fuit.

Apud Bitúricas in Gállia sancti Austregísili Epíscopi et Confessóris.

Brixiæ sancti Anastásii Epíscopi.

Papíæ sancti Theodóri Epíscopi.

Romæ sanctæ Plautillæ féminæ Consuláris, matris beátæ Fláviæ Domitillæ, quæ a sancto Petro Apóstolo baptizáta, ómnium virtútum laude refúlgens quiévit in pace.

21 Duodecimo Kalendas Junii. Luna. A viij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

In Mauritánia Cæsariénsi natális sanctórum Mártyrum Timóthei, Pólii, et Eutychii Diaconórum, qui in cádem regióne verbum Dei disseminántes, páriter coronári meruérunt.

Cæsaréæ in Cappadócia natális sanctórum Mártyrum Polyeúcti, Victórii, et Donáti.

Córdubæ sancti Secundini Mártyris.
Eódem die sanctórum Mártyrum Synésii et Theopómpi.
Cæsaréæ Philíppi natális sanctórum Mártyrum Nicóstrati et Antiochi Tribunórum, cum áliis milítibus.
Eódem die sancti Valéntis Epíscopi, qui cum tribus púeris necátus est.
Alexandríæ commemorátio sanctórum Mártyrum Secúndi Presbyteri, et aliórum, quos sacris diébus Pentecóstes sub Constántio Imperatóre Geórgius Epíscopus Ariánus sævíssime occídi præcépit.
Item sanctórum Episcopórum et Presbyterórum, qui ab Ariánis exílio relegáti, sanctis Confessóribus sociári meruérunt.
Níciæ in Gállia sancti Hospítii Confessóris, virtúte abstinéntiæ, et prophetiæ spíritu insígnis.

vij. B Undecimo Kalendas Junii. Luna. 22

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

ROMÆ sanctórum Mártyrum Faustíni, Timóthei, et Venústi.
In África sanctórum Mártyrum Casti et Æmílii, qui per ignem passiónis martyrium consummárunt. Hos (ut beátus Cypriánus scribit) in prima congressióne devíctos, Dóminus victóres in secúndo prælio réddidit, ut fortióres ígnibus fierent, qui ígnibus ante cessíssent.
In Córsica sanctæ Júliæ Vírginis, quæ crucis supplício coronáta est.
Cománæ in Ponto sancti Basilísci Mártyris, qui sub Maximiáno Imperatóre, et Agríppa Præside, férreas crépidas ignítis clavis confíxas calceátus, múltaque ália passus, demum cápite obtruncátus, et in flumen projéctus, martyrii glóriam consecútus est.
In Hispánia sanctæ Quitériæ Vírginis et Mártyris.
Ravénnæ sancti Marciáni Epíscopi et Confessóris.
In pago Antisiodorénsi beáti Románi Abbátis, qui sancto Benedícto ministrávit in specu : inde in Gállias profíciscens, ædificáto monastério, relictísque multis sanctitátis alúmnis, quiévit in Dómino.
Apud Aquínum sancti Fulci Confessóris.
Pistórii in Túscia beáti Atthónis, Ordinis Vallisumbrósæ.
Antisiodóri sanctæ Hélenæ Vírginis.
Cássiæ in Umbria beátæ Ritæ Víduæ moniális Ordinis Eremitárum sancti Augustíni, quæ post sæculi núptias ætérnum sponsum Christum únice diléxit.

23 Decimo Kalendas Junii. Luna. C vj.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

Apud Língonas in Gállia pássio sancti Desidérii Epíscopi, qui cum plebem suam ab exércitu Wandalórum vexári cérneret, ad Regem eórum pro ea supplicatúrus accéssit, a quo statim jugulári jussus, pro óvibus sibi créditis cervícem libénter exténdit, et percússus gládio migrávit ad Christum. Passi sunt autem cum eo et álii plures de número gregis sui, qui apud eámdem urbem cónditi sunt.
In Hispánia sanctórum Mártyrum Epitácii Epíscopi, et Basiléi.
In Africa sanctórum Mártyrum Quintiáni, Lúcii et Juliáni, qui in persecutióne Wandálica passi, ætérnas corónas meruérunt.
In Cappadócia commemorátio sanctórum Mártyrum, qui in persecutióne Maximiáni Galérii confráctis crúribus necáti sunt : item eórum, qui eódem témpore in Mesopotámia appénsi pédibus in sublime cápite verso deórsum, suffocáti fumo, et lento igne consúmpti martyrium complevérunt.
In território Lugdunénsi sancti Desidérii Epíscopi Viennénsis, qui Theodoríci Regis jussu lapídibus óbrutus, martyrio coronátur.
Synnadæ in Phrygia sancti Michaélis Epíscopi.
Ipso die sancti Mercuriális Epíscopi.
Neápoli in Campánia sancti Euphébii Epíscopi.
Apud Núrsiam sanctórum Eutychii et Floréntii Monachórum, quorum méminit beátus Gregórius Papa.

24 Nono Kalendas Junii. Luna. D v.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

Antiochiæ natális sancti Mánahen, Heródis Tetrárchæ collactánei, Doctóris et Prophétæ sub grátia novi Testaménti, in eádem urbe quiescéntis.
Item beátæ Joánnæ uxóris Chuzæ procuratóris Heródis, quam Lucas Evangelísta commémorat.
In Portu Románo natális sancti Vincéntii Mártyris.
Bríxiæ sanctæ Afræ Mártyris, quæ sub Hadriáno Imperatóre passa est.

Nannéte in Británnia minóri beatórum Mártyrum Donatiáni et Rogatiáni fratrum, qui sub Diocletiáno Imperatóre pro constántia fidei in cárcerem missi, et in equúleo suspénsi ac laniáti, deinde láncea militári confóssi, novissime cápita eórum præcísa sunt.
In Istria sanctórum Mártyrum Zoélli, Servílii, Felícis, Silváni, et Dioclis.
Eódem die sanctórum Mártyrum Melétii ducis exércitus, ac sociórum ejus ducentórum et quinquagintaduórum, qui divérso mortis génere martyrium complevérunt.
Item sanctárum Mártyrum, Susánnæ, Marciánæ et Palládiæ prædictórum mílitum cónjugum, quæ una cum párvulis suis confráctæ sunt.
Medioláni sancti Robustiáni Mártyris.
Maróchii in Africa pássio beáti Joánnis de Prado Ordinis Minórum strictióris observántiæ Discalceatórum, qui in prædicatióne Evangélii post víncula, cárceres, flagélla, plurimáque ália torménta pro Christo fórtiter toleráta, per ignem martyrium consummávit.
In monastério Lirinénsi sancti Vincéntii Presbyteri, doctrína et sanctitáte conspícui.
Bonóniæ Translátio sancti Domínici Confessóris, témpore Gregórii Papæ Noni.

iv. **E** Octavo Kalendas Junii. Luna. 25

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

SALERNI depositio beáti Gregórii Papæ Séptimi, Ecclesiásticæ libertátis propugnatóris, ac defensóris acérrimi.
Floréntiæ sanctæ Maríæ Magdalénæ Vírginis, Ordinis Carmelitárum, vita et sanctitáte illústris; cujus festum sexto Kaléndas Júnii celebrátur.
Romæ via Nomentána natális beáti Urbáni Papæ et Mártyris, cujus exhortatióne et doctrina multi (in quibus fuére Tibúrtius et Valeriánus) Christi fidem suscepérunt, et pro ea martyrium subiérunt : ipse quoque in persecutióne Alexándri Sevéri pro Ecclésia Dei multa passus, tandem cervícibus abscíssis, martyrio coronátus est.
Doróstori in Mysia natális sanctórum Mártyrum Pasícratis, Valentiónis, et aliórum duórum simul coronatórum.
Medioláni sancti Dionysii Epíscopi, qui ab Imperatóre Constántio Ariáno in Cappadóciam pro fide cathólica relegátus, ibidem propióre martyribus título spíritum Deo réddidit. Ejus sacrum corpus ab Aurélio Epíscopo Mediolánum transmissum est ad beátum Ambrósium Episcopum:

cui piæ actióni officium quoque sancti Basilii Magni accessisse tráditur.
Romæ sancti Bonifácii Papæ Quarti, qui Pántheon in honórem beátæ Maríæ ad Mártyres dedicávit.
Floréntiæ natális sancti Zenóbii ejúsdem civitátis Epíscopi, vitæ sanctitáte ac miraculórum glória conspícui.
In Británnia sancti Aldélmi Epíscopi Schireburgénsis.
In território Tricassino sancti Leónis Confessóris.
Assisii in Umbria Translátio sancti Francísci Confessóris, témpore Gregórii Papæ Noni.
Vérulis in Hérnicis Translátio sanctæ Maríæ Jacóbi, cujus sacrum corpus plúrimis miráculis illustrátur.

26 Septimo Kalendas Junii. Luna. F iij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

Romæ sancti Philíppi Nérii, Congregatiónis Oratórii fundatóris, virginitátis, prophetiæ dono, et miráculis insígnis.
Item Romæ sancti Eleuthérii Papæ et Mártyris, qui multos nóbiles Romanórum ad fidem Christi perdúxit, et sanctos Damiánum et Fugátium in Británniam misit, qui Lúcium regem una cum uxóre ac toto fere pópulo baptizárunt.
Ibídem sanctórum Mártyrum Simítrii Presbyteri et aliórum vigintiduórum, qui sub Antoníno Pio passi sunt.
Athénis natále beáti Quadráti Apostolórum discípuli, qui in persecutióne Hadriáni Ecclésiam, grandi terróre dispérsam, fide et indústria sua cóngregans, librum pro christiánæ religiónis defensióne valde útilem, et Apostólica doctrína dignum, eidem porréxit.
Viénnæ sancti Zacharíæ Epíscopi et Mártyris, qui sub Trajáno passus est.
In Africa sancti Quadráti Mártyris, in cujus solemnitáte sanctus Augustínus sermónem hábuit.
Tudérti natális sanctórum Mártyrum Felicíssimi, Heráclii, et Paulíni.
In território Antisiodorénsi pássio sancti Prisci Mártyris, cum ingénti multitúdine Christi fidélium.
Cantuáriæ in Anglia sancti Augustíni Epíscopi, qui illuc una cum áliis a beáto Gregório Papa missus, genti Anglórum Christi Evangélium prædicávit : ibíque virtútibus et miráculis gloriósus obdormívit in Dómino.

ij. G Sexto Kalendas Junii. Luna. 27

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

**Sanctæ Maríæ Magdalénæ Vírginis Ordinis Carmelitárum, cujus dies natális octávo Kaléndas Júnii recensétur.**

Natális sancti Joánnis Papæ et Mártyris, qui a Theodoríco Itáliæ Rege Ariáno Ravénnam evocátus, ibíque propter orthodóxam fidem in cárcere diu macerátus, vitam finívit.

Doróstori in Mysia pássio beáti Július, qui témpore Alexándri Imperatóris, cum esset veterános et eméritæ milítiæ, comprehénsus ab officiálibus, Máximo Præsidi offértur : quo præsénte cum idóla execrarétur, et Christi nomen constantíssime confiterétur, capitáli senténtia punítus est.

Apud Soram sanctæ Restitútæ Vírginis et Mártyris, quæ sub Aureliáno Imperatóre et Agáthio Procónsule, fídei certámine suscépto, dæmonum ímpetus, paréntum blandítias, et tortórum sævítiam superávit : demum cum áliis Christiánis cápite truncáta, martyrio decoráta est.

In pago Atrebaténsi sancti Ranúlphi Mártyris.

Araúsicæ in Gálliis sancti Eutrópii Epíscopi, virtútibus atque míráculis illústris.

Eódem die depositio venerábilis Bedæ Presbyteri, sanctitáte et eruditióne celebérrimi.

j. A Quinto Kalendas Junii. Luna. 28

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

In Sardínia sanctórum Mártyrum Æmílii, Felícis, Príami et Luciáni, qui pro Christo certántes, coronáti sunt.

Carnóti in Gállia sancti Caraúni Mártyris, qui sub Domitiáno Imperatóre, cápite amputáto, martyrium sumpsit.

Corinthi sanctæ Helcónidis Mártyris, quæ primum Gordiáno Imperatóre sub Perénnio Præside multis torméntis afflícta, deinde sub Justíno ejus successóre íterum cruciáta, sed ab Angelo liberáta, demum disséctis mammis, ferísque objécta, atque igne probáta, cápitis obtruncatióne martyrium complévit.

Item pássio sanctórum Crescéntis, Dioscóridis, Pauli et Helládii.

Thécuæ in Palæstína sanctórum Monachórum Mártyrum, qui témpore

Theodósii Junióris a Saracénis occisi sunt : quorum sacras relíquias áccolæ colligéntes, summa veneratióne illas habuérunt.
Lutétiæ Parisiórum sancti Germáni Epíscopi et Confessóris, qui quantæ sanctitátis, quantíque mériti fúerit, quibus étiam miráculis clarúerit, Fortunátus Epíscopus litterárum moniméntis consignávit.
Medioláni sancti Senatóris Epíscopi, virtútibus et eruditióne claríssimi.
Urgéllæ in Hispánia Tarraconénsi sancti Justi Epíscopi.
Floréntiæ sancti Pódii Epíscopi et Confessóris.

29 Quarto Kalendas Junii. Luna. B*

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

Romæ via Aurélia natális sancti Restitúti Mártyris.
Apud Icónium Isaúriæ civitátem pássio sanctórum Conónis et fílii ejus annórum duódecim, qui sub Aureliáno Imperatóre craticulæ prunis suppósitis, et óleo superinfúso, suspensiónis in equúleo, atque ignis pœnam constánter passi, málleo ad extrémum lígneo mánibus eórum contrítis, spíritum emisérunt.
Eódem die natális sanctórum Mártyrum Sisínii, Martyrii et Alexándri, qui témpore Honórii Imperatóris in Anaúniæ pártibus (ut scribit in vita sancti Ambrósii Paulínus) persequéntibus Gentílibus, martyrii corónam adépti sunt.
Cæsaréæ Philíppi sanctárum Mártyrum Theodósiæ matris sancti Procópii Mártyris, et aliárum duódecim nobílium Matronárum, quæ in persecutióne Diocletiáni cápitis obtruncatióne consummátæ sunt.
In Umbria pássio sanctórum mille quingentórum et vigintiquínque Mártyrum.
Tréviris beáti Maximíni Epíscopi et Confessóris, a quo sanctus Athanásius Epíscopus persecutióne Arianórum éxulans, honorífice suscéptus fuit.
Verónæ sancti Máximi Epíscopi.
Arcáni in Látio sancti Eleuthérii Confessóris.

30 Tertio Kalendas Junii. Luna. C xxix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |

Romæ via Aurélia natális sancti Felícis Papæ et Mártyris, qui sub Aureliáno Príncipe martyrio coronátus est.

Túrribus in Sardínia sanctórum Mártyrum Gabíni et Críspuli.
Antiochíæ sanctórum Syci et Palatíni, qui pro Christi nómine multa torménta passi sunt.
Ravénnæ sancti Exuperántii Epíscopi et Confessóris.
Papíæ sancti Anastásii Epíscopi.
Cæsaréæ in Cappadócia sanctórum Basílii et Emméliæ cónjugis ejus, paréntum sancti Basílii Magni : qui témpore Galérii Maximiáni extórres facti, Pónticas solitúdines incoluére, et post persecutiónem, fíliis suárum virtútum relíctis hærédibus, in pace quievérunt.
Híspali in Hispánia sancti Ferdinándi Tértii, Castéllæ et Legiónis Regis, ob virtútum præstántiam cognoménto Sancti, qui fídei propagándæ zelo clarus, devíctis Mauris, terréno relicto regno ad ætérnum felíciter evolávit.

xxviij. D Pridie Kalendas Junii. Luna. 31

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |

ROMÆ sanctæ Petronillæ Vírginis, fíliæ beáti Petri Apóstoli, quæ Flacci nóbilis viri conjúgium spernens, accéptis triduánis ad deliberándum indúciis, ínterim jejúniis et oratiónibus vacans, tértia die mox ut Christi sacraméntum accépit, emísit spíritum.
Aquiléjæ sanctórum Mártyrum Cántii, Cantiáni et Cantianíllæ fratrum, qui cum essent ex illústri Aniciórum progénie, sub Diocletiáno et Maximiáno Imperatóribus ob christiánæ fídei constántiam una cum pædagógo suo Proto cápite plexi sunt.
Túrribus in Sardínia sancti Crescentiáni Mártyris.
Apud Comános in Ponto sancti Hérmiæ mílitis, qui sub Antoníno Imperatóre ab innúmeris et sævíssimis torméntis ope divína liberátus, carníficem ad Christum convértit, et ejúsdem martyrii corónæ partícipem fecit, quam tamen ipse primus gládio obtruncátus accépit.
Verónæ sancti Lupicíni Epíscopi.
Romæ sancti Paschásii Diáconi et Confessóris, cujus méminit beátus Gregórius Papa.
Brixiæ sanctæ Angelæ Meríci Vírginis Moniálium sanctæ Ursulæ Institutrícis, de qua sexto Kaléndas Februárii.

# JUNIUS.

1 Kalendas Junii. Luna. **E** xxvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |

ROMÆ sancti Juvéntii Mártyris.

Cæsaréæ in Palæstina beáti Pámphili Presbyteri et Mártyris, vir admirándæ sanctitátis et doctrínæ, atque in páuperes munífici, qui ob Christi fidem in persecutióne Galérii Maximiáni, primo sub Urbáno Præside cruciátus, et in cárcerem trusus, deinde sub Firmiliáno íterum revocátus ad pœnas, una cum áliis martyrium consummávit. Passi sunt étiam tunc Valens Diáconus, et Paulus, aliíque novem, quorum memória áliis diébus celebrátur.

Augustodúni sanctórum Reveriáni Episcopi et Pauli Presbyteri, cum áliis decem, qui sub Aureliáno Príncipe martyrio coronáti sunt.

In Cappadócia sancti Thespésii Mártyris, qui sub Alexándro Imperatóre et Simplício Præfécto, post ália torménta decollátus est.

In Ægypto sanctórum Mártyrum Ischyriónis ductóris mílitum, et aliórum quinque mílitum, qui sub Diocletiáno Imperatóre pro fide Christi divérso mortis génere perémpti sunt.

Item sancti Firmi Mártyris, qui in persecutióne Maximiáni acerbíssimis plagis afféctus, lapídibus percússus, ac demum cápite cæsus est.

Perúsiæ sanctórum Mártyrum Felíni et Gratiniáni mílitum, qui sub Décio váriis torméntis cruciáti, martyrii palmam gloriósa morte percepérunt.

Bonóniæ sancti Próculi Mártyris, qui sub Maximiáno Imperatóre passus est.

Améria sancti Secúndi Mártyris, qui sub Diocletiáno in Tíberim projéctus, martyrium consummávit.

Apud Tiphérnum in Umbria sancti Crescentiáni mílitis Románi, sub eódem Imperatóre martyrio coronáti.

In Umbria sancti Fortunáti Presbyteri, virtútibus et miráculis clari.

In monastério Lirinénsi sancti Caprásii Abbátis.

Tréviris sancti Simeónis Mónachi, qui a Benedícto Papa Nono in Sanctórum númerum relátus est.

Apud Burgos in Hispánia, in monastério Onniénsi sancti Enecónis Abbátis Benedictíni, sanctitátis et miraculórum glória illústris.

xxvj. 25. F Quarto Nonas Junii. Luna. 2

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

**Romæ** natális sanctórum Mártyrum Marcellíni Presbyteri et Petri Exorcístæ, qui multos in cárcere ad fidem erudiéntes, sub Diocletiáno post dira víncula et plúrima torménta a Seréno Júdice decolláti sunt in loco, qui dicebátur Silva Nigra, quæ póstea in honórem Sanctórum, commutáto nómine, Silva Cándida appelláta est. Horum córpora in crypta juxta sanctum Tibúrtium sepúlta sunt, eorúmque sepúlchrum sanctus Dámasus Papa vérsibus póstea exornávit.

In Campánia sancti Erásmi Epíscopi et Mártyris, qui sub Diocletiáno Augústo primum plumbátis cæsus, deínde fústibus gráviter mactátus, post resina, súlphure, plumbo, pice, cera, oleóque perfúsus, illæsus appáruit: deínde Fórmiis sub Maximiáno divérsis atque immaníssimis supplíciis íterum cruciátus, sed ad confirmándum céteros a Deo servátus; tandem, vocánte Dómino, martyrio clarus, sancto fine quiévit, cujus corpus Cajétam póstea translátum est.

Lugdúni sanctórum Mártyrum Photíni Epíscopi, Sancti Diáconi, Vétii, Epágathi, Matúri, Póntici, Biblidis, Attali, Alexándri, et Blandínæ, cum áliis multis, quorum fórtia et iteráta certámina témpore Marci Aurélii Antoníni et Lúcii Veri Ecclésiæ Lugdunénsis epístola ad Ecclésias Asiæ et Phrygiæ scripta recénset. In his sancta Blandína sexu infírmior, córpore imbecíllior, conditióne dejéctior, diuturnióra et acerbióra certámina súbiens, et fortis adhuc pérmanens, gládio juguláta, céteros secúta est, quos hortabátur ad palmam.

Romæ sancti Eugénii Papæ et Confessóris.

Trani in Apúlia sancti Nicolái Peregríni Confessóris, cujus mirácula in Concílio Románo sub Urbáno Secúndo recitáta sunt.

xxv. xxiv. G Tertio Nonas Junii. Luna. 3

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

**Aretii** in Túscia sanctórum Mártyrum Pergentíni et Laurentíni fratrum, qui in persecutióne Décii, sub Tibúrtio Præside, cum essent púeri, post dira supplícia toleráta, et magna mirácula osténsa, gládio cæsi sunt.

Constantinópoli sanctórum Mártyrum Lucilliáni, et quátuor puerórum Claúdii, Hypátii, Pauli, et Dionysii : cum quibus Lucilliánus, ex sacerdóte idolórum Christiánus factus, post vária torménta in fornácem injéctus est; sed flamma imbre extincta, omnes illæsi evasérunt : dénique ipse cruci affixus, púeri autem gládio obtruncáti, sub Silváno Præside consummáti sunt.

Ibídem sanctæ Paulæ Vírginis et Mártyris, quæ cum prædictórum Mártyrum sánguinem colligeret, comprehénsa, virgis cæsa, et in ignem conjécta, sed liberáta, demum et ipsa eódem loco, ubi sanctus Lucilliánus crucifixus fúerat, decolláta est.

Córdubæ in Hispánia beáti Isaac Mónachi, qui pro fide Christi gládio necátus est.

Carthágine sancti Cæcílii Presbyteri, qui sanctum Cypriánum ad Christi fidem perdúxit.

In território Aurelianénsi sancti Liphárdi Presbyteri et Confessóris.

Lucæ in Túscia sancti Davíni Confessóris.

Parísiis sanctæ Clotildis Regínæ, cujus précibus vir ejus Clodovéus Rex fidem Christi suscépit.

Ananiæ sanctæ Olivæ Vírginis.

**4** Pridic Nonas Juuii. Luna. A xxiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

Agnoni in citerióri Aprútio sancti Francísci ex nóbili Ncapolitána família Caracciolo Confessóris, Congregatiónis Clericórum Regulárium Minórum fundatóris, qui mira in Deum, et próximum charitáte, et ardentíssimo sacræ Eucharistiæ cultus propagándi stúdio flagrávit, ejúsque corpus Neápoli religiosíssime cólitur, a Pio Séptimo Sanctórum Cánoni adscríptus.

Romæ sanctórum Mártyrum Arétii et Daciáni.

Sísciæ in Illyrico sancti Quiríni Epíscopi, qui sub Galério Præside pro fide Christi (ut Prudéntius scribit) molári saxo ad collum ligáto, in flumen præcipitátus est : sed lápide supernatánte, cum circumstántes Christiános, ne ejus terreréntur supplício, neve titubárent in fide, diu fuisset hortátus, ipse ut martyrii glóriam assequerétur, précibus a Deo ut mergerétur, obtínuit.

Bríxiæ sancti Clatéi Epíscopi et Mártyris sub Neróne Imperatóre.

In Pannónia sanctórum Mártyrum Rútili et Sociórum.

Atrébati sanctæ Saturnínæ Vírginis et Mártyris.
Tibure sancti Quirini Mártyris.
Constantinópoli sancti Metróphanis Episcopi et Confessóris insígnis.
Milévi in Numídia sancti Optáti Episcopi, doctrina et sanctitáte conspícui.
Verónæ sancti Alexándri Episcopi.

xxij. **B** Nonis Junii. Luna. 5

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

In Ægypto natális sanctórum Mártyrum Marciáni, Nicánoris, Apollónii, et aliórum, qui in persecutióne Galérii Maximiáni illústre martyrium consummárunt.
Perúsiæ sanctórum Mártyrum Floréntii, Juliáni, Cyríaci, Marcellíni et Faustíni, qui in persecutióne Décii cápite cæsi sunt.
Cæsaréæ in Palæstina pássio sanctárum Zenaídis, Cyriæ, Valériæ et Márciæ, quæ per multa torménta gaudéntes ad martyrium pervenérunt.
Tyri sancti Doróthei Presbyteri, qui sub Diocletiáno multa passus, et usque ad Juliáni témpora supérstes, sub eo annum agens séptimum supra centésimum, venerándam senéctam martyrio honestávit.
Eódem die sancti Bonifácii Episcopi Moguntini, qui de Anglia Romam véniens, et a Gregório Secúndo in Germániam missus, ut fidem Christi illis géntibus evangelizáret; cum máximam multitúdinem, præsértim Frisonum, christiánæ religióni subjugásset, Germanórum Apóstolus méruit appellári : novissime in Frísia a furéntibus Gentílibus gládio perémptus, martyrium consummávit cum Eóbano et quibúsdam áliis servis Dei.
Córdubæ in Hispánia beáti Sáncii adolescéntis, qui, etsi in aula régia educátus, pro Christi tamen fide in persecutióne Arábica martyrium subíre non dubitávit.

xxj. **C** Octavo Idus Junii. Luna. 6

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

Sancti Norbérti Epíscopi Magdeburgénsis, fundatóris Ordinis Præmonstraténsis.
Cæsaréæ in Palæstina natális beáti Philippi, qui fuit unus de septem

primis Diáconis. Hic signis et prodígiis clarus, Samariam ad fidem Christi convértit, et Candácis Æthiopum Reginæ Eunúchum baptizávit, ac demum apud Cæsaréam requiévit : juxta quem tres Vírgines ejus fíliæ prophetíssæ tumulátæ jacent : nam quarta fília ejus plena Spíritu sancto Ephesi occúbuit.
Romæ sancti Artémii, cum uxóre sua Cándida, et fília Paulína, qui Artémius ad prædicatiónem et mirácula sancti Petri Exorcistæ in Christum credens, et cum omni domo sua a sancto Marcellino Presbytero baptizátus, jussu Seréni Júdicis plumbátis cæsus et gládio percússus est; uxor vero ejus et fília in cryptam impúlsæ, lapidibus ruderibúsque sunt óbrutæ.
Tharsi in Cilícia sanctórum Mártyrum vigínti, qui tempóribus Diocletiáni et Maximiáni sub Simplício Júdice per divérsa torménta glorificavérunt Deum in corpóribus suis.
Noviodúni in Gálliis sanctórum Mártyrum Amántii, Alexándri, et sociórum.
Fésulis in Túscia sancti Alexándri Epíscopi et Mártyris.
Mediolàni deposítio sancti Eustórgii secúndi Epíscopi et Confessóris.
Verónæ sancti Joánnis Epíscopi.
Vesontióne in Gálliis sancti Claúdii Epíscopi.

7 Septimo Idus Junii. Luna. D xx.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

Constantinopoli natális sancti Pauli ejúsdem civitátis Epíscopi, qui sæpe ab Ariánis ob fidem cathólicam pulsus, et a sancto Júlio Románo Pontífice restitútus, demum a Constántio Imperatóre Ariáno ad Cucúsum oppídulum Cappadóciæ relegátus, ibídem Arianórum insídiis crudéliter strangulátus, ad cœléstia regna migrávit, cujus corpus, Theodósio Imperatóre, Constantinópolim summo honóre translátum fuit.
In Ægypto sancti Licariónis Mártyris, qui laniátus, virgis férreis ignítis cæsus, aliáque sævíssima passus, gládio demum percússus, martyrium consummávit.
Córdubæ sanctórum Mártyrum Petri Presbyteri, Wallabónsi Diáconi, Sabiniáni, Wistremúndi, Habéntii, et Jeremíæ Monachórum.
In Anglia sancti Robérti Abbátis, Ordinis Cisterciénsis.

xix. E Sexto Idus Junii. Luna. 8

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

Aquis in Gállia sancti Maximini, primi ejúsdem civitátis Epíscopi, quem Dómini discípulum fuísse tradunt.

Eódem die sanctæ Calliopæ Mártyris, quæ ob Christi fidem, mammis abscíssis, atque adústis cárnibus, super téstulas volutáta, cápite demum truncáta, martyrii palmam accépit.

Eboráci in Anglia sancti Wilhélmi Archiepíscopi et Confessóris, qui inter cétera ad ejus sepúlchrum patráta mirácula, tres mórtuos suscitávit, atque ab Honório tértio in Sanctórum Cánonem relátus est.

Apud Suessónes in Gálliis natális sancti Medárdi Episcopi Novioménsis, cujus vita et mors pretiósa gloriósis miráculis commendátur.

Rhotómagi sancti Gildárdi Episcopi, fratris ejúsdem sancti Medárdi, qui eódem die nati, eodémque die Episcopi consecráti, uno quoque die de hac vita subtrácti, simul in cœlum migrárunt.

Apud Sénonas sancti Heráclii Episcopi.

Metis sancti Clodúlphi Episcopi.

In Picéno sancti Severini Epíscopi Septempedáni.

In Sardinia sancti Sallustiáni Confessóris.

Camerini sancti Victorini Confessóris.

xviij. F Quinto Idus Junii. Luna. 9

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

Romæ in Monte Cœlio natális sanctórum Mártyrum Primi et Feliciáni, sub Diocletiáno et Maximiáno Imperatóribus. Hi gloriósi Mártyres longævam in Dómino vitam ducéntes, et nunc simul pária, nunc singillátim divérsa et exquisíta perferéntes torménta, tandem felicis pugnæ cursum, a Promóto Præside Nomentáno gládio animadvérsi, consummavérunt.

Agénni in Gállia pássio sancti Vincéntii Levitæ et Mártyris.

Apud Antiochiam sanctæ Pelágiæ Virginis et Mártyris, quam sancti Ambrósius et Joánnes Chrysóstomus magnis éfferunt laúdibus.

Syracúsis sancti Maximiáni Episcopi, cujus sanctus Gregórius Papa sæpius méminit.

Andriæ in Apúlia sancti Richárdi, primi ejúsdem civitátis Epíscopi miráculis clari.
In Scótia sancti Colúmbi Presbyteri et Confessóris.
Edéssæ in Syria sancti Juliáni Mónachi, cujus præclára gesta sanctus Ephræm Diáconus scripsit.

**10** Quarto Idus Junii. Luna. **G** xvij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

In Scótia sanctæ Margarítæ Regínæ, amóre in paúperes et voluntária paupertáte célebris.
Romæ via Salária pássio beáti Getúlii claríssimi et doctíssimi viri, sociorúmque ejus Cæreális, Amántii, et Primitívi: qui jussu Hadriáni Imperatóris a Licínio Consulári tenti, primo cæsi, deinde in cárcerem trusi, postrémo incéndio tráditi, cum nullo modo ab igne læsi fuissent, fústibus illíso cápite martyrium complevérunt: quorum córpora Symphorósa beáti Getúlii uxor collégit, et in arenário prædii sui honorífice sepelívit.
Item Romæ via Aurélia natális sanctórum Basílidis, Trípodis, Mandális, et aliórum vigínti Mártyrum, sub Aureliáno Imperatóre, et Platóne Urbis Præfécto.
Nicomédiæ sancti Zacharíæ Mártyris.
Prusíadæ in Bithynia sancti Timóthei Epíscopi et Mártyris sub Juliáno Apóstata.
In Hispánia sanctórum Mártyrum Críspuli et Restitúti.
In Africa sanctórum Mártyrum Arésii, Rogáti, et aliórum quíndecim.
Colóniæ sancti Mauríni Abbátis et Mártyris.
Petræ in Arábia sancti Astérii Epíscopi, qui ob fidem cathólicam ab Ariánis multa passus, et a Constántio Imperatóre in Africam relegátus, conféssor gloriósus occúbuit.
Antisiodóri sancti Censúrii Epíscopi.

**11** Tertio Idus Junii. Luna. **A** xvj.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

Natalis sancti Bárnabæ Apóstoli, qui natióne Cyprius, a discípulis cum Paulo Géntium Apóstolus ordinátus, multas regiónes cum eo

peragrávit, evangélicæ prædicatiónis injúnctum sibi opus exércens : postrémo Cyprum proféctus, ibi Apostolátum suum glorióso martyrio decorávit : cujus corpus témpore Zenónis Imperatóris, ipso reveláule, repértum est, una cum códice Evangélii sancti Matthæi sua manu descrípto.

Aquiléjæ pássio sanctórum Felícis et Fortunáti fratrum, qui in persecutióne Diocletiáni et Maximiáni equúleo suspénsi, atque ardéntibus lampádibus circa eórum látera appósitis, et mox divína virtúte extínctis, per ventrem fervénti óleo sunt perfúsi, et ad últimum, cum in confessióne Christi persísterent, cápite truncáti.

Bonóniæ sancti Parísii Confessóris, Mónachi Ordinis Camaldulénsis.

Romæ translátio sancti Gregórii Nazianzéni, cujus sacrum corpus e Constantinópoli ad Urbem ántea delátum, atque in Ecclésia Dei Genitrícis ad Campum Mártium diu asservátum, Gregórius Decimustértius Póntifex Máximus in capéllam, a se in Basílica sancti Petri magnificentíssime exornátam, summa celebritáte tránstulit, ac postrídie sub altári digno honóre cóndidit.

xv. **B** Pridie Idus Junii. Luna. **12**

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| **16** | **17** | **18** | **19** | **20** | **21** | **22** | **23** | **24** | **25** | **26** | **27** | **28** | **29** | **1** | **2** | **3** | **4** | **5** |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| **6** | **7** | **8** | **9** | **10** | **11** | **10** | **11** | **12** | **13** | **14** | **15** |

SALMANTICÆ in Hispánia sancti Joánnis a sancto Facúndo Confessóris, Ordinis Eremitárum sancti Augustíni, fidei zelo, vitæ sanctimónia, et miráculis clari.

Romæ via Aurélia natális sanctórum Mártyrum Basílidis, Cyríni, Náboris, et Nazárii mílitum, qui in persecutióne Diocletiáni et Maximiáni sub Aurélio Præfécto ob Christiáni nóminis confessiónem detrúsi in cárcerem, et scorpiónibus laceráti, cápite truncáti sunt.

Nicææ in Bithynia sanctæ Antonínæ Mártyris, quæ in eádem persecutióne a Priscilliáno Præside jussa est fústibus cædi, suspéndi in equúleo, latéribus laniári, et flammis incéndi, ac demum gládio necári.

In Thrácia sancti Olympii Epíscopi, qui ab Ariánis sede pulsus, conféssor occúbuit.

Romæ in Basílica Vaticána sancti Leónis Papæ Tértii, cui érutos ab impiis óculos, et præcisam linguam Deus mirabíliter restítuit.

In Cilícia sancti Amphíonis Epíscopi, qui témpore Galérii Maximiáni conféssor fuit egrégius.

In Ægypto sancti Onúphrii Anachorétæ, qui in vasta erémo sexaginta

annis vitam religiόse perégit, et magnis virtútibus ac méritis clarus migrávit in cœlum, cujus insígnia gesta Paphnútius Abbas conscrípsit.

13 Idibus Junii. Luna. C xiv.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

PATAVII sancti Antónii Lusitáni Confessóris, Ordinis Minórum, vita et miráculis ac prædicatióne illústris.
Romæ via Ardeatína natális sanctæ Felículæ Vírginis et Mártyris, quæ Flacco nolens núbere, nec idólis immoláre, trádita est cuídam Júdici, qui eam, in confessióne Christi perseverántem, post tenebricósam custódiam et famis inédiam, támdiu fecit in equúleo torquéri, donec emítteret spíritum, et sic demum depóni, et in cloácam præcipitári : quam sanctus Nicomédes eádem via sepelívit.
In Africa sanctórum Mártyrum Fortunáti et Luciáni.
Bybli in Palæstína sanctæ Aquilínæ Vírginis et Mártyris, quæ annos duódecim nata, sub Diocletiáno Imperatóre, et Volusiáno Júdice ob fídei confessiónem cólaphis et verbéribus cæsa, et súbulis candéntibus perforáta, demum percússa gládio, virginitátem martyrio consecrávit.
In Pelígnis sancti Peregríni Epíscopi et Mártyris, qui a Longobárdis pro fide cathólica in Atérnum flumen demérsus est.
Córdubæ sancti Fándilæ Presbyteri et Mónachi, qui in persecutióne Arábica amputáto cápite pro fide Christi martyrium súbiit.
In Cypro sancti Triphyllii Epíscopi.

14 Decimooctavo Kalendas Julii. Luna. D xiij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

CÆSAREÆ in Cappadócia ordinátio sancti Basílii Epíscopi, qui témpore Valéntis Imperatóris doctrína et sapiéntia insígnis, omnibúsque virtútibus ornátus, mirabíliter effúlsit, et Ecclésiam advérsus Ariános et Macedoniános mira constántia deféndit.
Samaríæ in Palæstína sancti Eliséi Prophétæ, cujus sepúlchrum dæmones perhorréscere sanctus Hierónymus scribit, ubi et Abdías Prophéta quiéscit.
Syracúsis sancti Marciáni Epíscopi, qui a beáto Petro ordinátus Epíscopus, post Evangélii prædicatiónem a Judæis occísus est.

Apud Suessónes sanctórum Mártyrum Valérii et Rufíni, qui in persecutióne Diocletiáni a Præside Rictiováro post multa torménta jussi sunt decollári.
Córdubæ sanctórum Mártyrum Anastásii Presbyteri, Felícis Mónachi, et Dignæ Vírginis.
Constantinópoli sancti Methódii Epíscopi.
Viénnæ sancti Æthérii Epíscopi.
Apud Rhuténos sancti Quinctiáni Epíscopi.

xij. E Decimoseptimo Kalendas Julii. Luna. 15

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

In Lucánia apud Sílarum flumen natális sanctórum Mártyrum Viti, Modésti, atque Crescéntiæ, qui sub Diocletiáno Imperatóre e Sicília illuc deláti, ibídem post ollam fervéntis plumbi, post béstias et catástas divína virtúte superátas, cursum gloriósi certáminis peregérunt.
Doróstori in Mysia sancti Hesychii mílitis qui, cum beáto Július comprehénsus, sub Máximo Præside post eum martyrio coronátus est.
Córdubæ in Hispánia sanctæ Beníldis Mártyris.
Zephyrii in Cilícia sancti Dulæ Mártyris, qui sub Præside Máximo ob Christi nomen virgis cæsus, in craticula pósitus, fervénti óleo incénsus, aliáque passus, martyrii palmam victor accépit.
Palmyræ in Syria sanctárum Mártyrum Líbyæ et Leonídis sorórum, et Eutrópiæ puéllæ annórum duódecim, quæ per divérsa torménta ad corónam martyrii pervenérunt.
Apud Valencénas depositio sancti Landelíni Abbátis.
Arvérnis sancti Abrahæ Confessóris, sanctitáte ac miráculis illústris.
Valésiæ in monte Jovis sancti Bernárdi a Montóne Confessóris.

xj. F Sextodecimo Kalendas Julii. Luna. 16

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

Vesontione in Gálliis sanctórum Mártyrum Ferréoli Presbyteri et Ferrutiónis Diáconi, qui a beáto Irenæo Epíscopo ad prædicándum verbum Dei missi, póstea sub Claúdio Júdice divérsis pœnis excruciáti, gládio feriúntur.

Tharsi in Cilícia sanctórum Mártyrum Quirici et Julíttæ matris ejus, sub Diocletiáno Imperatóre : quorum Quiricus triénnis puéllus, cum matrem, quæ ante Alexándrum Præsidem nervis dirissime cædebátur, implacábili luctu lugéret, ad gradus tribunális illisus intériit : Julitta vero, post dira vérbera et grávia torménta, martyrii sui cursum obtruncatióne cápitis implévit.
Mogúntiæ pássio sanctórum Aúrei et Justínæ sorōris ejus, et cæterórum Mártyrum, qui synáxim in Ecclésia agéntes, ab Hunnis Germániam diripiéntibus trucidáti sunt.
Amathúnte in Cypro sancti Tychónis Epíscopi, témpore Theodósii Junióris.
Lugdúni depositio beáti Aureliáni Epíscopi Arelaténsis.
Nannéte in Británnia minóri sancti Similiáni Epíscopi et Confessóris.
Misnæ in Germánia sancti Bennónis Epíscopi.
In Pago Lalovésci Diœcésis Viennénsis in Delphinátu depositio sancti Joánnis Francísci Regis Confessóris Societátis Jesu, exímiæ in procuránda animárum salúte charitátis et patiéntiæ, quem Clemens Duodécimus in Sanctórum Cánonem rétulit.
In Brabántia sanctæ Lutgárdis Vírginis.

17 Quintodecimo Kalendas Julii. Luna. G x.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

ROMÆ natális sanctórum ducentórum et sexagintaduórum Mártyrum, qui in persecutióne Diocletiáni pro fide Christi necáti, pósiti sunt via Salária véteri ad Clivum Cucúmeris.
Tarracínæ sancti Montáni mílitis, qui sub Hadriáno Imperatóre et Leóntio Consulári, post multa torménta, martyrii corónam accépit.
Apud Venáfrum sanctórum Mártyrum Nicándri et Marciáni, qui in persecutióne Maximiáni cápite cæsi sunt.
Chalcédone sanctórum Mártyrum Manuélis, Sabélis, et Ismaélis, qui pacis causa apud Juliánum Apóstatam pro Rege Persárum legatióne fungéntes, cum Imperatóris jussu idóla venerári compelleréntur, idque constánti ánimo recusárent, gládio feriúntur.
Apolloniæ in Macedónia sanctórum Mártyrum Isaúri Diáconi, Innocéntii, Felícis, Jeremíæ, et Peregríni Atheniénsium, qui a Tripóntio Tribúno várie torti, cápite obtruncáti sunt.

Amériæ in Umbria sancti Himérii Epíscopi, cujus corpus Cremónam translátum est.
In pago Bituricénsi sancti Gundúlphi Epíscopi.
Aureliánis sancti Aviti Presbyteri et Confessóris.
In Phrygia sancti Hypátii Confessóris.
Item sancti Bessariónis Anachorétæ.
Pisis in Túscia sancti Rainérii Confessóris.

ix. A Quartodecimo Kalendas Julii. Luna. 18

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

Romæ via Ardeatína natális sanctórum Mártyrum Marci et Marcelliáni fratrum, qui in persecutióne Diocletiáni a Júdice Fabiáno tenti, et ad stípitem alligáti, in pédibus clavos acútos accepérunt : cumque non cessárent laudáre Christum, lánceis per látera transfíxi, cum glória martyrii ad sidérea regna migrárunt.
Málacæ in Hispánia sanctórum Mártyrum Cyríaci et Paulæ Vírginis, qui, lapídibus óbruti, inter saxa ánimas cœlo reddidérunt.
Trípoli in Phœnícia sancti Leóntii mílitis, qui sub Hadriáno Præside, una cum Hypátio Tribúno et Theodúlo, quos convértit ad Christum, per acérba torménta pervénit ad corónam martyrii.
Eódem die sancti Æthérii Mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni post ignes et álios cruciátus gládio cæsus est.
Alexandriæ pássio sanctæ Marínæ Vírginis.
Burdígalæ sancti Amándi Episcopi et Confessóris.
Apud Saccam in Sicília sancti Calogéri Eremítæ, cujus sánctitas in energúmenis liberándis máxime effúlget.
Sconaúgiæ sanctæ Elísabeth Vírginis, monásticæ vitæ observántia célebris.

viij. B Tertiodecimo Kalendas Julii. Luna. 19

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

Florentiæ sanctæ Juliánæ Falconériæ Vírginis, Sorórum Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis Institutrícis, quam Clemens Duodécimus Póntifex Máximus in sanctárum Vírginum númerum rétulit.
Mediolani sanctórum Mártyrum Gervásii et Protásii fratrum : ex quibus

priórem támdiu jussit Astásius Judex plumbátis cædi, quoúsque spíritum exhaláret; sequéntem vero fústibus cæsum cápite truncári. Horum córpora, Dómino reveláute, beátus Ambrósius sánguine conspérsa, et ita incorrúpta réperit, ac si eo die fuíssent interémpti: in quorum translatióne cæcus féretri tactu lumen recépit, et plúrimi vexáti a dæmónibus liberáti sunt.

Ravénnæ sancti Ursicíni Mártyris, qui sub Paulíno Júdice post plúrima torménta in confessióne Dómini immóbilis pérmanens, cápitis abscisióne martyrium complévit.

Sozópoli sancti Zósimi Mártyris, qui in persecutióne Trajáni sub Domitiáno Præside post acérbos cruciátus cápite amputáto victor migrávit ad Dóminum.

Arétii in Túscia sanctórum Mártyrum Gaudéntii Epíscopi et Culmátii Diáconi, qui témpore Valentiáni furóre Gentílium cæsi sunt.

Eódem die sancti Bonifácii Mártyris, discípuli beáti Romuáldi, qui a Románo Pontífice ad prædicándum Evangélium in Rússiam missus, cum per ignem transísset illæsus, Regémque ac pópulum baptizásset, a furénte Regis fratre necátus, optátam martyrii corónam accépit.

Ravénnæ sancti Romuáldi Anachorétæ, Monachórum Camalduléusium Patris, qui collápsam in Itália eremíticam disciplínam restituit, ac miríflce propagávit: de quo étiam séptimo Idus Februárii.

20 Duodecimo Kalendas Julii. Luna. C vij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

NATALIS sancti Silvérii Papæ et Mártyris, qui cum Anthimum Epíscopum hæréticum ab Agapito prædecessóre suo depósitum restitúere noluísset, agénte ímpia Theodóra Augústa, a Bellisário in exílium pulsus ad ínsulam Póntiam, ibídem pro fide cathólica multis ærúmnis conféctus defécit.

Romæ deposítio sancti Nováti, fílii beáti Pudéntis Senatóris, et fratris sancti Timóthei Presbyteri, et sanctárum Christi Vírginum Pudentiánæ et Praxédis, qui ab Apóstolis erudíti sunt in fide. Horum domus in Ecclésiam commutáta, Pastóris Títulus appellátur.

Tomis in Ponto sanctórum Mártyrum Pauli et Cyríaci.

Petræ in Palæstina sancti Macárii Epíscopi, qui ab Ariánis multa passus, in Africam relegátus quiévit in Dómino.

Hispali in Hispánia sanctæ Florentínæ Vírginis, soróris sanctórum Leándri et Isidóri Episcopórum.

8

vj. **D** Undecimo Kalendas Julii. Luna. 21

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

Romæ sancti Aloysii Gonzágæ, Societátis Jesu, principátus contémptu et innocéntia vitæ clarissimi.

Item Romæ sanctæ Demétriæ Virginis, quæ sub Juliáno Apóstata martyrio coronáta est.

Syracúsis in Sicilia natális sanctórum Mártyrum Rufini et Mártiæ.

In Africa sanctórum Mártyrum Cyriaci et Apollináris.

Mogúntiæ sancti Albáni Mártyris, qui ob Christi fidem post longos labóres et dura certámina, factus est dignus coróna vitæ.

Eódem die sancti Eusébii Episcopi Samosaténi, qui témpore Constántii Imperatóris Ariáni sub hábitu militári incógnitus Ecclésias Dei visitábat, ut in fide cathólica illas confirmáret, deinde sub Valénte in Thráciam relegátur : sed réddita pace Ecclésiæ témpore Theodósii, ab exílio revocátus, cum íterum Ecclésias visitáret, tégula ab Ariána muliere désuper immíssa, confrácto cápite, martyr tandem occúbuit.

Icónii in Licaónia sancti Teréntii Episcopi et Mártyris.

Papiæ sancti Urcisséni Episcopi et Confessóris.

Apud Tungrénses sancti Martini Epíscopi.

In pago Ebroicénsi sancti Leutfrídi Abbátis.

v. **E** Decimo Kalendas Julii. Luna. 22

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

Apud Nolam Campániæ urbem natális beáti Paulíni Epíscopi et Confessóris, qui ex nobilissimo et opulentíssimo factus est pro Christo pauper et húmilis, et quod supérerat, seípsum pro rediméndo víduæ fílio, quem Wándali Campánia devastáta captívum in Africam abdúxerant, in servitútem dedit. Cláruit autem non solum eruditióne et copiósa vitæ sanctitáte, sed étiam poténtia advérsus dæmones : cujus præcláras laudes sancti Ambrósius, Hierónymus, Augustínus, et Gregórius scriptis suis celebrárunt. Ejus corpus Romam translátum, in Ecclésia sancti Bartholomæi in ínsula una cum córpore ejúsdem Apóstoli honorífice asservátur.

In monte Ararath pássio sanctórum Mártyrum decem millium crucifixórum.
Verolámii in Británnia sancti Albáni Mártyris, qui témpore Diocletiáni pro clérico hóspite, quem suscéperat, seípsum tradens, post vérbera et acérba torménta cápite plexus est. Passus est étiam cum illo unus de milítibus, qui eum ducébat ad supplícium, qui in via convérsus ad Christum, próprio sánguine méruit baptizári.
Samaríæ sanctórum mille quadringentórum octogínta Mártyrum, sub Chósroa Rege Persárum.
Romæ translátio sancti Flávii Cleméntis viri consuláris, et Mártyris, a Domitiáno Imperatóre pro Christi fide interémpti, cujus corpus in Basílica sancti Cleméntis Papæ nuper invéntum, ibídem solémni pompa recónditum est.
Eódem die sancti Nicææ Romatiánæ civitátis Episcopi, doctrína, sanctísque móribus clari.
Neápoli in Campánia sancti Joánnis Epíscopi, quem beátus Paulínus Epíscopus Nolánus ad cœléstia regna vocávit.
In monastério Cluniacénsi sanctæ Consórtiæ Vírginis.

23 Nono Kalendas Julii. Luna. F iv.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

Vigilia sancti Joánnis Baptístæ.
Romæ sancti Joánnis Presbyteri, qui sub Juliáno Apóstata via Salária véteri ante simulácrum Solis decollátus est, et corpus ejus a beáto Concórdio Presbytero juxta Mártyrum Concília sepúltum.
Item Romæ sanctæ Agrippínæ Vírginis et Mártyris sub Valeriáno Imperatóre, cujus corpus in Sicíliam translátum, multis miráculis coruscat.
Sútrii in Túscia sancti Felícis Presbyteri, cujus os támdiu jussit Túrcius Præféctus lápide contúndi, donec emítteret spíritum.
Nicomédiæ commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum, qui in móntibus et spelúncis témpore Diocletiáni laténtes, pro Christi nómine martyrium læto ánimo subiérunt.
Philadélphiæ in Arábia sanctórum Mártyrum Zenónis, et Zenæ servi ejus, qui caténas dómini sui vincti exósculans, eúmque rogans, ut se in torméntis partícipem dignarétur habére, a milítibus tentus parem cum dómino martyrii corónam accépit.
In Británnia sanctæ Ediltrúdis Regínæ et Vírginis, quæ sanctitáte et

miráculis clara migrávit ad Dóminum; cujus corpus úndecim post annis invéntum est incorrúptum.

iij. G Octavo Kalendas Julii. Luna. 24

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

NATIVITAS sancti Joánnis Baptístæ Præcursóris Dómini, Zachariæ et Elísabeth filii, qui Spíritu sancto replétus est adhuc in útero matris suæ.

Romæ commemorátio sanctórum plurimórum Mártyrum, qui sub Neróne Imperatóre de Urbis incéndio per calúmniam accusáti, divérso mortis génere ab eódem jussi sunt sævíssime intérfici, quorum álii ferárum tergis contécti, laniátibus canum expósiti sunt; álii crúcibus affíxi; aliíque incéndio tráditi, ut, ubi defecísset dies, in usum noctúrni lúminis deservírent. Erant hi omnes Apostolórum discípuli, et primítiæ Mártyrum, quas Romána Ecclésia fértilis ager Mártyrum, ante Apostolórum necem transmísit ad Dóminum.

Ibídem sanctórum Mártyrum Fausti et aliórum vigintitríum.

Nátalis in Arménia sanctórum Mártyrum Septem fratrum Oréntii, Heróis, Pharnácii, Firmíni, Firmi, Cyríaci et Longíni mílitum, qui a Maximiáno Imperatóre, eo quod Christiáni essent, cíngulo militári priváti sunt, et ab ínvicem separáti, atque in divérsa loca abdúcti, in dolóribus et ærúmnis pósiti quievérunt in Dómino.

In território Parisiénsi, in vico Christólio, pássio sanctórum Mártyrum Agoárdi et Agliberti, cum áliis innúmeris promíscui sexus.

Augustodúni depositio sancti Simplícii Epíscopi et Confessóris.

Laúbiis sancti Theodúlphi Epíscopi.

Apud Stylum in Calábria sancti Joánnis cognoménto Therésti, monásticæ vitæ laude et sanctitáte insígnis.

ij. A Septimo Kalendas Julii. Luna. 25

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

IN território Guléti prope Nuscum sancti Guliélmi Confessóris, Patris Eremitárum Montis Vírginis.

Apud Berœam natális sancti Sosípatris, discípuli beáti Pauli Apóstoli.

Romæ sanctæ Lúciæ Vírginis et Mártyris cum áliis vigintiduóbus.

Alexandríæ sancti Gallicáni Mártyris, viri Consuláris, qui triumphálibus ínfulis sublimátus, et Constantino Augústo charus, a sanctis Joánne et Paulo ad fidem Christi convérsus est : qua suscépta, cum sancto Hilarino ad óstia Tiberina secédens, hospitalitáti et infirmórum servítio totum se dedit : cujus rei fama in toto orbe divulgáta, multi úndique illuc veniéntes vidébant virum ex Patrício et Cónsule lavántem paúperum pedes, ponéntem mensam, aquam mánibus effundéntem, languéntibus sollícite ministrántem, et cétera pietátis offícia exhibéntem. Qui póstmodum sub Juliáno Apóstata inde expúlsus, Alexandríam perréxit : ubi cum a Rauciáno Júdice sacrificáre cogerétur, et contémneret, percússus gládio, Christi martyr efféctus est.

Sibápoli in Syria sanctæ Febróniæ Vírginis et Mártyris, quæ in persecutióne Diocletiáni sub Lysímacho Præside, ob fidem et pudicítiam servándam primo virgis cæsa et equúleo torta, deinde pectínibus laniáta, atque igne succénsa, demum excússis déntibus, mammísque abscíssis, cápitis damnáta, tot passiónum ornáta monílibus migrávit ad sponsum.

Vesontióne in Gálliis sancti Antídii Epíscopi et Mártyris, qui ob fidem Christi a Wándalis occísus fuit.

Apud Rhégium sancti Prósperi Aquitáni, ejúsdem urbis Epíscopi, eruditióne ac pietáte insígnis, qui advérsus Pelagiános pro fide cathólica strénue decertávit.

Tauríni natális sancti Máximi Epíscopi et Confessóris, doctrína et sanctitáte celebérrimi.

In Hollándia sancti Adelbérti Confessóris, discípuli sancti Willibrórdi Epíscopi.

26 Sexto Kalendas Julii. Luna. D j.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

Romæ in monte Cœlio sanctórum Mártyrum Joánnis et Pauli fratrum, quorum primus erat Præpósitus domus, secundus Primicérius Constántiæ Vírginis, fíliæ Constantíni Imperatóris, qui póstea sub Juliáno Apóstata martyrii palmam gládio cædénte percepérunt.

Apud Tridéntum sancti Vigílii Epíscopi, qui cum relíquias idololatríæ pénitus extirpáre conarétur, a feris et bárbaris homínibus lápidum imbre percússus, pro Christi nómine martyrium implévit.

Córdubæ in Hispánia natális sancti Pelágii adolescéntuli, qui ob con-

fessiónem fidei jussu Abdaraméni Sarracenórum Regis forcípibus férreis membrátim præcísus, martyrium suum glorióse consummávit.
Apud Valencénas pássio sanctórum Sálvii Epíscopi Engolisménsis, et Supérii Mártyrum.
Item memória sancti Anthélmi Epíscopi Bellicénsis.
In pago Pictaviénsi sancti Maxéntii Presbyteri et Confessóris, qui miráculis cláruit.
Thessalonícæ sancti David Eremítæ.
Eódem die sanctæ Perseverándæ Vírginis.

° C Quinto Kalendas Julii. Luna. 27

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |

In Galátia sancti Crescéntis discípuli beáti Pauli Apóstoli, qui in Gállias tránsitum fáciens, verbo prædicatiónis multos ad fidem Christi convértit; rédiens vero ad gentem, cui speciáliter datus erat Epíscopus, cum Gálatas ipsos usque ad finem vitæ suæ in ópere Dómini confirmásset, demum sub Trajáno martyrium consummávit.
Córdubæ sanctórum Mártyrum Zóili, et aliórum decem et novem.
Cæsaréæ in Palæstína sancti Anécti Mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni sub Urbáno Præside, cum álios ad martyrium hortátus esset, et oratióne sua idóla prostrásset, a decem milítibus verberári jussus, mánibus pedibúsque præcísis, truncátus cápite, martyrii corónam accépit.
Constantinópoli sancti Sampsónis Presbyteri, paúperum exceptóris.
In pago Turónico sancti Joánnis Presbyteri et Confessóris.
Varadíni in Hungária sancti Ladisláі Regis, qui claríssimis miráculis usque ad diem hodiérnum corúscat.

xxix. D Quarto Kalendas Julii. Luna. 28

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

Vigilia sanctórum Apostolórum Petri et Pauli.
Romæ sancti Leónis Papæ Secúndi.
Lugdúni in Gállia sancti Irenæi Epíscopi et Mártyris, qui (ut scribit sanctus Hierónymus) beáti Polycárpi Smyrnénsis Epíscopi discípulus

fuit, et Apostolicórum témporum vicínus. Is cum advérsus hæréticos verbis ac scriptis plúrimum decertásset, in persecutióne Sevéri cum omni fere civitátis suæ pópulo coronátus est glorióso martyrio.

Alexandríæ in eádem Sevéri persecutióne sanctórum Mártyrum Plutárchi, Seréni, Heráclidis catechúmeni, Herónis neóphyti, et altérius Seréni, Rháidis catechúmenæ, Potamiœnæ, et Marcéllæ ejus matris : inter quos præcípue enítuit Potamiœna virgo, quæ primo imménsos innumerósque agónes pro virginitáte desúdans, deínde, étiam exquisíta et inaudíta torménta pro fide perpéssa, ad últimum una cum matre igne consúmpta est.

Eódem die sancti Pápii Mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni flagris cæsus, et in lebétem óleo et ádipe fervénti plenum injéctus, aliáque horrénda supplícia perpéssus, demum datis cervícibus coronátur.

Trajécti sancti Benígni Epíscopi et Mártyris.

Córdubæ sancti Argymiri Mónachi et Mártyris, qui in persecutióne Arábica pro fide Christi necátus est.

Romæ sancti Pauli Papæ et Confessóris.

29 Tertio Kalendas Julii. Luna. E xxviij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |

ROMÆ natális sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, qui eódem anno, eodémque die passi sunt sub Neróne Imperatóre : quorum prior in eádem urbe cápite ad terram verso cruci affíxus, et in Vaticáno juxta viam Triumphálem sepúltus, totíus orbis veneratióne celebrátur; alter vero gládio animadvérsus, et via Ostiénsi sepúltus, pari habétur honóre.

In castro Argentómacho sancti Marcélli Mártyris, qui pro fide Christi una cum Anastásio viro militári cápite plexus est.

Génuæ natális sancti Syri Epíscopi.

Nárniæ sancti Cássii ejúsdem civitátis Epíscopi, de quo sanctus Gregórius refert, quod nullus pene dies vitæ ejus abscedébat, quo omnipoténti Deo hóstias placatiónis non offérret : cui et concordábat vita, quia cuncta, quæ habébat, in eleemósynis tribuens, in hora sacrifícii totus in lácrymis diffluébat : demum natalitio Apostolórum die, quo síngulis annis Romam venire consuéverat, cum Missárum solémnia celebrásset, et corpus Domínicum, pacémque ómnibus dedisset, migrávit ad Dóminum.

In Cypro sanctæ Maríæ matris Joánnis, qui cognominátus est Marcus.

In território Senonénsi sanctæ Benedíctæ Vírginis.

xxvij. F Pridie Kalendas Julii. Luna. 30

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |

Commemoratio sancti Pauli Apóstoli.
Lemóvicis in Gállia sancti Martiális Episcopi cum duóbus Presbyteris Alpiniáno et Austricliniáno, quorum vita miraculórum signis ádmodum effúlsit.
Ipso die sanctórum Caji Presbyteri, et Leónis Subdiáconi.
Alexandriæ pássio sancti Basilidis sub Sevéro Imperatóre, qui cum sanctam Potamiœnam Vírginem, quam ad supplícium ducébat, ab impudicórum hóminum petulántia tutátus esset, religiósi officii mercédem ab ea recépit : nam ipsa post tríduum illi appárens, et ejus cápiti corónam impónens, non solum eum convértit ad Christum, sed étiam brevi agóne certántem, suis précibus mártyrem gloriósum effécit.
Romæ sanctæ Lucínæ Apostolórum discípulæ, quæ de facultátibus suis Sanctórum necessitátibus commúnicans, Christiános in cárcere deténtos visitábat, ac Mártyrum sepultúræ inserviébat, juxta quos et ipsa in crypta a se constrúcta sepúlta est.
Ibidem sanctæ Æmiliánæ Mártyris.
In território Vivariénsi sancti Ostiáni Presbyteri et Confessóris.

# JULIUS.

1 Kalendas Julii. Luna. G xxvj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

**Octava sancti Joánnis Baptístæ.**
**In monte Hor depósitio sancti Aaron primi Sacerdótis órdinis Levítici.**
**In Británnia sanctórum Mártyrum Júlii et Aaron, qui post sanctum Albánum in persecutióne Diocletiáni passi sunt : quo témpore ibídem quamplúrimi divérsis cruciátibus torti, et sævíssime laceráti, ad supérnæ civitátis gaúdia consummáto agóne pervenérunt.**
**Mechlíniæ pássio sancti Rumóldi Mártyris, Scotórum Regis fílii, et Epíscopi Dublinénsis.**
**Sinuéssæ sanctórum Mártyrum Casti et Secundíni Episcopórum.**
**Viénnæ sancti Martíni Epíscopi, Apostolórum discípuli.**
**Arvérnis sancti Galli Epíscopi.**
**In território Lugdunénsi depósitio sancti Domitiáni Abbátis, qui primus illic eremíticam vitam exércuit, et cum plúrimos ibi in Dei servítio congregásset, magnis virtútibus et gloriósis miráculis valde clarus, colléctus est ad patres in senectúte bona.**
**In território Rheménsi sancti Theodoríci Presbyteri, discípuli beáti Remígii Epíscopi.**
**Engolísmæ sancti Epárchii Abbátis.**
**Apud Emésam sancti Simeónis Confessóris, cognoménto Sali, qui stultus propter Christum factus est : sed altam ejus sapiéntiam Deus magnis miráculis declarávit.**
**Vicéntiæ depósitio sancti Theobáldi Eremítæ ex Campániæ Comítibus, quem Alexánder Tértius ob sanctitátis et miraculórum famam Sanctórum Cánoni adjúnxit.**

25. xxv. A Sexto Nonas Julii. Luna. 2

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

VISITATIO beátæ Maríæ Vírginis ad Elísabeth.

Romæ via Aurélia natális sanctórum Mártyrum Procéssi et Martiniáni, qui a beáto Petro Apóstolo in custódia Mamertini baptizáti, sub Neróne oris contusiónem, equúleum, nervos, fustes, flammas, scorpionésque perpéssi, novíssime gládio cæsi, martyrio coronáti sunt.

Item Romæ pássio sanctórum trium mílitum, qui in martyrio beáti Pauli Apóstoli ad Christum convérsi, cum eo cœléstis glóriæ partícipes fieri meruérunt.

Eódem die sanctórum Mártyrum Aristónis, Crescentiáni, Eutychiáni, Urbáni, Vitális, Justi, Felicíssimi, Felícis, Márciæ et Symphorósæ, qui omnes apud Campániam, cum Diocletiáni Imperatóris persecútio desæviret, martyrio coronáti sunt.

Wintóniæ in Anglia sancti Swithúni Epíscopi, cujus sánctitas grátia miraculórum effúlsit.

Bambérgæ sancti Othónis Epíscopi, qui Pomeránis Evangélium prædicans, eósdem convértit ad fidem.

Turónis depositio sanctæ Monegúndis religiósæ féminæ.

xxiv. B Quinto Nonas Julii. Luna. 3

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

ALEXANDRIÆ sanctórum Mártyrum Tryphónis et aliórum duódecim.

Constantinópoli sanctórum Eulógii et Sociórum Mártyrum.

Cæsaréæ in Cappadócia sancti Hyacínthi cubiculárii Trajáni Imperatóris, qui accusátus quod Christiánus esset, plagis várie afflíctus, et in cárcerem trusus, ibi consúmptus fame expirávit.

Clúsii in Etrúria sanctórum Mártyrum Irenæi Diáconi, et Mustíolæ Matrónæ, qui sub Aureliáno Imperatóre divérsis atrocibúsque supplíciis cruciáti, corónam martyrii meruérunt.

Eódem die sanctórum Mártyrum Marci et Muciáni, qui pro Christo gládio cæsi sunt : quos cum puer párvulus, ne immolárent idólis, alta voce monéret, verbéribus jussus est cædi, cumque veheméntius

Christum confiterétur, una cum quodam Paulo mártyres exhortánte necátus est.

Laodicéæ in Syria sancti Anatólii Epíscopi, qui non solum religiósis viris, sed et Philósophis admiránda scripta relíquit.

Altini sancti Heliodóri Epíscopi, doctrína et sanctitáte insígnis.

Ravénnæ sancti Dathi Epíscopi et Confessóris.

Edéssæ in Mesopotámia Translátio sancti Thomæ Apóstoli ex India : cujus relíquiæ Ortónam póstea translátæ sunt.

4 Quarto Nonas Július. Luna. C xxiij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

Osee et Aggæi Prophetárum.

In Africa natális sancti Jucundiáni Mártyris, pro Christo in mare mersi.

In território Bituricénsi sancti Lauriáni Epíscopi Hispalénsis et Mártyris, cujus caput Hispalim in Hispánia delátum est.

Sirmii sanctórum Mártyrum Innocéntii et Sebástiæ cum áliis trigínta.

Madaúri in Africa sancti Namphaniónis Mártyris et sociórum, quos ille roborávit ad pugnam, et ad corónam provéxit.

Cyréne in Lybia sancti Theodóri Epíscopi, qui in persecutióne Diocletiáni sub Digniáno Præside plumbátis cæsus, et lingua abscissa, in pace tandem conféssor occúbuit.

Eódem die natális sanctórum Flaviáni secúndi Epíscopi Antiochéni, et Elíæ Epíscopi Jerosolymórum ; qui pro Synodo Chalcedonénsi ab Anastásio Imperatóre in exílium acti, victóres migrárunt ad Dóminum.

Augústæ in Rhætia sancti Uldarici Epíscopi, miræ abstinéntiæ, largitátis, et vigiIántiæ ac miraculórum grátia illústris.

Ulyssipóne sanctæ Elisabeth Víduæ, Regínæ Portugálliæ, cujus celébritas ex dispositióne Innocéntii Duodécimi, octávo Idus Július recólitur.

Turónis Translátio sancti Martíni Epíscopi et Confessóris, et Dedicátio ejus Basílicæ hoc ipso die, quo étiam is ante áliquot annos in Epíscopum fúerat ordinátus.

xxij D Tertio Nonas Julii. Luna. 5

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

Romæ sanctæ Zoæ Mártyris, uxóris beáti Nicóstrati Mártyris, quæ dum ad confessiónem beáti Petri Apóstoli oráret, sub Diocletiáno Imperatóre a persecutóribus arctáta, et in custódiam obscuríssimam trusa, deinde collo et capíllis in árbore suspénsa, adhíbito subter horríbili fumo, in confessióne Dómini emísit spíritum.
In Syria natális sancti Domítii Mártyris, qui virtútibus suis multa íncolis præstat benefícia.
Cyréne in Lybia sanctæ Cyríllæ Mártyris, quæ in persecutióne Diocletiáni ardéntes carbónes cum thure super manum pósitos diu ténuit, ne prunas excutiéndo thus obtulísse viderétur: deinde sævíssime laniáta, próprio sánguine decoráta migrávit ad Sponsum.
Jerosólymis sancti Athanásii Diáconi, qui pro sancta Synodo Chalcedonénsi ab hæréticis comprehénsus, et ómnium cruciátuum génera expértus, ferro tandem necátus est.
In Sicília sanctórum Mártyrum Agathónis et Triphínæ.
Thomis in Scytia sanctórum Mártyrum Maríni, Theódoti, et Sédophæ.
Tréviris sancti Numeriáni Epíscopi et Confessóris.
Apud Septempedános in Picéno sanctæ Philoménæ Vírginis.

xxj. E Pridie Nonas Julii. Luna. 6

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

Octava sanctórum Apostolórum Petri et Pauli.
In Judæa sancti Isaíæ prophétæ, qui sub Manásse Rege sectus in duas partes occúbuit; sepultúsque est sub quercu Rogel juxta tránsitum aquárum.
Romæ natális sancti Tranquillíni Mártyris, patris sanctórum Marci et Marcelliáni, qui ad prædicatiónem sancti Sebastiáni Mártyris convérsus ad Christum, a beáto Polycárpo Presbytero baptizátus, et a sancto Cajo Papa Présbyter ordinátus est. Is cum ad confessiónem beáti Pauli die Octavárum Apostolórum oráret, sub Diocletiáno Imperatóre a Pagánis tentus et lapidátus, martyrium consummávit.

Fésulis in Túscia sancti Rómuli Epíscopi et Mártyris, discípuli beáti Petri Apóstoli; qui ab eódem missus ad prædicándum Evangélium, cum in multis Itáliæ locis Christum annuntiásset, rédiens Fésulas, sub Domitiáno Príncipe martyrio coronátus est cum áliis sóciis.

In Campánia sanctæ Domínicæ Vírginis et Mártyris, quæ sub Diocletiáno Imperatóre cum fregísset idóla, ad béstias damnáta, sed ab illis nil læsa, demum cápite obtruncáta migrávit ad Dóminum : cujus corpus Tropéæ in Calábria summa veneratióne asservátur.

Eódem die sanctæ Lúciæ Mártyris, quæ natióne Campána, a Rixio Varo Vicário tenta, et ácriter cruciáta, eúmdem convértit ad Christum : quibus adjúncti sunt Antonínus, Severínus, Diodórus, Dion, et álii decem et septem, qui in passióne collégæ, et in coróna fuére consórtes.

In pago Treviréñsi sancti Góaris Presbyteri et Confessóris.

**7** Nonis Julii. Luna. **F** xx.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

ROMÆ sanctórum Mártyrum Claúdii Commentariénsis, Nicóstrati primiscrinii, Castórii, Victoríni et Symphoriáni, quos sanctus Sebastiánus ad fidem Christi perdúxit, et beátus Polycárpus Présbyter baptizávit. Eósdem in perquiréndis sanctórum Mártyrum corpóribus occupátos Fabiánus Judex comprehéndi jussit, et per decem dies minis et blandítiis exágitans, cum in nullo pénitus posset commovére, jussit tértio torquéri, ac póstea in mare præcípites dari.

Dyrráchii in Macedónia sanctórum Mártyrum Peregríni, Luciáni, Pompéji, Hesychii, Pápii, Saturníni, et Germáni, qui natióne Itali, in persecutióne Trajáni ad eam urbem confugiéntes, cum sanctum Astium Epíscopum ibi pro fide Christi in cruce pendéntem vidérent, Christiános se esse palam conféssi, jussu Præsidis tenti, atque in mare demérsi sunt.

Perúsii beáti Benedícti Undécimi Tarvisíni ex Ordine Prædicatórum, qui brevi Pontificátus sui spátio, Ecclésiæ pacem, disciplínæ restauratiónem, Religiónis increméntum mirífice promóvit.

Alexandríæ natális sancti Pantæni viri Apostólici, et omni sapiéntia adornáti, cui tantum stúdii et amóris erga verbum Dei fuit, ut étiam ad prædicándum Christi Evangélium géntibus, quæ in Oriéntis últimis secéssibus recondúntur, fídei et devotiónis calóre succénsus, proféctus sit : ac demum Alexandríam revérsus, sub Antoníno Caracálla in pace quiévit.

Brixiæ sancti Apollónii Epíscopi et Confessóris.

In Saxónia sancti Willebáldi primi Eisteténsis Epíscopi, qui una cum sancto Bonifácio labórans in Evangélio, multas gentes convértit ad Christum.
Arvérnis sancti Illídii Epíscopi.
Urgéllæ in Hispánia Tarraconénsi sancti Odónis Epíscopi.
In Anglia sancti Heddæ Epíscopi Sáxonum occidentálium.
Gráii in Burgúndia beáti Petri Forérii Canónici Reguláris sanctíssimi Salvatóris, virtútibus et miráculis clari.
In Anglia sanctæ Edilbúrgæ Vírginis, Anglórum Regis fíliæ.

xix. **G** Octavo Idus Julii. Luna. 8

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

Sanctæ Elísabeth Víduæ, Lusitániæ Regínæ, quam virtútibus et miráculis claram Urbánus Octávus in Sanctórum númerum rétulit.
In Asia minóri sanctórum Aquílæ et Priscíllæ uxóris ejus, de quibus in Actibus Apostolórum scríbitur.
In Portu Románo sanctórum quinquagínta mílitum Mártyrum, qui in confessióne sanctæ Bonósæ ad fidem addúcti, et a beáto Felíce Papa baptizáti, in persecutióne Aureliáni occísi sunt.
In Palæstina sancti Procópii Mártyris, qui sub Diocletiáno Imperatóre ab Scythópoli ductus Cæsaréam, ad primam responsiónum ejus confidéntiam a Júdice Fabiáno cápite cæsus est.
Constantinópoli pássio sanctórum Monachórum Abrahamitárum, qui ob cultum sanctárum Imáginum resisténtes Theóphilo Imperatóri, martyrium consummárunt.
Herbípoli in Germánia sancti Chiliáni Epíscopi, qui a Románo Pontífice ad prædicándum Evangélium missus, cum multos ad Christum perduxísset, una cum sóciis Colománno Presbytero et Totnáno Diácono trucidátus est.
Tréviris sancti Auspícii Epíscopi et Confessóris.

xviij. **A** Septimo Idus Julii. Luna. 9

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

Romæ ad Guttam júgiter manántem natális sanctórum Mártyrum Zenónis et aliórum decem míllium ducentórum trium.

Gortynæ in Creta sancti Cyrílli Epíscopi, qui in persecutióne Décii sub Lúcio Præside flammis injéctus, cum incénsis vínculis evasísset illæsus, ac stupóre tanti miráculi a júdice dimíssus esset, rursus pro instánti et álacri fídei prædicatióne facta de Christo, ab eódem cápite plexus est.

In civitáte Thora apud lacum Velínum pássio sanctórum Anatóliæ et Audácis sub Décio Imperatóre : quorum Anatólia Christi virgo, postquam plúrimos per totam Picéni provínciam váriis languóribus afféctos curásset, et in Christum credéntes fecísset, jubénte Faustiniáno Júdice, divérsis pœnárum genéribus vexáta, cum ab immísso serpénte liberáta Audácem convertísset ad fidem, novíssime exténsis mánibus orans gládio transverberáta est; Audax quoque in custódiam datus, sine mora capitáli senténtia coronátur.

Alexandríæ sanctórum Mártyrum Patermúthii, Coprétis, et Alexándri, qui sub Juliáno Apóstata cæsi sunt.

Brielæ in Hollándia pássio novémdecim Mártyrum Gorcomiénsium nuncupatórum, qui ob tuéndam Ecclésiæ Románæ auctoritátem, et reálem Christi in Eucharístia præséntiam, a Calviniánis hæréticis vária ludíbria, et torménta perpéssi, extrémo supplício martyrium consummárunt.

Mártulæ sancti Bríctii Epíscopi, qui sub Marciáno Júdice pro confessióne Dómini multa passus, cum magnam pópuli multitúdinem ad Christum convertísset, Conféssor in pace quiévit.

Tiférni sanctæ Verónicæ de Juliánis Ordinis Minórum Capuccinórum, Abbatíssæ Ascetérii ejus urbis; ex óppido Mercatélli Urbaniénsis diœcésis, insígni patiéndi stúdio, cæterísque virtútibus, ac cœléstibus charismátibus illústris, quam Gregórius Papa Décimussextus sanctárum Vírginum Collégio adscrípsit.

10 Sexto Idus Julii. Luna. B xvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 13 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

Romæ pássio sanctórum septem fratrum, filiórum sanctæ Felicitátis Mártyris, id est, Januárii, Felícis, Philíppi, Silváni, Alexándri, Vitális, et Martiális, témpore Antoníni Imperatóris, sub Præfécto urbis Públio : ex quibus Januárius post vérbera virgárum, et cárceris maceratiónem, plumbátis occísus : Felix et Philíppus fústibus mactáti : Silvánus præcipítio interémptus : Alexánder, Vitális, et Martiális capitáli senténtia puníti sunt.

Item Romæ sanctárum Vírginum et Mártyrum Rufínæ et Secúndæ sorórum, quæ in persecutióne Valeriáni et Galliéni torméntis subáctæ, ad últimum áltera gládio cápite illíso, áltera cæsa cervíce, migrárunt in cœlum : quarum córpora in Basílica Lateranénsi prope Baptistérium débito honóre servántur.
In Africa sanctórum Mártyrum Januárii, Maríni, Náboris, et Felícis decollatórum.
Nicópoli in Arménia sanctórum Mártyrum Leóntii, Maurítii, Daniélis, et sociórum, qui sub Licínio Imperatóre et Lysia Præside várie excruciáti, tandem in ignem conjécti, martyrii cursum confecérunt.
In Pisídia sanctórum Mártyrum Biánoris et Silváni, qui sævíssima pro Christi nómine passi, demum cervícibus abscíssis coronántur.
Icónii sancti Apollónii Mártyris, qui per crucem insígne martyrium consummávit.
Apud Gandávum sanctæ Amelbérgæ Vírginis.

xvj. C Quinto Idus Julii. Luna. 11

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

Romæ beáti Pii Papæ et Mártyris, qui in persecutióne Marci Aurélii Antoníni martyrio coronátus est.
Nicópoli in Arménia natális sanctórum Mártyrum Januárii et Pelágiæ, qui equúleo, úngulis et testárum fragméntis diébus quátuor cruciáti, martyrium implevérunt.
In território Senonénsi sancti Sidrónii Mártyris.
Icónii sancti Marciáni Mártyris, qui sub Perénnio Præside per multa torménta pervénit ad palmam.
Sidæ in Pamphylia sancti Cindéi Presbyteri, qui sub Diocletiáno Imperatóre et Stratoníco Præside post multa torménta in ignem injéctus, et nil læsus, demum in oratióne réddidit spíritum.
Brixiæ sanctórum Mártyrum Savíni et Cypriáni.
Bérgomi sancti Joánnis Epíscopi, qui ob tuéndam cathólicam fidem ab Ariánis occísus est.
Córdubæ sancti Abúndii Presbyteri, qui cum in Mahumétis sectam inveherétur, martyrio coronátus est.
In território Pictaviénsi sancti Sabíni Confessóris.

12 Quarto Idus Julii. Luna. D xv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

In monastério Passiniáno prope Floréntiam sancti Joánnis Gualbérti Abbátis, institutóris Ordinis Vallisumbrósæ.

Medioláni sanctórum Mártyrum Náboris et Felícis, qui in persecutióne Maximiáni passi sunt.

In Cypro beáti Jásonis antíqui Christi discípuli.

Aquiléjæ natális sancti Hermágoræ, discípuli beáti Marci Evangelístæ, et primi ejúsdem civitátis Epíscopi : qui inter mirácula sanitátum, et prædicatiónis instántiam, ac populórum conversiónem, plúrima pœnárum génera expértus, tandem una cum Fortunáto Diácono suo, capitáli supplício perpétuum méruit triúmphum.

Lucæ in Túscia beáti Paulíni, qui a sancto Petro primus ejúsdem civitátis Episcopus ordinátus, sub Neróne ad radíces montis Pisáni post multos agónes martyrium suum cum áliis Sóciis consummávit.

Eódem die pássio sanctórum Procli et Hilariónis, qui sub Trajáno Imperatóre et Máximo Præside per acerbíssima torménta ad palmam martyrii pervenérunt.

Apud Leontínos sanctæ Epipbánæ, quæ sub Diocletiáno Imperatóre et Tertyllo Præside, ubéribus præcísis, réddidit spíritum.

Toléti sanctæ Marciánæ Vírginis et Mártyris, quæ pro fide Christi béstiis objécta, atque a tauro discérpta, martyrio coronátur.

Lugdúni sancti Viventíoli Epíscopi.

Bonóniæ sancti Paterniáni Epíscopi.

13 Tertio Idus Julii. Luna. E xiv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

Romæ sancti Anacléti Papæ et Mártyris, qui post sanctum Cleméntem Ecclésiam Dei regens, eam glorióso martyrio decorávit.

Eódem die sanctórum Joélis et Esdræ Prophetárum.

In Macedónia beáti Silæ, qui cum esset unus de primis frátribus, et ab Apóstolis ad Ecclésias Géntium una cum Paulo et Bárnaba destinátus,

prædicatiónis officium grátia Dei plenus instánter consummávit, atque in passiónibus suis Christum clarificans, póstmodum requiévit.
Item sancti Serapiónis Mártyris, qui sub Sevéro Imperatóre et Aquila Præside per ignem pervénit ad corónam martyrii.
In ínsula Chio sanctæ Myropis Mártyris, quæ sub Décio Imperatóre et Numeriáno Præside véctibus contúsa, migrávit ad Dóminum.
In Africa sanctórum Confessórum Eugénii Carthaginénsis Epíscopi, fide ac virtútibus gloriósi, et univérsi cleri ejúsdem Ecclésiæ, qui fere quingénti, vel eo ámplius in persecutióne Wandálica sub Hunnerico Rege Ariáno cæde inediáque maceráti (inter quos plúrimi erant Lectóres infántuli) gaudéntes in Dómino procul exílio crudéli extrúsi sunt. Erant étiam in eis nobilíssimi Archidiáconus nómine Salutáris, et Murítta secúndus in offício ministrórum, qui tértio Confessóres effécti, gloriósæ in Christo perseverántiæ título illustráti sunt.
In Británnia minóri sancti Turiáni Epíscopi et Confessóris, miræ simplicitátis et innocéntiæ viri.

xiij. F Pridie Idus Julii. Luna. 14

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

LUGDUNI depositio sancti Bonaventúræ Cardinális et Epíscopi Albanénsis, Confessóris, et Doctóris, Ordinis Minórum, doctrína et vitæ sanctitáte celebérrimi.
Romæ sancti Justi mílitis sub Claúdio Tribúno, qui, apparénte sibi divínitus Cruce, crédidit in Christum, et mox baptizátus ómnia sua paupéribus erogávit; tentus deinde a Magnétio Præfécto, verberári nervis, gálea ignita cóntegi, et in rogum immítti jussus, nec in capíllo quidem læsus, in confessióne Dómini réddidit spíritum.
Synópe in Ponto sancti Phocæ Mártyris, ejúsdem civitátis Epíscopi, qui sub Trajáno Imperatóre cárcerem, víncula, ferrum, ignémque pro Christo súperans, evolávit in cœlum : cujus relíquiæ Viénnam in Gállia delátæ, in Basílica sanctórum Apostolórum cónditæ sunt.
Alexandríæ sancti Héraclæ Antístitis, ob cujus celebérrimam opiniónem Africánus historiógraphus mémorat se Alexandríam ad eum viséndum properásse.
Carthágine sancti Cyri Epíscopi, in cujus festivitáte sanctus Augustínus de eo sermónem ad pópulum hábuit.
Novocómi sancti Felícis primi ejúsdem civitátis Epíscopi.

Brixiæ sancti Optatiáni Epíscopi.
Davéntriæ in Belgis sancti Marcellíni Presbyteri et Confessóris.
Romæ sancti Camílli de Lellis Confessóris, Clericórum Regulárium infírmis ministrántium Institutóris, quem virtútibus et miráculis clarum Benedíctus Decimusquártus Póntifex Máximus Sanctórum número recénsuit.

15 Idibus Julii. Luna. G xij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

BAMBERGÆ sancti Henríci primi Imperatóris, qui cum uxóre sua Chunegúnde perpétuam virginitátem servávit, et sanctum Stéphanum Hungarórum Regem cum univérso fere ejus regno ad fidem Christi suscipiéndam perdúxit.
In Portu Románo natális sanctórum Mártyrum Eutrópii, Zósimæ et Bonósæ sorórum.
Carthágine beáti Catulíni Diáconi, de cujus laúdibus sanctus Augustínus sermónem ad pópulum hábuit; et sanctórum Januárii, Floréntii, Júliæ et Justæ Mártyrum, qui pósiti sunt in Basílica Fausti.
Alexandriæ sanctórum Mártyrum Philíppi, Zenónis, Narséi, et decem infántum.
In ínsula Ténedo sancti Abudémii Mártyris, qui sub Diocletiáno passus est.
Sebáste sancti Antíochi Médici, qui sub Hadriáno Præside cápite obtruncátus est : cumque ex eo lac pro sánguine manáret, Cyríacus cárnifex convérsus ad Christum, et ipse martyrium súbiit.
Papíæ sancti Felícis Epíscopi et Mártyris.
Nísibi natális sancti Jacóbi, ejúsdem urbis Epíscopi, magnæ sanctitátis viri. Hic miráculis et eruditióne clarus, unus fuit ex número Confessórum sub persecutióne Galérii Maximiáni, qui in Nicæna Synodo perversitátem Arii, Homoúsii oppositióne, damnárunt : cujus et Alexándri Epíscopi oratióne ipse Arius condígnam suæ iniquitátis mercédem, effúsis viscéribus, Constantinópoli recépit.
Neápoli in Campánia sancti Athanásii, ejúsdem civitátis Epíscopi, qui ab ímpio nepóte Sérgio multa passus, ac sede pulsus, Vérulis conféctus ærúmnis migrávit in cœlum témpore Cároli Calvi.
Panórmi invéntio córporis sanctæ Rosáliæ Vírginis Panormitánæ, quod Urbáno Octávo Pontífice Máximo repértum divínitus, anno jubilæi Sicíliam a peste liberávit.

xj. A Decimoseptimo Kalendas Augusti. Luna. 16

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

Festum beátæ Vírginis Maríæ de Monte Carmélo.

Eódem die natális sancti Fausti Mártyris, qui sub Décio cruci affíxus quinque diébus in ea vixit, ac demum sagíttis confóssus, migrávit in cœlum.

Sebáste in Arménia sanctórum Mártyrum Athenógenis Epíscopi, et decem discipulórum ejus sub Diocletiáno Imperatóre.

Antiochíæ in Syria natális beáti Eustáchii Epíscopi et Confessóris, doctrína et sanctitáte célebris, qui sub Constántio Imperatóre Ariáno ob cathólicæ fídei defensiónem Trajanópolim Thráciæ pulsus exílio, ibídem in Dómino requiévit.

Eódem die sancti Hilaríni Mónachi, qui una cum sancto Donáto in persecutióne Juliáni comprehénsus, cum nollet sacrificáre, fústibus cæsus, Arétii in Túscia martyrium sumpsit : cujus corpus ad óstia Tiberína translátum est.

Tréviris sancti Valentíni Epíscopi et Mártyris.

Córdubæ in Hispánia sancti Sisenándi Levítæ et Mártyris, qui pro fide Christi a Sarracénis jugulátus est.

Santis in Gállia sanctórum Mártyrum Rainéldis Vírginis et Sociórum ejus, qui a bárbaris pro fide Christi cæsi sunt.

Bérgomi sancti Domniónis Mártyris.

Cápuæ sancti Vitaliáni Epíscopi et Confessóris.

x. B Sextodecimo Kalendas Augusti. Luna. 17

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

Romæ sancti Aléxii Confessóris, filii Euphemiáni Senatóris qui, prima nocte nuptiárum, sponsa intácta, e domo sua abscédens, ac post longam peregrinatiónem ad Urbem rédiens, decem et septem annos, tamquam egénus in domo patérna recéptus hospítio, nova mundum arte delúdens, incógnitus mansit : sed post óbitum, et voce per Urbis Ecclésias audíta, et scripto suo ágnitus, Innocéntio primo Pontífice Máximo, ad Ecclésiam sancti Bonifácii summo honóre delátus est, ubi multis miráculis cláruit.

Carthágine natális sanctórum Mártyrum Scillitanórum, Speráti, Narzális, Cythíni, Vetúrii, Felícis, Acyllini, Lætántii, Januáriæ, Generósæ, Vestínæ, Donátæ, et Secúndæ : qui jussu Saturníni Præfécti post primam Christi confessiónem in cárcerem missi, et in ligno confixi, deinde gládio decolláti sunt. Speráti autem relíquiæ cum óssibus beáti Cypriáni, et cápite sancti Pantaleónis Mártyris ex Africa in Gállias translátæ, Lugdúni in Basílica sancti Joánnis Baptístæ religióse cónditæ fuérunt.

Amastríde in Paphlagónia sancti Hyacínthi Mártyris, qui sub Castrítio Præside multa passus quiévit in cárcere.

Tíbure sancti Generósi Mártyris.

Constantinópoli sanctæ Theódotæ Mártyris, sub Leóne iconoclásta.

Romæ depositio sancti Leónis Papæ Quarti.

Papíæ sancti Ennódii Epíscopi et Confessóris.

Antisiodóri sancti Theodósii Epíscopi.

Medioláni sanctæ Marcellínæ Vírginis, soróris beáti Ambrósii Epíscopi, quæ Romæ in Basílica sancti Petri a Libério Papa velum consecratiónis accépit : cujus étiam sanctitátem idem beátus Ambrósius scriptis suis testátam facit.

Venétiis Translátio sanctæ Marínæ Vírginis.

18 Quintodecimo Kalendas Augusti. Luna. C ix.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

Sancti Camilli de Lellis Confessóris Clericórum Regulárium infírmis ministrántium institutóris, cujus natális dies prídie Idus Júlii recensétur.

Tíbure sanctæ Symphorósæ uxóris sancti Getúlii Mártyris cum septem fíliis suis, Crescénte, Juliáno, Nemésio, Primitívo, Justíno, Stácteo, et Eugénio : quorum mater sub Hadriáno Príncipe ob insuperábilem constántiam primo palmis diu cæsa, deínde crínibus suspénsa, novíssime saxo alligáta, in flumen præcipitáta est : filii autem stipítibus ad tróchleas exténsi, divérso mortis éxitu martyrium complevérunt. Eórum córpora póstea Romam transláta, Pio Quarto Summo Pontífice in Diacónia sancti Angeli in Piscína invénta fuérunt.

Carthágine sanctæ Gundénis Vírginis, quæ jussu Rufíni Procónsulis ob Christi confessiónem quater divérsis tempóribus equúlei extensióne vexáta, et ungulárum horrénda laceratióne cruciáta, cárceris squalóre diu afflicta, novíssime gládio cæsa est.

Dorostori in Mysia sancti Æmiliáni Mártyris, qui témpore Juliáni apóstatæ sub Capitolino Præside in fornácem injéctus, martyrii palmam accépit.

Trajécti sancti Friderici Epíscopi et Mártyris.

Gallæciæ in Hispánia sanctæ Marínæ Vírginis et Mártyris.

Medioláni sancti Matérni Epíscopi, qui sub Maximiáno Imperatóre pro fide Christi, et pro Ecclésia sibi commíssa, in cárcerem detrúsus, et sæpe verbéribus cæsus, tandem multis confessiónibus clarus obdormívit in Dómino.

Bríxiæ natális sancti Philástrii ejúsdem civitátis Epíscopi qui advérsus hæréticos, præsértim Ariános, a quibus multa passus est, plúrimum verbis scriptísque pugnávit, demum clarus miráculis conféssor in pace quiévit.

Metis in Gállia sancti Arnúlphi Epíscopi, qui sanctitáte et miraculórum grátia illústris eremíticam vitam déligens, beáto fine quiévit.

Sígniæ sancti Brunónis Epíscopi et Confessóris.

Foropompílii in Æmília sancti Ruffilli ejúsdem civitátis Epíscopi.

viij. D Quartodécimo Kaléndas Augústi. Luna. 19

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

Sancti Vincéntii a Paulo Confessóris, qui obdormívit in Dómino quinto Kaléndas Octóbris.

Eódem die natális sancti Epaphræ, quem sanctus Paulus Apóstolus concaptívum appéllat. Hic ab eódem Apóstolo Colóssis Epíscopus ordinátus, clarus virtútibus ibidem martyrii palmam pro óvibus sibi commendátis viríli agóne percépit : cujus corpus Romæ in Basílica sanctæ Maríæ Majóris cónditum est.

Híspali in Hispánia pássio sanctárum Vírginum Justæ et Rufínæ, quæ a Præside Diogeniáno comprehénsæ, primo equúlei extensióne, et ungulárum laniatióne vexátæ, post cárcere, inédia, et váriis torsiónibus afflíctæ; tandem Justa in cárcere spíritum exhalávit, Rufínæ vero cervix in confessióne Dómini confrácta est.

Córdubæ sanctæ Aúreæ Vírginis, quæ aliquándo lapsa, sed facta pœnitens, iteráto certámine hostem effúso sánguine superávit.

Tréviris sancti Martíni Epíscopi et Mártyris.

Romæ sancti Symmachi Papæ, qui schismaticórum factióne diútius fatigátus, demum sanctitáte conspícuus migrávit ad Dóminum.

Verónæ sancti Felícis Epíscopi.

Apud Scetim Ægypti montem sancti Arsénii Románæ Ecclésiæ Diáconi, qui Theodósii témpore in solitúdinem secédens, virtútibus ómnibus consummátus, et jugi lacrymárum imbre perfúsus, spíritum Deo réddidit.

In Cappadócia sanctæ Macrínæ Vírginis, sorôris sanctórum Basílii Magni et Gregórii Nysséni.

20 Tertiodecimo Kalendas Augusti. Luna. E vij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

Sancti Hierónymi Æmiliáni Confessóris Congregatiónis Somáschæ Institutóris, quem plúribus in vita et post mortem miráculis illústrem, Benedictus Decimusquártus Beatórum, Clemens vero Decimustértius Sanctórum fastis solémniter adscrípsit.

Antiochíæ pássio sanctæ Margarítæ Vírginis et Mártyris.

In Monte Carmélo sancti Elíæ Prophétæ.

Eódem die natális beáti Joseph, qui cognominátus est Justus, quem Apóstoli cum beáto Matthía statuérunt, ut locum apostolátus Judæ proditóris impléret : sed cum sors cecidísset super Matthíam, ipse nihilóminus prædicatiónis et sanctitátis offício insérviens, multámque pro fide Christi a Judæis persecutiónem sústinens, in Judæa victorióso fine quiévit : de quo étiam refértur, quod venénum bíberit, et nihil ex hoc triste propter Dómini fidem pertúlerit.

Damásci sanctórum Mártyrum Sabíni, Juliáni, Máximi, Macróbii, Cássiæ, et Paulæ, cum áliis decem.

Córdubæ sancti Pauli Diáconi et Mártyris, qui cum infidéles príncipes Mahumetícæ impietátis ac sævítiæ argúeret, et Christum constantíssime prædicáret, eórum jussu necátus ad præmia evolávit in cœlum.

In Lusitánia sanctæ Wilgefórtis Vírginis et Mártyris, quæ pro Christiána fide ac pudicítia decértans, in cruce méruit gloriósum obtinére triúmphum.

In pago Bononiénsi in Gállia sancti Vulmári Abbátis, admirándæ sanctitátis viri.

Tréviris sanctæ Sevéræ Vírginis.

vj. F Duodecimo Kalendas Augusti. Luna. 21

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

| | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

Romæ sanctæ Praxédis Vírginis, quæ in omni castitáte et lege divína erudíta, vigíliis et oratiónibus atque jejúniis assídue vacans, quiévit in Christo : sepúltaque est juxta sorórem suam Pudentiánam via Salária.

Babylóne sancti Daniélis Prophétæ.

Massíliæ natális sancti Victóris, qui cum esset miles, et nec militáre, nec idólis sacrificáre vellet, primo in cárcerem trusus, ibíque ab Angelo visitátus, deínde váriis cruciátibus punítus, novíssime contrítus in mola pistória martyrium consummávit. Passi sunt cum eo et tres mílites, Alexánder, Feliciánus, et Longínus.

Trecis sanctæ Júliæ Vírginis et Mártyris.

Ibídem pássio sanctórum Claúdii, Justi, Jucundíni, et sociórum quinque sub Aureliáno Imperatóre.

Cománæ in Arménia sancti Zótici Epíscopi et Mártyris, qui sub Sevéro coronátus est.

Argentoráti sancti Arbogásti Epíscopi, miráculis clari.

In Syria sancti Joánnis Mónachi collégæ sancti Simeónis.

v. G Undecimo Kalendas Augusti. Luna. 22

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

Apud Massíliam natális sanctæ Maríæ Magdalénæ, de qua Dóminus ejécit septem dæmónia, et quæ ipsum Salvatórem a mórtuis resurgéntem prima vidére méruit.

Philíppis sanctæ Syntyches, cujus beátus Paulus Apóstolus méminit.

Ancyræ in Galátia natális sancti Platónis Mártyris, qui sub Agrippíno Vicário verbéribus cæsus, uncis férreis laniátus, alilsque immaníssimis tormentórum genéribus cruciátus, demum abscísso cápite, invíctam ánimam Deo réddidit : cujus mirácula in subveniéndis captívis Acta secúndæ Synodi Nicænæ téstántur.

In Cypro sancti Theóphili Prætóris, qui ab Arábibus tentus, cum nec donis, nec minis flecti posset ut Christum negáret, gládio cæsus est.

Antiochíæ sancti Cyrílli Epíscopi, doctrína et sanctitáte conspícui.

In território Arvernénsi sancti Meneléi Abbátis.
In Blandíno monastério sancti Wandregísili Abbátis miráculis clari.
Scythópoli in Palæstína sancti Joseph Cómitis.

23 Decimo Kalendas Augusti. Luna. A iv.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

Natalis sancti Apollináris Epíscopi, qui ab Apóstolo Petro Romæ ordinátus, et Ravénnam missus, pro fide Christi divérsas et multíplices pœnas perpéssus est : póstea in Æmília Evangélium prædicans, plúrimos ab idolórum cultu revocávit : tandem Ravénnam revérsus, sub Vespasiáno Cæsare gloriósum martyrium consummávit.
Cenománis in Gállia sancti Libórii Epíscopi et Confessóris.
Romæ sancti Rásyphi Mártyris.
Ibidem pássio sanctæ Primitívæ Vírginis et Mártyris.
Item sanctórum Mártyrum Apollónii et Eugénii.
Eódem die natális sanctórum Mártyrum Tróphimi, et Theóphili, qui sub Diocletiáno Imperatóre lapídibus cæsi, et igne incénsi, demum gládio percússi, martyrio coronántur.
In Bulgária sanctórum plurimórum Mártyrum, quos Nicéphorus ímpius Imperátor Ecclésias Dei devástans, divérso mortis génere, ense, láqueo, sagíttis, diútino cárcere, et fame necári fecit.
Romæ sanctárum Vírginum Rómulæ, Redémptæ, et Herúndinis, de quibus scribit sanctus Gregórius Papa.
Ibídem tránsitus sanctæ Birgíttæ Víduæ, cujus sacrum corpus Nonis Octóbris in Suéciam translátum fuit, et festívitas octávo Idus ejúsdem mensis celebrátur.

24 Nono Kalendas Augusti. Luna. B iij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

Vigilia sancti Jacóbi Apóstoli.
Tyri in Túscia apud lacum Vulsínium sanctæ Christínæ Vírginis et Mártyris, quæ in Christum credens, cum patris idóla aúrea et argéntea comminuísset, ac paupéribus erogásset, ejus jussu verbéribus dilaniáta, aliísque supplíciis diríssime cruciáta, et cum magno saxi póndere

in lacum projécta, sed ab Angelo liberáta: deínde sub álio Júdice patris sui successóre acerbióra torménta constánter pérferens, novíssime a Juliáno Præside post fornácem ardéntem, ubi quinque diébus illæsa permánsit; post serpéntes Christi virtúte superátos, abscissióne linguæ, et sagittárum infixióne martyrii sui cursum complévit.

Romæ via Tiburtína sancti Vincéntii Mártyris.

Amitérni in Vestínis pássio sanctórum Mílitum octogintatrium.

Eméritæ in Hispánia sancti Victóris, viri militáris, qui cum duóbus frátribus Stercátio et Antinógene in persecutióne Diocletiáni per divérsa supplícia martyrium consummávit.

In Lycia sanctárum Mártyrum Nicétæ et Aquilínæ, quæ beáti Christóphori Mártyris prædicatióne ad Christum convérsæ, martyrii palmam cápitis obtruncatióne sumpsérunt.

Item sanctórum Mártyrum Menéi et Capitónis.

Apud Sénonas sancti Ursicíni Epíscopi et Confessóris.

Limæ in regno Peruáno sancti Francísci Soláni Confessóris, Ordinis Minórum, apud Indos occidentáles prædicatióne, signis, et virtútibus illústris, qui prídie Idus Július migrávit ad Dóminum atque a Benedícto Decimotértio Pontífice Máximo Sanctórum fastis adscríptus est.

ij. C Octavo Kalendas Augusti. Luna. 25

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

Sancti Jacóbi Apóstoli, fratris beáti Joánnis Evangelístæ, qui prope festum Paschæ ab Heróde Agríppa decollátus est. Ejus sacra ossa ab Jerosólymis ad Hispánias hoc die transláta, et in últimis eárum fínibus apud Gallæciam recóndita, celebérrima illárum géntium veneratióne, et frequénti Christianórum concúrsu, religiónis et voti causa illuc adeúntium, pie colúntur.

In Lycia sancti Christóphori Mártyris, qui sub Décio virgis férreis attritus, et a flammæ æstuántis incéndio Christi virtúte servátus, ad últimum sagittárum íctibus confóssus, martyrium cápitis obtruncatióne complévit.

Barcinóne in Hispánia natális beáti Cucuphátis Mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni sub Daciáno Præside plúrimis torméntis superátis, percússus gládio, victor migrávit in cœlum.

In Palæstína sancti Pauli Mártyris, qui in persecutióne Maximiáni Galérii sub Firmiliáno Præside cápitis damnátus, exíguo orándi spátio impetráto, primum pro contribúlibus suis, deínde pro Judæis et

Gentílibus, ut fídei veritátem agnóscerent, póstea pro circumstántium multitúdine, demum pro júdice, qui ipsum damnáverat, et pro carnífice, a quo feriéndus erat, Deum toto corde precátus, abscíssis cervícibus, martyrii corónam accépit.
Ibídem sanctæ Valentínæ Vírginis, quæ ad aram ut immoláret addúcta, cum eam cálcibus evertísset, diríssime cruciáta, una cum sócia Vírgine in ignem conjécta, cucúrrit ad Sponsum.
Furcónii in Vestínis sanctórum Mártyrum Floréntii et Felícis Sipontinórum.
Córdubæ sancti Theodemíri Mónachi et Mártyris.
Tréviris sancti Magneríci Epíscopi et Confessóris.

26 Septimo Kalendas Augusti. Luna. D j.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

Dormitio sanctæ Annæ Matris Genitrícis Dei Maríæ.
Philíppis in Macedónia natális sancti Erásti, qui illic a beáto Paulo Apóstolo relíctus Epíscopus, ibídem martyrio coronátus est.
Romæ via Latína sanctórum Mártyrum Symphrónii, Olympii, Theodúli, et Exupériæ, qui (ut in gestis sancti Stéphani Papæ légitur) ígnibus combústi, martyrii palmam adépti sunt.
In Portu Románo sancti Hyacínthi Mártyris, qui primo in ignem injéctus, deínde in profluéntem præcipitátus, illæsus evásit: post hæc a Leóntio Consulári sub Trajáno Imperatóre gládio percússus vitam finívit: cujus corpus Júlia Matróna in prædio suo juxta Urbem sepelívit.
Item Romæ sancti Pastóris Presbyteri, cujus nómine Títulus extat in Viminális apud sanctam Pudentiánam.
Verónæ sancti Valéntis Epíscopi et Confessóris.
In monastério sancti Benedícti in agro Mantuáno sancti Simeónis Mónachi et Eremítæ, qui multis miráculis clarus, in senectúte bona quiévit.

27 Sexto Kalendas Augusti. Luna. E *

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

Nicomediæ pássio sancti Pantaleónis médici, qui a Maximiáno Imperatóre pro fide Christi tentus, et equúlei pœna ac lampadárum

exustióne cruciátus, sed inter hæc Dómino sibi apparénte refrigerátus, tandem ictu gládii martyrium consummávit.

Ibidem sancti Hermolái Presbyteri, cujus doctrína beátus Pantáleon ad fidem convérsus est : sanctórum quoque Hermíppi et Hermócratis fratrum, qui post multas pœnas sibi illátas, ab eódem Maximiáno capitáli senténtia ob confessiónem Christi puníti sunt.

Nolæ sanctórum Mártyrum Felícis, Júliæ et Jucúndæ.

Vigíliis in Apúlia sanctórum Mártyrum Mauri Epíscopi, Pantaleemónis et Sérgii, qui passi sunt sub Trajáno.

Apud Homerítas commemorátio sanctórum Mártyrum, qui sub Dúnaan tyránno ob Christi fidem incéndio tráditi sunt.

Córdubæ in Hispánia sanctórum Mártyrum Geórgii Diáconi, Felícis, Aurélii, Natáliæ, et Liliósæ in persecutióne Arábica.

Ephesi natális sanctórum septem Dormiéntium, Maximiáni, Malchi, Martiniáni, Dionysii, Joánnis, Serapiónis, et Constantíni.

Antisiodóri deposítio beáti Æthérii Epíscopi et Confessóris.

Constantinópoli beátæ Anthúsæ Vírginis, quæ sub Constantíno Coprónymo ob cultum sanctárum Imáginum verbéribus cæsa, et exílio relegáta, quiévit in Dómino.

xxix. **F** Quinto Kalendas Augusti. Luna. · 28

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |

ROMÆ pássio sancti Victóris Papæ et Mártyris.

Item Romæ sancti Innocéntii Papæ et Confessóris.

Medioláni natális sanctórum Mártyrum Nazárii et Celsi púeri, quos Anolínus sub rábie persecutiónis, quæ per Nerónem excitáta est, diu macerátos et afflíctos in cárcere, gládio feríri jussit.

Thebáide in Ægypto commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum, qui in persecutióne Décii et Valeriáni passi sunt, quando Christiánis optántibus pro Christi nómine gládio pércuti, cállidus hostis tarda ad mortem supplícia conquírens, ánimas cupiébat juguláre, non córpora : ex quorum número unus post equúleos, láminas, ac sartágines superátas, melle perúnctus ligátis mánibus post tergum sub ardentíssimo sole fucórum ac muscárum acúleis expósitus fuit : álius inter flores mólliter vinctus, cum ad eum impudicíssimum scortum venísset, ut in libídinem concitáret, præcísam morsu linguam in blandiéntis fáciem éxpuit.

Ancyræ in Galátia sancti Eustáthii Mártyris, qui váriis tormentórum

genéribus excruciátus, atque in flumen demérsus, sed inde ab Angelo eréptus, demum colúmba e cœlo adveniénte, ad præmia ætérna vocátus est.
Miléti sancti Acátii Mártyris, qui sub Licínio Imperatóre post div́ersas pœnas in fornácem injéctus, ac Dei ope servátus illæsus, martyrium cápitis abscissióne complévit.
In Británnia minóri sancti Sampsónis Epíscopi et Confessóris.
Lugdúni sancti Peregríni Presbyteri, cujus beatitúdinem miraculórum glória testátur.

29 Quarto Kalendas Augusti. Luna. G xxviij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |

Tarasci in Gállia Narbonénsi sanctæ Marthæ Vírginis, hóspitæ Salvatóris nostri, et soróris beátæ Maríæ Magdalénæ et sancti Lázari.
Romæ via Aurélia sancti Felícis Secúndi Papæ et Mártyris, qui a Constántio Imperatóre Ariáno ob cathólicæ fídei defensiónem e sede sua dejéctus, et Ceræ in Túscia occúlte gládio necátus, glorióse occúbuit. Ejus corpus inde a cléricis raptum, eádem via sepúltum fuit : póstea vero ad Ecclésiam sanctórum Cosmæ et Damiáni delátum, ibídem Gregório Decimotértio Summo Pontífice repértum est sub altáre, una cum relíquiis sanctórum Mártyrum Marci, Marcelliáni et Tranquillíni, atque in eódem loco prídie Kaléndas Augústi simul cum eis recónditum. In quo étiam altári invénta fuérunt córpora sanctórum Mártyrum Abúndii Presbyteri, et Abundántii Diáconi, quæ non multo post ad Ecclésiam Societátis Jesu solémniter transláta sunt prídie natális eórum.
Item Romæ via Portuénsi sanctórum Mártyrum Simplícii, Faustíni, et Beatrícis, tempóribus Diocletiáni Imperatóris : quorum duo primi post multa et divérsa supplícia, jussi sunt capitálem subíre senténtiam : Beátrix vero eórum soror in confessióne Christi præfocáta est in cárcere.
Romæ prætérea sanctórum Mártyrum Lucillæ et Floræ Vírginum, Eugénii, Antoníni, Theodóri, et sociórum decem et octo, qui sub Galliéno Imperatóre martyrium obiérunt.
Gangræ in Paphlagónia sancti Callinici Mártyris, qui virgis férreis verberátus, aliísque supplíciis cruciátus, tandem in fornácem injéctus, spíritum Deo réddidit.
In Norvégia sancti Olávi Regis et Mártyris.
Trecis in Gállia sancti Lupi Epíscopi et Confessóris, qui cum beáto

Germáno ad expugnándam Pelagianórum hæresim in Británniam perréxit, urbémque Trecas a furóre Attilæ, Gálliam omnem devastántis, assídua oratióne defféndit : demum quinquagínta duóbus annis sacerdótio venerabíliter functus, in pace quiévit.

In civitáte Brioeiénsi sancti Guliélmi Epíscopi et Confessóris.

Item depositio beáti Prósperi Epíscopi Aurelianénsis.

Apud Tudértum sancti Faustíni Confessóris.

In civitáte Mamiénsi sanctæ Seraphínæ.

xxvij. A Tertio Kalendas Augusti. Luna. 30

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |

Romæ sanctórum Mártyrum Abdon et Sennen Persárum, qui sub Décio caténis alligáti, Romam addúcti, pro Christi fide primum plumbátis cæsi, deinde gládio interfécti sunt.

Tubúrbi Lucernáriæ in Africa sanctárum Vírginum et Mártyrum Máximæ, Donatillæ, et Secúndæ; quarum duæ primæ in persecutióne Valeriáni et Galliéni acéto et felle potátæ, deinde plagis acérrimis cæsæ, et equúlei extensióne cruciátæ, cratículis étiam exústæ, et calce perfricátæ, póstmodum cum Secúnda Vírgine duódecim annórum ad béstias simul projéctæ, sed ab his intáctæ, novíssime gládio jugulátæ sunt.

Assísii in Umbria sancti Rufíni Mártyris.

Cæsaréæ in Cappadócia sanctæ Julíttæ Mártyris, quæ bona sua a quodam poténte sibi usurpáta in judício répetens, cum ille exceptiónem daret, quod ut Christiána non debéret audíri, mox a Júdice jussa est thus idólis offérre, ut posset audíri : quod illa constánter recúsans, in ignem conjécta, spíritum Deo réddidit : corpus autem a flamma remánsit illæsum. Ejus præcláras laudes sanctus Basílius Magnus egrégio encómio celebrávit.

Antisiodóri sancti Ursi Epíscopi et Confessóris.

xxvj. 25. B Pridie Kalendas Augusti. Luna. 31

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

Romæ natális sancti Ignátii Confessóris, fundatóris Societátis Jesu, sanctitáte et miráculis clari, et cathólicæ religiónis ubique dilatándæ studiosíssimi.

Cæsaréæ pássio beáti Fábii Mártyris, qui cum ferre vexílla præsidália recusáret, primum diébus áliquot in cárcerem trusus, deínde interrogátus semel et íterum, cum in confessióne Christi perduráret, mox a Júdice capitáli senténtia condemnátur.

Medioláni sancti Calimérii Epíscopi et Mártyris, qui in Antoníni persecutióne comprehénsus, vulnéribus confóssus, cervicibúsque gládio transverberátis, præceps in púteum dejéctus, martyrii cursum confécit.

Synnadæ in Phrygia Pacatiána sanctórum Mártyrum Demócriti, Secúndi, et Dionysii.

In Syria sanctórum trecentórum quinquagínta Monachórum Mártyrum, qui ob defensiónem Synodi Chalcedonénsis ab hæréticis occísi sunt.

Ravénnæ tránsitus sancti Germáni Antisiodorénsis Epíscopi, génere, fide, doctrína et miraculórum glória claríssimi, qui Británniam a Pelagianórum hærésibus pénitus liberávit.

Tagáste in Africa sancti Firmi Epíscopi, glória confessiónis illústris.

Senis in Túscia natális beáti Joánnis Columbíni, institutóris Ordinis Jesuatórum, sanctitáte ac miráculis clari.

# AUGUSTUS.

xxv. xxiv. C Kalendis Augusti. Luna. 1

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

ROMÆ in Exquíliis dedicátio sancti Petri ad Víncula.
Antiochíæ pássio sanctórum septem fratrum Machabæórum cum matre sua, qui passi sunt sub Antíocho Epíphane Rege. Eórum relíquiæ Romam translátæ in cádem Ecclésia sancti Petri ad Víncula cónditæ fuérunt.
Romæ pássio sanctárum Vírginum Fídei, Spei et Charitátis, quæ sub Hadriáno Príncipe martyrii corónam adéptæ sunt.
Item Romæ via Latína sanctórum Mártyrum Boni Presbyteri, Fausti, et Mauri, cum áliis novem, qui in Actis sancti Stéphani Papæ describúntur.
Philadélphiæ in Arábia sanctórum Mártyrum Cyrílli, Aquilæ, Petri, Domitiáni, Rufi, et Menándri, una die coronatórum.
Perge in Pamphylia sanctórum Mártyrum Leóntii, Attii, Alexándri, et aliórum sex agricolárum, qui in persecutióne Diocletiáni sub Flaviáno Præside decolláti sunt.
Gerúndæ in Hispánia natális sancti Felícis Mártyris, qui post divérsa tormentórum génera a Daciáno támdiu jussus est laniári, donec invíctum Christo spíritum rédderet.
Vercéllis sancti Eusébii Epíscopi et Mártyris, qui ob confessiónem fídei cathólicæ a Constántio Príncipe Scythópolim, et inde in Cappadóciam relegátus, póstmodum ad Ecclésiam suam revérsus, persequéntibus Ariánis, martyrium passus est : ejus autem memória decimooctávo Kaléndas Januárii celébrior habétur, quando Epíscopus fuit ordinátus.
In território Parisiénsi sancti Justíni Mártyris.
Viénnæ sancti Veri Epíscopi.
Wintóniæ in Anglia sancti Ethelwóldi Epíscopi.
In Pago Lisníno sancti Nemésii Confessóris.

2 Quarto Nonas Augusti. Luna. D xxiij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

Nuceriæ Paganórum sancti Alphónsi Maríæ de Ligório Epíscopi sanctæ Agathæ Gothórum, et Congregatiónis Sanctíssimi Redemptóris Fundatóris, animárum zelo, scriptis, verbo, et exémplo insígnis, quem anno a felíci decéssu quinquagésimo secúndo Gregórius Papa Decimusséxtus anno millésimo octingentésimo trigesimonóno Sanctórum fastis adscripsit.

Romæ in cœmetério Callísti natális sancti Stéphani Papæ et Mártyris, qui in persecutióne Valeriáni, dum Missæ sacrum perágeret, superveniéntibus milítibus, ante altáre intrépidus et immóbilis cœpta mystéria perfíciens, in sede sua decollátus est.

Nicææ in Bithynia pássio sanctæ Theódotæ cum tribus fíliis suis: ex quibus primogénitum nómine Evódium, Christum fiduciáliter confiténtem, fecit primo Nicétius Consuláris Bithyniæ fústibus cædi, deinde matrem cum ómnibus fíliis igne consúmi.

In Africa sancti Rutílii Mártyris, qui cum sæpius de loco in locum persecutiónem fugisset, et perículum intérdum étiam pecúnia redemísset, ex inopináto aliquándo comprehénsus, et Præsidi oblátus, torméntis plúrimis cruciátur: demum ígnibus tráditus, egrégio martyrio coronátur.

Patávii sancti Máximi ejúsdem civitátis Epíscopi, qui miráculis clarus beáto fine quiévit.

3 Tertio Nonas Augusti. Luna. E xxij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

Jerosolymis Invéntio córporis beatíssimi Stéphani Protomártyris, et sanctórum Gamaliélis, Nicodémi, et Abibónis, sicut Luciáno Presbytero divínitus revelátum est, Honórii Príncipis témpore.

Constantinópoli natális sancti Hermélli Mártyris.

Apud Indos Persis finítimos pássio sanctórum Monachórum et aliórum fidélium, quos Abénner Rex, pérsequens Ecclésiam Dei, divérsis afflíctos supplíciis cædi jussit.

Neápoli in Campánia sancti Aspren Epíscopi, qui a sancto Petro Apóstolo

ab infirmitáte curátus, et deinde baptizátus, ejúsdem civitátis Epíscopus ordinátus fuit.

Augustodúni depositio sancti Euphrónii Epíscopi et Confessóris.

Anágniæ sancti Petri Epíscopi, qui monástica primum observántia, deinde pastoráli vigilántia clarus, quiévit in Dómino.

Philippis in Macedónia sanctæ Lydiæ purpuráriæ, quæ, prædicánte ibídem sancto Paulo Apóstolo, prima ómnium crédidit Evangélio.

Berœæ in Syria sanctárum mulíerum Maránæ et Cyræ.

xxj. F Pridie Nonas Augusti. Luna. 4

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

Bononiæ sancti Domínici Confessóris, Fundatóris Ordinis Fratrum Prædicatórum, viri sanctitáte et doctrína claríssimi : qui virginitátem perpétuo illibátam servávit, et ob singulárem meritórum grátiam tres mórtuos suscitávit : cumque prædicatióne sua hæreses compressísset, ac plúrimos ad religiósam et piam vitam instituísset, octávo Idus mensis hujus in pace quiévit : ejus tamen festívitas ex constitutióne Pauli Papæ Quarti hac die celebrátur.

Thessalonícæ natális beáti Aristárchi, discípuli et cómitis indivídui sancti Pauli Apóstoli, de quo ipse ad Colosséuses scribit : Salútat vos Aristárchus concaptívus meus. Is ab eódem Apóstolo Thessalonicénsium Epíscopus ordinátus, post longos agónes sub Neróne coronátus a Christo, quiévit.

Romæ via Latína pássio beáti Tertullíni Presbyteri et Mártyris, qui sub Valeriáno Imperatóre post ímpiam fústium mactatiónem, ígnium circa látera exustiónem, oris quassatiónem, atque in equúleo extensiónem, nervorúmque cæsiónem, data senténtia, cápitis amputatióne martyrium consummávit.

Constantinópoli sancti Eleuthérii Mártyris, órdinis senatórii, qui pro Christo in persecutióne Maximiáni gládio cæsus est.

In Pérside sanctárum Mártyrum Iæ et Sociárum, quæ cum novem míllibus Christiánis captívis sub Sápore Rege divérsis pœnis afflíctæ martyrium subiérunt.

Colóniæ sancti Protásii Mártyris.

Verónæ sancti Agábii Epíscopi et Confessóris.

Turónis sancti Euphrónii Epíscopi.

Romæ sanctæ Perpétuæ quæ a beáto Petro Apóstolo baptizáta, Nazárium

fílium, et Africánum virum ad fidem Christi perdúxit, et multa sanctórum Mártyrum córpora sepelívit, ac tandem bonórum óperum méritis cumuláta migrávit ad Dóminum.

5 Nonis Augusti. Luna. G xx.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

Romæ in Exquíliis dedicátio Basílicæ sanctæ Maríæ ad Nives.
Item Romæ pássio sanctórum Mártyrum vigintitríum, qui in persecutióne Diocletiáni via Salária véteri, cápite truncáti, ibídem sepúlti sunt ad clivum Cucúmeris.
Augústæ Vindelicórum natális sanctæ Afræ Mártyris, quæ cum esset Pagána, per doctrínam sancti Narcíssi Epíscopi ad Christum convérsa, et cum omni domo sua baptizáta, pro confessióne Christi igni trádita est.
Asculi in Picéno sancti Emygdii Epíscopi et Mártyris, qui a sancto Marcéllo Papa Epíscopus ordinátus, et illuc ad prædicándum Evangélium missus, in confessióne Christi sub Diocletiáno Imperatóre martyrii corónam accépit.
Antiochíæ sancti Eusígnii mílitis, qui annum agens centésimum décimum, cum Constantíni Magni fidem, sub quo militáverat, Juliáno Apóstatæ exprobráret, eúmque ut pátriæ pietátis desertórem redargúeret, ab eódem jussus est cápite cædi.
Item sanctórum Mártyrum Cantídii, Cantidiáni, et Sobélis Ægyptiórum.
Catalaúni in Gállia sancti Mémmii civis Románi qui a sancto Petro illíus civitátis Epíscopus consecrátus, pópulum sibi commíssum ad Evangélii veritátem perdúxit.
Augustodúni beáti Cassiáni Epíscopi.
Apud Theánum sancti Páridis Epíscopi.
In Anglia sancti Oswáldi Regis, cujus actus Venerábilis Beda Présbyter commémorat.
Eódem die sanctæ Nonnæ Matris beáti Gregórii Nazianzéni.

6 Octavo Idus Augusti. Luna. A xix.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

In monte Thabor Transfigurátio Dómini nostri Jesu Christi.
Romæ via Appia in cœmetério Callísti natális beáti Xysti Secúndi

Papæ et Mártyris, qui in persecutióne Valeriáni gládio animadvérsus martyrii corónam accépit.

Item sanctórum Mártyrum Felicíssimi et Agapíti, ejúsdem beáti Xysti Diaconórum, Januárii, Magni, Vincéntii, et Stéphani Subdiaconórum, qui omnes cum eo páriter decolláti sunt, atque in cœmetério Prætextáti sepúlti. Passus est étiam cum eis beátus Quartus, ut scribit sanctus Cypriánus.

Burgis in Hispánia in monastério sancti Petri de Cardégna Ordinis sancti Benedicti ducentórum Monachórum cum Stéphano Abbáte, qui a Sarracénis pro fide Jesu Christi interfécti sunt, atque ibídem in claustro a Christiánis sepúlti.

Complúti in Hispánia sanctórum Mártyrum Justi et Pastóris fratrum, qui cum adhuc púeri litteris imbueréntur, projéctis in schola tábulis, sponte ad Martyrium cucurrérunt : et mox a Daciáno Præside tenéri jussi, et fústibus cædi, cum se mútuis exhortatiónibus constantíssime corroborárent, extra civitátem perdúcti, a carnífice juguláti sunt.

Romæ sancti Hormísdæ Papæ et Confessóris.

Amidæ sancti Jacóbi Eremítæ, miráculis clari.

xviij. **B** Septimo Idus Augusti. Luna. 7

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

NEAPOLI in Campánia sancti Cajetáni Thicnæi Confessóris, Clericórum Regulárium Fundatóris, qui singulári in Deum fidúcia prístinam Apostólicam vivéndi formam suis coléndam trádidit; et miráculis clarus a Cleménte Décimo inter Sanctos relátus est.

Arétii in Túscia natális sancti Donáti Episcopi, et Mártyris, qui inter cétera virtútis ópera (ut scribit beátus Gregórius Papa) fractum a Pagánis cálicem sanctum orándo instaurávit. Is in persecutióne Juliáni Apóstatæ a Quadratiáno Augustáli comprehénsus, cum idólis sacrificáre renuísset, gládio percússus martyrium consummávit. Passus est étiam cum eo beátus Hilarinus Mónachus, cujus festívitas decimoséptimo Kaléndas Augústi celebrátur, quando ejus corpus ad óstia Tiberína translátum fuit.

Romæ sanctórum Mártyrum Petri et Juliáni, cum áliis decem et octo.

Medioláni sancti Fausti mílitis, qui sub Aurélio Cómmodo post multa certámina martyrii palmam adéptus est.

Novocómi pássio sanctórum Mártyrum Carpóphori, Exánthi, Cássii, Severini, Secúndi et Licinii, qui in confessióne Christi cápite truncáti sunt.
Nísibi in Mesopotámia sancti Dométii Mónachi Persæ, qui cum duóbus discípulis sub Juliáno Apóstata lapidátus est.
Rhotómagi sancti Victricii Epíscopi, qui adhuc miles, sub eódem Juliáno pro Christo abjiciens cingulum, a tribúno multis torméntis affícitur, et cápitis damnátur; sed carnífice, qui ad eum cædéndum missus fúerat, cecitáte percússo, ipse, vínculis solútis, liber evásit : póstea Epíscopus factus, Morinórum et Nerviórum gentes indómitas verbi prædicatióne ad fidem Christi perdúxit, et demum conféssor in pace quiévit.
Catalaúni in Gállia sancti Donatiáni Epíscopi.
Messánæ in Sicília sancti Albérti Confessóris, Ordinis Carmelitárum, miráculis clari.

8 Sexto Idus Augusti. Luna. C xvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

Romæ sanctórum Mártyrum Cyríaci Diáconi, Largi, et Smarágdi, cum áliis vigínti, qui in persecutióne Diocletiáni et Maximiáni passi sunt decimoséptimo Kaléndas Aprílis. Eórum córpora a Joánne Presbytero via Salária sepúlta, sanctus Marcéllus Papa in prædium Lucínæ via Ostiénsi hac die tránstulit : quæ póstea in Urbem deláta, in Diaconía sanctæ Maríæ in via Lata recóndita fuérunt.
Anazárbi in Cilícia sancti Maríni Senis, qui sub Diocletiáno Imperatóre et Lysia Præside flagris cæsus, in ligno suspénsus, ac laniátus, feris tandem objéctus intériit.
Item sanctórum Mártyrum Eleuthérii et Leónidis, qui per ignem martyrium consummárunt.
In Pérsia sancti Hormisdæ Mártyris sub Sápore Rege.
Cyzici in Hellespónto sancti Æmiliáni Epíscopi, qui pro sacrárum Imáginum cultu a Leóne Imperatóre multa passus, demum in exilio vitam finívit.
In Creta sancti Myrónis Epíscopi, miráculis clari.
Viénnæ in Gállia sancti Sevéri Presbyteri et Confessóris, qui ex India Evangélii prædicándi causa laboriósam peregrinatiónem suscépit, et ad præfátam urbem devéniens, ingéntem Paganórum multitúdinem verbo et miráculis ad fidem Christi convértit.

xvj. D Quinto Idus Augusti. Luna. 9

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

Vigilia sancti Lauréntii Mártyris.
Romæ sancti Románi militis, qui confessióne beáti Lauréntii compúnctus, pétiit ab eo baptizári, et mox exhibitus, ac fústibus cæsus, ad últimum decollátus est.
In Túscia natális sanctórum Mártyrum Secundiáni, Marcelliáni et Veriáni, qui témpore Décii a Promóto Consulári primum cæsi sunt, deinde in equúleo suspénsi, et úngulis abrási, atque igne latéribus appósito assáti, triumphálem martyrii palmam cápite cæsi meruérunt.
Verónæ sanctórum Mártyrum Firmi et Rústici témpore Maximiáni Imperatóris.
In Africa commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum, qui in persecutióne Valeriáni, hortánte eos sancto Numídico, in ignem conjécti, martyrii palmam adépti sunt. Ipse autem Numídicus, licet cum áliis in rogum injéctus, et lapidibus óbrutus fuisset, a filia tamen effóssus, et semivivus repértus, curátus est, ac póstea ob ejus virtútem in Ecclésiæ Carthaginénsis Presbyterum a beáto Cypriáno méruit cooptári.
Constantinópoli sanctórum Mártyrum Juliáni, Marciáni et aliórum octo, qui ob Salvatóris imáginem, quam in porta ænea constitúerant, impii Leónis Imperatóris jussu post multa torménta gládio necáti sunt.
Catalaúni in Gállia sancti Domitiáni Episcopi et Confessóris.

xv. E Quarto Idus Augusti. Luna. 10

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

Romæ via Tiburtína natális beáti Lauréntii Archidiáconi qui in persecutióne Valeriáni post plúrima torménta cárceris, vérberum diversórum, scorpiónum, fústium, et plumbatárum, et laminárum ardéntium, ad últimum in craticula férrea assátus, martyrium complévit : cujus corpus a beáto Hippólyto et Justíno Presbytero sepúltum fuit in cœmetério Cyríacæ in agro Veráno.
Item Romæ pássio sanctórum centum sexagintaquínque mílitum Mártyrum sub Aureliáno Imperatóre.

Bérgomi sanctæ Astériæ Vírginis et Mártyris, in persecutióne Diocletiáni et Maximiáni Imperatórum.
Alexandríæ commemorátio sanctórum Mártyrum, qui in persecutióne Valeriáni sub Præside Æmiliáno divérsis exquisitísque torméntis diútius cruciáti, vário mortis génere martyrii corónam adépti sunt.
Carthágine sanctárum Vírginum et Mártyrum Bassæ, Paulæ et Agathónicæ.
Romæ sancti Deúsdedit Confessóris, qui quod in hebdómada mánibus suis operándo lucrabátur, die sábbati paupéribus erogábat.
In Hispánia Apparítio beátæ Maríæ Vírginis de Mercéde nuncupátæ, órdinis Redemptiónis Captivórum sub ejus nómine Institutrícis.

11 Tertio Idus Augusti. Luna. F xiv.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

Romæ inter duas lauros natális sancti Tibúrtii Mártyris, qui sub Júdice Fabiáno in persecutióne Diocletiáni, cum nudis plantis super carbónes ardéntes ingréssus, Christum majóri confiterétur constántia, duci in tértium ab Urbe milliárium atque ibídem gládio animadvérti jubétur.
Item Romæ sanctæ Susánnæ Vírginis, quæ cum esset nóbili prosápia orta, et beáti Caji Pontíficis neptis, martyrii palmam témpore Diocletiáni cápitis obtruncatióne proméruit.
Cománæ in Ponto sancti Alexándri Epíscopi, cognoménto Carbonárii, qui ex philósopho disertíssimo eminéntem Christiánæ humilitátis sciéntiam adéptus, et a sancto Gregório Thaumatúrgo in thronum illíus Ecclésiæ sublimátus, non solum prædicatióne, sed étiam per ignem consummáto martyrio fuit illústris.
Eódem die pássio sanctórum Rufíni Marsórum Epíscopi, et Sociórum, sub Maximíno Imperatóre.
Apud Ebroicénses in Gállia sancti Tauríni Epíscopi, qui a beáto Cleménte Papa illíus civitátis Epíscopus ordinátus, Evangélii prædicatióne Christiánam fidem propagávit, ac multis pro ea suscéptis labóribus, miraculórum glória conspícuus obdormívit in Dómino.
Cameráci in Gállia sancti Gaugérici Epíscopi et Confessóris.
In província Valériæ sancti Equítii Abbátis, cujus sánctitas beáti Gregórii Papæ testimónio comprobátur.
Tudérti sanctæ Dignæ Vírginis.

xiij. G Pridie Idus Augusti. Luna. 12

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

Assisii in Umbria sanctæ Claræ Virginis, primæ plantæ paúperum feminárum Ordinis Minórum, quam vita et miráculis célebrem, Alexánder Quartus in númerum sanctárum Vírginum rétulit.

Cátanæ in Sicília natális sancti Eúplii Diáconi, sub Diocletiáno et Maximiáno Augústis : qui cum diutissime pro confessióne Dómini torquerétur, tandem martyrii palmam gládio cædénte percépit.

Augústæ Vindelicórum sanctæ Hilári æ matris beátæ Afræ Mártyris ; quæ cum ad sepúlchrum illíus excubáret, ibídem pro fide Christi a persecutóribus igni trádita est cum Digna, Euprépia et Eunómia ancíllis suis. Passi sunt étiam eódem die in præfáta urbe Quiríacus, Lárgio, Crescentiánus, Nímmia, et Juliána, cum áliis viginti.

In Syria sanctórum Mártyrum Macárii et Juliáni.

Nicomédiæ sanctórum Mártyrum Anicéti Cómitis, et Photíni ejus fratris, cum áliis plúribus sub Diocletiáno Imperatóre.

Falériæ in Túscia pássio sanctórum Graciliáni, et Felicíssimæ Vírginis, quorum pro fidei confessióne ora lapídibus primo contúsa sunt; dehinc gládio percússi, optátam martyrii palmam suscepérunt.

Eódem die sanctórum Mártyrum Porcárii Abbátis monastérii Lirinénsis, et quingentórum Monachórum, qui pro fide cathólica a bárbaris cæsi, martyrio coronáti sunt.

Medioláni deposítio sancti Eusébii Epíscopi et Confessóris.

Bríxiæ sancti Herculáni Epíscopi.

xij. A Idibus Augusti. Luna. 13

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

Romæ beáti Hippólyti Mártyris, qui pro confessiónis glória sub Valeriáno Imperatóre post ália torménta, ligátis pédibus ad colla indomitórum equórum, per carduétum et tribulos crudéliter tractus, toto córpore laceráto, emísit spíritum. Passi sunt étiam eódem die beáta Concórdia ejus nutrix, quæ ante ipsum plumbátis cæsa, migrávit ad

Dóminum; et álii decem et novem de domo sua, qui extra portam Tiburtínam decolláti sunt, et una cum eo in agro Veráno sepúlti.

Apud Forum Syllæ natális sancti Cassiáni Mártyris, qui cum adoráre idóla noluisset, vocátis a persecutóre púeris, quibus docéndo exósus factus fúerat, data est eis facúltas eum periméndi: quorum quanto infírmior erat manus, tanto graviórem martyrii pœnam diláta morte faciébat.

Tudérti sancti Cassiáni Epíscopi et Mártyris sub Diocletiáno Imperatóre.

Burgis in Hispánia sanctárum Centóllæ et Hélenæ Mártyrum.

Constantinópoli sancti Máximi Mónachi, doctrína et zelo cathólicæ veritátis insígnis: qui cum advérsus Monothelítas strénue decertáret, a Constánte Imperatóre hærético, præcísis mánibus ac lingua, in Chersonésum relegátus, réddidit spíritum. Tunc étiam duo Anastásii ejus discípuli, alíique plures divérsa torménta, et dura exília sunt expérti.

In Germánia sancti Wigbérti Presbyteri et Confessóris.

Pictávis sanctæ Radegúndis Regínæ, cujus vita miráculis et virtútibus cláruit.

14 Decimonono Kalendas Septembris. Luna. **B** xj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

VIGILIA Assumptiónis beátæ Maríæ Vírginis.

Romæ natális beáti Eusébii Presbyteri, qui a Constántio Imperatóre Ariáno ob cathólicæ fídei defensiónem in quodam cubículo domus suæ inclúsus, ibíque menses septem in oratióne constánter persevérans, dormitiónem accépit: cujus corpus Gregórius et Orósius Presbyteri colligéntes, in cœmetério Callísti via Appia sepeliérunt.

In Illyrico sancti Ursícii Mártyris, qui sub Maximiáno Imperatóre et Arístide Præside, post multa et divérsa torménta, pro Christi nómine gládio cæsus est.

In Africa sancti Demétrii Mártyris.

Apaméæ in Syria sancti Marcélli Epíscopi et Mártyris: qui cum Jovis delúbrum diruísset, a furéntibus Gentílibus occísus est.

Tudérti sancti Callísti Epíscopi et Mártyris.

In Ægina ínsula sanctæ Athanásiæ Víduæ, monástica observántia et grátia miraculórum illústris.

x. C Decimooctavo Kalendas Septembris. Luna. 15

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

Assumptio sanctíssimæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ.
Romæ via Appia sancti Tharsícii Acólythi, quem Pagáni cum invenissent Córporis Christi Sacraménta portántem, cœpérunt disquírere quid géreret: at ille indígnum júdicans porcis pródere margaritas, támdiu ab illis mactátus est fústibus et lapídibus, donec exhaláret spíritum: et revolúto ejus córpore, sacrílegi discussóres nihil Sacramentórum Christi in mánibus, aut in véstibus invenérunt: Christiáni autem corpus Mártyris collegérunt, et in cœmetério Callísti honorífice sepeliérunt.
Tagástæ in Africa sancti Alípii Epíscopi, qui beáti Augustini olim discípulus, póstea in conversióne sócius, in múnere pastorali colléga, et in certamínibus advérsus hæréticos commílito strénuus, ac demum in cœlésti glória consors fuit.
Suessióne in Gálliis sancti Arnúlphi Epíscopi et Confessóris.
Albæ in Pannónia natális sancti Stéphani Hungarórum Regis, cujus festum quarto Nonas Septémbris celebrátur.
Romæ sancti Stanislái Kostkæ Polóni, Confessóris Societátis Jesu, qui consummátus in brevi, angélica vitæ innocéntia explévit témpora multa, et a Benedicto Decimotértio Pontífice Máximo in Sanctórum album relátus est.

ix. D Decimoseptimo Kalendas Septembris. Luna. 16

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

Cracoviæ in Polónia sancti Hyacínthi Confessóris Ordinis Prædicatórum, quem Clemens Papa Octávus in Sanctórum númerum rétulit, et hac die festum illius celebrári præcépit.
Romæ sancti Titi Diáconi, qui, Urbe a Gothis occupáta, pecúnias paupéribus distríbuens, a tribúno bárbaro jussus est occídi.
Nicææ in Bithynia sancti Diomédis médici, qui in persecutióne Diocletiáni pro Christi fide gládio cæsus, martyrium complévit.
Item sanctórum tringintatríum Mártyrum.
Ferentini in Hérnicis sancti Ambrósii Centuriónis, qui in persecutióne

Diocletiáni váriis modis cruciátus, novíssime per ignem illæsus tránsiens, demérsus in aquam, edúctus est in refrigérium.

Medioláni depósitio sancti Simpliciáni Epíscopi, sanctórum Ambrósii et Augustíni testimónio célebris.

Antisiodóri sancti Eleuthérii Epíscopi.

Nicomédiæ sancti Arsácii Confessóris, qui sub Licínio persecutóre, milítia relícta, solitáriam vitam ducens, tantis virtútibus cláruit, ut et dæmones expulísse, et ingéntem dracónem orándo interemísse legátur: dénique futúram civitátis cladem prænúntians, in oratióne spíritum Deo réddidit.

In Gállia Narbonénsi apud montem Pessulánum depósitio beáti Rochi Confessóris, qui multas Itáliæ urbes a morbo epidémiæ signo crucis liberávit: cujus corpus Venétias póstea translátum, et in Ecclésia ejus nómine consecráta honorificentíssime cónditum fuit.

Romæ sanctæ Serénæ uxóris quondam Diocletiáni Augústi.

17 Sextodecimo Kalendas Septembris. Luna. E viij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

OCTAVA sancti Lauréntii Mártyris.

Carthágine in Africa sanctórum Mártyrum Liberáti Abbátis, Bonifácii Diáconi, Servi et Rústici Subdiaconórum, Rogáti et Séptimi Monachórum, et Máximi púeri, qui in persecutióne Wandálica sub Hunneríco rege pro confessióne cathólicæ fídei, et único Baptísmatis defensióne, váriis et inaudítis supplíciis exagitáti, demum super ligna, quibus concremándi erant, clavis confíxi, cum ignis sæpius accénsus fuísset, ac divínitus semper extínctus, ejus jussu remórum véctibus percússi, et comminútis cérebris enecáti, speciósum cursum certáminis sui, coronánte Dómino, perfecérunt.

Cæsaréæ in Cappadócia natális sancti Mamántis Mártyris, qui a pueritia ad senectútem usque longum martyrium duxit, et tandem imperánte Aureliáno, sub Alexándro Præside illud felíciter consummávit, quem sancti Patres Basílius et Gregórius Nazianzénus summis láudibus celebrárunt.

In Achája sancti Myrónis Presbyteri et Mártyris, qui sub Décio Imperatóre et Antípatre Præside post multa torménta Cyzici cápite truncátus est.

Nicomédiæ sanctórum Mártyrum Stratónis, Philíppi et Eutychiáni, qui damnáti ad béstias, et nil læsi, per ignem martyrium consummárunt.
Interámnæ sancti Anastásii Epíscopi et Confessóris.
Ptolemáide in Palæstina sanctórum Mártyrum Pauli et Juliánæ sorórís ejus, qui sub Valeriáno passi sunt.

vij. F Quintodecimo Kalendas Septembris. Luna. 18

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

Prænéste natális sancti Agapíti Mártyris, qui cum esset annórum quíndecim, et amóre Christi fervéret, jussu Aureliáni Imperatóris tentus, ac primo nervis crudis diutíssime cæsus, deinde sub Antíocho Præfécto gravióra supplícia passus; exínde cum ex præcépto Imperatóris leónibus objicerétur, et mínime læsus esset, gládio ministrórum coronándus percútitur.
Romæ beatórum Joánnis et Crispi Presbyterórum, qui in persecutióne Diocletiáni multa Sanctórum córpora officiosíssime sepeliérunt, quorum méritis et ipsi póstmodum sociáti, gáudia vitæ ætérnæ meruérunt.
Ibidem sanctórum Mártyrum Hermæ, Serapiónis et Polyæni, qui per angústa, saxósa et áspera loca raptáti, ánimas Deo reddidérunt.
In Illyrico sanctórum Mártyrum Flori et Lauri artis lapicidínæ, qui, consúmptis martyrio eórum magistris Próculo et Máximo, sub Licióne Præside post multa torménta in profúndum púteum sunt demérsi.
Myræ in Lycia sanctórum Mártyrum Leónis et Juliánæ.
Metis in Gállia sancti Firmíni Epíscopi et Confessóris.
Romæ via Lavicána sanctæ Hélenæ matris Constantíni Magni piíssimi Imperatóris, qui primus Ecclésiæ tuéndæ atque amplificándæ exémplum céteris Princípibus præbuit.
In Montefálco Umbriæ beátæ Claræ Vírginis, Moniális Ordinis Eremitárum sancti Augustíni, in cujus viscéribus domínicæ Passiónis mystéria renováta, máxima cum devotióne venerántur.

vj. G Quartodecimo Kalendas Septembris. Luna. 19

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

Romæ sancti Júlii Senatóris et Mártyris, qui Vitéllio Júdici tráditus, et ab eo in cárcerem trusus, jubénte Cómmodo Imperatóre, támdiu

fústibus cæsus est, donec emítteret spíritum : cujus corpus in cœmetério Calepódii via Aurélia sepúltum fuit.
In Cilícia natális sancti Andréæ Tribúni et Sociórum militum, qui, victória de Persis divínitus adépta, ad fidem Christi convérsi, et hoc nómine accusáti, sub Maximiáno Imperatóre in angústiis Tauri montis ab exércitu Seleúci Præsidis trucidáti sunt.
In Palæstina sancti Timóthei Mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni sub Urbáno Præside, post multa superáta supplícia, lento igne combústus est. Passi sunt étiam ibídem Thecla et Agápius : illa feris expósita, eárum déntibus laniáta transívit ad Sponsum : Agápius vero plúrima torménta perpéssus, ad majóra certámina fuit dilátus.
Anágniæ sancti Magni Epíscopi et Mártyris, qui in persecutióne Décii necátus est.
In Província apud castrum Bríncolam depositio sancti Ludovíci Epíscopi Tolosáni, Ordinis Minórum, vitæ sanctitáte et miráculis clari : cujus corpus inde Massíliam translátum, in Ecclésia Fratrum Minórum honorífice cónditum est.
In Gállia in pago Sigistérico beáti Donáti Presbyteri et Confessóris, qui ab ipsis infántiæ rudiméntis mira Dei grátia prǽditus, anachoréticam vitam multis annis exégit, et miraculórum glória clarus migrávit ad Christum.
In território Bituricénsi sancti Mariáni Confessóris.
Mántuæ sancti Rufíni Confessóris.

20 Tertiodecimo Kalendas Septembris. Luna. A v.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

In território Lingoniénsi depositio sancti Bernárdi primi Clarævallénsis Abbátis, vita, doctrína et miráculis gloriósi, quem Pius Octávus Póntifex Máximus universális Ecclésiæ Doctórem declarávit, et confirmávit.
In Judæa sancti Samuélis Prophétæ, cujus sacra ossa (ut beátus Hierónymus scribit) Arcádius Augústus Constantinópolim tránstulit, et prope Séptimum collocávit.
Eódem die sancti Lúcii Senatóris, qui perspécta constántia Theodóri Cyrenénsis Epíscopi in martyrio pósiti, ad fidem Christi convérsus, ad eam étiam Digniánum Præsidem pertráxit : cum quo Cyprum proféctus, cum ibi álios Christiános pro confessióne Dómini coronári vidéret, ultro se ipsum óbtulit, et eámdem martyrii corónam, cápitis obtruncatióne, proméruit.

In Thrácia sanctórum trigintaséptem Mártyrum, qui sub Præside Apelliáno pro Christi fide, mánibus pedibúsque præcísis, in camínum ardéntem injécti sunt.
Item sanctórum Mártyrum Sevéri et Mémnonis Centuriónis, qui eódem mortis génere consummáti, victóres abiérunt in cœlum.
Córdubæ sanctórum Mártyrum Leovigildi et Christóphori Monachórum, qui in Arabum persecutióne pro christiánæ fídei defensióne in cárcerem conjécti, ac mox, cervícibus abscíssis, igni tráditi, martyrii palmam adépti sunt.
Romæ beáti Porphyrii hóminis Dei, qui sanctum Mártyrem Agapítum erudívit in fide et doctrína Christi.
In Hério ínsula sancti Philibérti Abbátis.
In castro Cainóne sancti Máximi Confessóris, discípuli beáti Martini Epíscopi.
In monte Senário Florentínæ diœcésis beáti Manétii Confessóris ex Septem Fundatóribus Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, qui eidem hymnos dicens expirávit.

iv. B Duodecimo Kalendas Septembris. Luna. 21

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

Annecii in Sabaúdia, festum sanctæ Joánnæ Francíscæ Frémiot de Chantal, Ordinis Sanctimoniálium Visitatiónis sanctæ Maríæ Institutrícis, de qua ágitur Idibus Decémbris.
Romæ in agro Veráno sanctæ Cyríacæ Víduæ et Mártyris, quæ in persecutióne Valeriáni cum se súaque ómnia in Sanctórum ministéria impendísset, demum pro Christo martyrium súbiens, vitam quoque ipsam libénter impéndit.
Salóne sancti Anastásii Corniculárii, qui cum vidéret beátum Agapítum constánter torménta perferéntem, convérsus est ad fidem, et pro confessióne nóminis Christi, jubénte Aureliáno Imperatóre, interémptus Martyr migrávit ad Dóminum.
In Sardínia natális sanctórum Mártyrum Luxórii, Cisélli et Cameríni, qui in persecutióne Diocletiáni sub Délphio Præside gládio cæsi sunt.
In território Gavalitáno sancti Priváti Epíscopi et Mártyris, qui passus est in persecutióne Valeriáni et Galliéni.
Eódem die sanctórum Mártyrum Bonósi et Maximiáni.
Fundis in Látio sancti Patérni Mártyris, qui ab Alexandría Romam

véniens ad Apostolórum memórias, et inde in agrum Fundánum secédens, cum Mártyrum córpora sepelíret, a Tribúno comprehénsus, in vínculis expirávit.
Edéssæ in Syria sanctórum Mártyrum Bassæ, et filiórum ejus Theogónii, Agápii et Fidélis, quos in persecutióne Maximiáni pia mater exhórtans, martyrio coronátos præmísit ad palmam, et truncáto cápite gaudens secúta est cum victória.
Verónæ sancti Euprépii Epíscopi et Confessóris.
Item sancti Quadráti Epíscopi.
Senis in Túscia beáti Bernárdi Ptolomæi Abbátis, Congregatiónis Olivetánæ Fundatóris.

22 Undecimo Kalendas Septembris. Luna. C iij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

Octava Assumptiónis beátæ Maríæ Vírginis.
Romæ via Ostiénsi natális sancti Timóthei Mártyris, qui tentus a Tarquínio Urbis Præfécto, et longa cárceris custódia macerátus, cum sacrificáre idólis noluísset, tértio cæsus, et gravíssimis supplíciis attrectátus, ad último decollátus est.
In Portu Románo sancti Hippólyti Epíscopi, eruditióne claríssimi, qui sub Alexándro Imperatóre ob præcláram fídei confessiónem mánibus pedibúsque ligátis in altam fóveam aquis plenam præcipitátus, martyrii palmam accépit: cujus corpus a Christiánis apud eúmdem locum sepúltum fuit.
Augustodúni sancti Symphoriáni Mártyris, qui témpore Aureliáni Imperatóris, cum idólis sacrificáre nollet, primo verbéribus afflictus, deinde cárceri mancipátus, ad último cæso cápite martyrium consummávit.
Romæ sancti Antoníni Mártyris, qui cum se Christiánum líbera voce fateretúr, a Vitéllio Júdice capitáli senténtia damnátus est, et via Aurélia sepúltus.
Item in Portu Románo sanctórum Mártyrum Martiális, Saturníni, Epictéti, Maprílis et Felícis, cum sóciis eórum.
Nicomédiæ pássio sanctórum Agathónici, Zótici et sociórum Mártyrum sub Maximiáno Imperatóre, et Eutholómio Præside.
Tarsi sanctórum Athanásii Epíscopi et Mártyris, Anthúsæ nóbilis féminæ,

quam ipse baptizáverat, et duórum ejus servórum, qui sub Valeriáno Imperatóre passi sunt.

Rhemis sanctórum Mártyrum Mauri et sociórum.

In Hispánia sanctórum Mártyrum Fabriciáni et Philibérti.

Papíæ sancti Gunifórti Mártyris.

ij. D Decimo Kalendas Septembris. Luna. 23

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

VIGILIA sancti Bartholomæi Apóstoli.

Romæ, et aliquibus in Locis prædicta verba omittuntur.

Tudérti sancti Philíppi Benítii Confessóris Florentíni, Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis propagatóris, exímiæ humilitátis viri, quem Clemens Décimus Sanctórum número adscripsit.

Antiochíæ natális sanctórum Mártyrum Restitúti, Donáti, Valeriáni et Fructuósæ, cum áliis duódecim, qui præclaríssimo confessiónis honóre coronáti sunt.

Apud óstia Tiberína sanctórum Mártyrum Quiríaci Epíscopi, Máximi Presbyteri, Archelái Diáconi et sociórum, qui sub Ulpiáno Præfécto témpore Alexándri passi sunt.

Ægææ in Cilícia sanctórum Mártyrum Claúdii, Astérii et Neónis fratrum, qui Christiánæ religiónis a novérca accusáti, sub Diocletiáno Imperatóre et Lysia Præside post acérba torménta cruci affíxi, victóres cum Christo triumphárunt. Passæ sunt post eos Donvína et Theonílla.

Rhemis in Gállia natális sanctórum Timóthei et Apollináris, qui ibidem consummáto martyrio cœléstia regna meruérunt.

Lugdúni sanctórum Mártyrum Minérvi, et Eleázari cum filiis octo.

Item sancti Luppi Mártyris, qui ex servíli conditióne, Christi libertáte donátus, martyrii quoque coróna dignátus est.

Jerosólymis sancti Zachæi Epíscopi, qui quartus a beáto Jacóbo Apóstolo Jerosolymitánam Ecclésiam rexit.

Alexandríæ sancti Theónæ Epíscopi et Confessóris.

Uticæ in Africa beáti Victóris Epíscopi.

Augustodúni sancti Flaviáni Epíscopi.

Arvérnis sancti Sidónii Epíscopi, doctrína et sanctitáte conspícui.

24 Nono Kalendas Septembris. Luna. E j.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

Sancti Bartholomæi Apóstoli, qui in India Christi Evangélium prædicávit: inde in majórem Arméniam proféctus, cum ibi plúrimos ad fidem convertísset, vivus a Bárbaris decoriátus est, atque Astyagis regis jussu cápitis decollatióne martyrium complévit: ejus sacrum corpus primo ad Líparam ínsulam, deínde Beneventum, postrémo Romam ad ínsulam Tiberínam translátum, ibi pia fidélium veneratióne honorátur.

Romæ et aliquibus aliis in locis omittuntur hæc verba, quorum loco dicuntur sequentia:

Vigília sancti Bartholomæi Apóstoli.

Carthágine sanctórum trecentórum Mártyrum témpore Valeriáni et Galliéni, qui inter ália supplícia cum Præses fornácem calcáriam accéndi jussísset, et in præséntia ejus prunas cum thure exhibéri, atque illis dixísset: Elígite e duóbus unum, aut thura super his carbónibus offérte Jovi, aut in calcem demergímini: fide armáti, Christum Dei Filium confiténtes, ictu rapidíssimo se injecérunt in ignem, et inter vapóres calcis in púlverem sunt redácti: ex quo candidátus ille Beatórum exércitus, Massa cándida méruit appellári.

Nepéte sancti Ptolomæi Epíscopi, discípuli beáti Petri Apóstoli, a quo missus in Túsciam ad prædicándum Evangélium, in eádem civitáte gloriósus Christi Martyr occúbuit.

Ibidem sancti Románi, ejúsdem civitátis Epíscopi, qui cum esset sancti Ptolomæi discípulus, fuit étiam in passióne sócius.

Apud óstia Tiberína sanctæ Aúreæ Vírginis et Mártyris, quæ saxo ad collum ligáto, in mare demérsa est: cujus corpus ad littus ejéctum beátus Nonnus sepelívit.

In Isaúria sancti Tatiónis Mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni sub Urbáno Præside gládio cæsus, martyrii corónam accépit.

Eódem die sancti Eutychii, discípuli beáti Joánnis Evangelístæ, qui ob Evangélii prædicatiónem in multis regiónibus cárceres, vérbera et ignes perpéssus, in pace tandem quiévit.

Item sancti Geórgii Limniótæ Mónachi, qui cum ímpium Leónem Imperatórem reprehendísset, quod sacras Imágines frángeret, Sanctorúmque

relíquias combúreret, ejus jussu mánibus abscíssis, et cápite incénso, Martyr migrávit ad Dóminum.
Rhotómagi sancti Audoéni Epíscopi et Confessóris.
Nivérnis sancti Patrítii Abbátis.

* F Octavo Kalendas Septembris. Luna. 25

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |

Romæ et aliquibus aliis in locis primo loco legitur : Sancti Bartholomæi Apóstoli, etc. ut in præcedenti Lectione, et prosequitur :
Lutétiæ Parisiórum sancti Ludovíci Confessóris, Regis Francórum, vitæ sanctitáte ac miraculórum glória illústris.
Romæ sanctórum Mártyrum Eusébii, Pontiáni, Vincéntii et Peregríni, qui primo sub Cómmodo Imperatóre in equúleo leváti, nervis quoque disténti, ac deínde fústibus cæsi sunt, flammis circa eórum látera appósitis : et cum in laude Christi fidelíssime permanérent, plumbátis usque ad emissiónem spíritus mactáti sunt.
Item Romæ sancti Genésii Mártyris, qui primum sub Gentilitáte mimus, cum in theátro, spectánte Diocletiáno Imperatóre, mystériis Christianórum illúderet, a Deo inspirátus repénte convérsus ad fidem, baptizátus est : mox Imperatóris jussu fústibus crudelíssime cæsus, deínde in equúleo suspénsus, et ungulárum diutíssima laceratióne vexátus, lampádibus étiam inflammátus, cum in fide Christi persísteret, dicens : Non est Rex præter Christum, pro quo si míllies occídar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auférre non potéritis : martyrii palmam cápitis obtruncatióne proméruit.
Itálicæ in Hispánia sancti Geróntii Epíscopi, qui témpore Apostolórum Evangélium in ea província prædicans, post multos labóres in cárcere quiévit.
Arláte in Gállia beáti item Genésii, qui exceptóris officio fungens, cum ímpia edícta, quibus Christiáni puníri jubebántur, nollet excípere, et projéctis in públicum tábulis, se Christiánum esse testarétur, comprehénsus atque decollátus martyrii glóriam próprio cruóre baptizátus accépit.
In Syria sancti Juliáni Mártyris.
Tarracóne sancti Magíni Mártyris.
Constantinópoli sancti Mennæ Epíscopi.
Trajécti sancti Gregórii Epíscopi.
Neápoli sanctæ Patrítiæ Vírginis.

26 Septimo Kalendas Septembris. Luna. G xxix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

ROMÆ sancti Zephyríni Papæ et Mártyris.

Ibídem sanctórum Mártyrum Irenæi et Abúndii, qui in persecutióne Valeriáni, eo quod corpus beátæ Concórdiæ in cloácam projéctum leváverant, in eámdem cloácam demérsi fuérunt: quorum córpora a Justíno Presbytero inde extrácta, in crypta juxta beátum Lauréntium sepúlta sunt.

Apud Albintimélium Ligúriæ civitátem sancti Secúndi Mártyris, viri spectábilis, et Ducis ex legióne Thebæórum.

Bérgomi in Gállia Cisalpína sancti Alexándri Mártyris, qui et ipse unus ex eádem legióne, cum nomen Dómini Jesu Christi constantíssime faterétur, martyrium cápitis abscissióne complévit.

Apud Marsos sanctórum Simplícii et filiórum ejus Constántii et Victoriáni, qui sub Antoníno Imperatóre várie primum excruciáti, tum demum secúri percússi, martyrii corónam adépti sunt.

Nicomédiæ pássio sancti Hadriáni, filii Probi Cæsaris, qui Licínio persecutiónem in Christiános commótam éxprobrans, ab eódem jussus est occídi: cujus corpus Domítius Byzántii Epíscopus, ejus pátruus, Argyrópoli sepelívit.

In Hispánia sancti Victóris Mártyris, qui a Mauris pro Christi fide occísus, martyrii coróna donátus est.

Cápuæ sancti Rufíni Episcopi et Confessóris.

Pistórii sancti Felícis Presbyteri et Confessóris.

Limæ in regno Peruáno sanctæ Rosæ a sancta María, Vírginis Tértii Ordinis sancti Domínici; cujus festum tértio Kaléndas Septémbris celebrátur.

27 Sexto Kalendas Septembris. Luna. A xxviij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |

ROMÆ depositio sancti Joséphi Confessóris vitæ innocéntia, et miráculis illústris, qui ad erudiéndam pietáte ac lítteris juventútem, Ordinem Clericórum Regulárium paúperum Matris Dei Scholárum piárum fundávit.

Cápuæ in Campánia natális sancti Rufi Epíscopi et Mártyris, qui cum esset patríciæ dignitátis, a beáto Apollináre sancti Petri discípulo cum univérsa família baptizátus est.

Ibidem sanctórum Mártyrum Rufi et Carpóphori, qui sub Diocletiáno et Maximiáno passi sunt.

Tomis in Ponto sanctórum Mártyrum Marcellíni Tribúni, et uxóris ejus Mannéæ et filiórum Joánnis, Serapiónis et Petri.

In Sicília apud Leontínos sanctæ Euthalíæ Vírginis, quæ cum esset Christiána, a fratre suo Sermiliáno gládio cæsa migrávit ad Sponsum.

Eódem die pássio sanctæ Anthúsæ junióris, quæ ob Christi fidem in púteum mersa, martyrium sumpsit.

Bérgomi sancti Narni, qui a beáto Bárnaba baptizátus, primus ab eo ejúsdem civitátis Epíscopus est ordinátus.

Areláte sancti Cæsárii Epíscopi, miræ sanctitátis et pietátis viri.

Augustodúni sancti Syágrii Epíscopi et Confessóris.

Papíæ sancti Joánnis Epíscopi.

Ilérdæ in Hispánia Tarraconénsi sancti Licérii Epíscopi.

In Thebáide sancti Pœmónis Anachorétæ.

In Picéno apud Septempedános sanctæ Margarítæ Víduæ.

xxvij. B Quinto Kalendas Septembris. Luna. 28

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |

HIPPONE Régio in Africa natális sancti Augustíni Epíscopi, et Ecclésiæ Doctóris exímii; qui beáti Ambrósii Epíscopi ópera ad cathólicam fidem convérsus, et baptizátus, eam advérsus Manichæos, aliósque hæréticos acérrimus propugnátor defféndit : multisque áliis pro Ecclésia Dei perfúnctus labóribus, ad præmia migrávit in cœlum : cujus relíquiæ primo de sua civitáte propter bárbaros in Sardiniam delátæ, et póstea a Luitprándo Rege Longobardórum Ticinum translátæ, ubi honorífice cónditæ sunt.

Romæ natális sancti Hermétis viri illústris, qui (ut in Actis beáti Alexándri Papæ légitur) primo carceráli custódiæ mancipátus, deinde cum áliis plúrimis, gládio cædénte, martyrium complévit sub Aureliáno Júdice.

Briváte apud Arvérnos pássio sancti Juliáni Mártyris, qui cum esset beáti Ferréoli Tribúni comes, et in hábitu militári occúlte Christo servíret, in persecutióne Diocletiáni a milítibus tentus, desécto gútture, morte horríbili necátus est.

Constántiæ in Gállia sancti Pelágii Mártyris, qui sub Numeriáno Imperatóre et Evilásio Júdice martyrii corónam accépit.

Salérni sanctórum Mártyrum Fortunáti, Caji et Anthes, sub Diocletiáno Imperatóre et Leóntio Procónsule decollatórum.

Constantinópoli sancti Alexándri Epíscopi, gloriósi senis, cujus oratiónis virtúte Aríus divíno judício damnátus crépuit médius, et effúsa sunt víscera ejus.

Apud Sántonas sancti Viviáni Epíscopi et Confessóris.

Item sancti Moysis Æthíopis, qui ex insígni latróne insígnis Anachoréta, multos latrónes convértit, et secum duxit ad monastérium.

29 Quarto Kalendas Septembris. Luna. C xxvj.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

DECOLLATIO sancti Joánnis Baptístæ, quem Heródes circa festum Paschæ decollári præcépit : cujus tamen memória hoc die solémniter cólitur, quando ejus venerándum caput secúndo invéntum fuit : quod póstea Romam translátum, in Ecclésia sancti Silvéstri ad Campum Mártium summa pópuli devotióne asservátur.

Romæ in monte Aventíno natális sanctæ Sabínæ Mártyris, quæ sub Hadriáno Imperatóre gládio percússa, martyrii palmam adépta est.

Item Romæ sanctæ Cándidæ Vírginis et Mártyris, cujus corpus Paschális Primus Papa in Ecclésiam sanctæ Praxédis tránstulit.

Antiochíæ in Syria natális sanctórum Mártyrum Nicææ et Pauli.

Constantinópoli sanctórum Mártyrum Hypátii Epíscopi Asiáni, et Andréæ Presbyteri, qui ob cultum sanctárum Imáginum sub Leóne Isaúrico, barba píce illita atque incénsa, et cute cápitis extrácta, juguláti sunt.

Perúsiæ sancti Euthymii Románi, qui cum uxóre et Crescéntio fílio, Diocletiáni persecutiónem fúgiens, ibi quiévit in Dómino.

Metis sancti Adélphi Epíscopi et Confessóris.

Lutétiæ Parisiórum deposítio sancti Mederíci Presbyteri.

In Anglia sancti Sebbi Regis.

Apud Smyrnam natális sanctæ Basíllæ.

In pago Tricassíno sanctæ Sabínæ Vírginis, virtútibus et miráculis gloriósæ.

xxv. 25. D Tertio Kalendas Septembris. Luna. 30

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

Sanctæ Rosæ a sancta María Vírginis, cujus dies natális séptimo Kaléndas Septémbris recensétur.

Romæ via Ostiénsi pássio beáti Felícis Presbyteri, sub Diocletiáno et Maximiáno Imperatóribus : qui post equúlei vexatiónem, data senténtia, cum ducerétur ad decollándum, óbvius ei fuit quidam Christiánus, qui dum se Christiánum esse sponte profiterétur, mox cum eódem páriter decollátus est : hujus nomen ignorántes Christiáni, Adaúctum eum appellavérunt, eo quod sancto Felíci auctus sit ad corónam.

Item Romæ sanctæ Gaudéntiæ Vírginis et Mártyris cum áliis tribus.

Ibídem sancti Pammáchii Presbyteri, qui fuit doctrína et sanctitáte conspícuus.

Colóniæ Suffetulánæ in Africa beatórum sexaginta Mártyrum, qui furóre Gentílium cæsi sunt.

Adruméti item in Africa sanctórum Bonifácii et Theclæ qui beatórum duódecim filiórum Mártyrum paréntes fuérunt.

Thessalonícæ sancti Fantíni Confessóris, qui multa a Sarracénis perpéssus, atque a monastério, in quo mira abstinéntia víxerat, expúlsus, cum plúrimos ad viam salútis perduxísset, demum in senectúte bona quiévit.

In território Meldénsi sancti Fiácrii Confessóris.

Trebis in Látio sancti Petri Confessóris, qui multis clarus virtútibus et miráculis, ibídem migrávit ad Dóminum, et honorífice cólitur.

Bonóniæ sancti Bonónii Abbátis.

xxiv. E Pridie Kalendas Septembris. Luna. 31

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

Cardonæ in Hispánia sancti Raymúndi Nonnáti Cardinális et Confessóris, Ordinis beátæ Maríæ de Mercéde redemptiónis captivórum, vitæ sanctitáte et miráculis clari.

Tréviris natális sancti Paulíni Epíscopi, qui témpore Ariánæ infestatiónis a Constántio Imperatóre Ariáno ob cathólicam fidem exílio

relegátus, et extra Christiánum nomen usque ad mortem, mutándo exília, fatigátus; tandem apud Phrygiam defúnctus, beátæ passiónis corónam percépit a Dómino.

Item sanctórum Mártyrum Robustiáni et Marci.

Tránsaquis in Marsis ad lacum Fucínum natális sanctórum Mártyrum Cæsídii Presbyteri et Sociórum, qui in persecutióne Maximíni martyrio coronáti sunt.

Cæsaréæ in Cappadócia sanctórum Theódoti, Rufínæ et Ammiæ, quorum duo primi sancti Mamántis Mártyris paréntes fuérunt, quem Rufína in cárcere péperit, et Ammia educávit.

Athénis sancti Arístidis, fide et sapiéntia claríssimi, qui Hadriáno Príncipi de religióne Christiána volúmen óbtulit, nostri dógmatis cóntinens ratiónem : et quod Christus Jesus solus esset Deus, præsénte ipso Imperatóre luculentissime perorávit.

Antisiodóri sancti Optáti Epíscopi et Confessóris.

In Anglia sancti Aidáni Epíscopi Lindisfarnénsis, cujus ánimam cum sanctus Cutbértus óvium pastor in cœlum ferri vidísset, relictis óvibus factus est Mónachus.

Apud Nuscum sancti Amáti Epíscopi.

In monte Senário prope Floréntiam beáti Bonajúnctæ Confessóris, ex septem Fundatóribus Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, qui de Passióne Dominica ad fratres verba fáciens, in manus Dómini trádidit spíritum.

# SEPTEMBER.

xxiij. **E** Kalendis Septembris. Luna. 1

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

Ex provincia Narbonénsi sancti Ægídii Abbátis et Confessóris.

Benevénti sanctórum Mártyrum duódecim fratrum.

In Palæstina sanctórum Jósue et Gedeónis.

Jerosólymis beátæ Annæ Prophetissæ, cujus sanctitátem sermo evangélicus prodit.

Cápuæ via Aquária sancti Prisci Mártyris, qui fuit unus de antiquis Christi discípulis.

Rhemis in Gállia sancti Xysti discípuli beáti Petri Apóstoli, qui ab eo primus ejúsdem civitátis Epíscopus consecrátus, sub Neróne martyrii corónam accépit.

Tudérti in Umbria sancti Terentiáni Epíscopi et Mártyris, qui sub Hadriáno Imperatóre, Lætiáni Procónsulis jussu, equúleo et scorpiónibus cruciátus, demum abscíssa lingua, cápitis damnátus, martyrium complévit.

Heracléæ sancti Ammónis Diáconi, et sanctárum quadragínta Vírginum, quas ille erudívit in fide, et sub Licínio tyránno ad martyrii glóriam secum perdúxit.

In Hispánia sanctórum Mártyrum Vincéntii et Læti.

Populónii in Túscia sancti Réguli Mártyris, qui ex Africa véniens, ibi sub Tótila martyrium consummávit.

Apud Sénonas beáti Lupi Epíscopi et Confessóris, de quo refértur, quod quadam die, dum præsénte Clero sacris altáribus adstáret, lapsa est cœlitus gemma in ejus cálicem sanctum.

Cápuæ sancti Prisci Epíscopi, qui unus fuit ex illis sacerdótibus, qui in persecutióne Wandalórum ob fidem cathólicam várie afflícti, et vetústæ navi impósiti, ex Africa ad Campániæ líttora pervenérunt, et Christiánam religiónem, in iis locis dispérsi, diversísque Ecclésiis præfécti, mirífice propagárunt. Fuérunt autem ejus sócii, Castrénsis, Támmarus, Rósius, Heráclius, Secundínus, Adjútor, Marcus, Augústus, Elpídius, Canion, et Vindónius.

Apud Aquínum sancti Constántii Epíscopi, prophetíæ dono, multísque virtútibus clari.

Apud Cenomános sancti Victórii Epíscopi.
In território Constantiénsi ad Aquas duras sanctæ Verénæ Vírginis.

2 Quarto Nonas Septembris. Luna. G xxij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

Albæ in Pannónia sancti Stéphani Hungarórum Regis, qui divínis virtútibus exornátus, primus Húngaros ad fidem Christi convértit, et a Deípara Vírgine ipso die Assumptiónis suæ in cœlum recéptus fuit : ejus tamen festum ex constitutióne Innocéntii Papæ undécimi hac die potíssimum recólitur, qua Budæ munitíssima arx sancti Regis ope ab exércitu Christiáno strénue recuperáta fuit.
Romæ sanctæ Máximæ Mártyris, quæ una cum sancto Ansáno Christum confessa, in persecutióne Diocletiáni, dum fústibus cæditur, réddidit spíritum.
Pámiæ in Gállia sancti Antoníni Mártyris, cujus relíquiæ in Ecclésia Palentína magna veneratióne asservántur.
Item sanctórum Mártyrum Diomédis, Juliáni, Philíppi, Eutychiáni, Hesychii, Leonídis, Philadélphi, Menalíppi et Pantágapæ : quorum álii igne, álii aqua, ense álii, et cruce martyrium complevérunt.
Nicomédiæ sanctórum Mártyrum Zenónis, Concórdii et Theodóri filiórum ejus.
Eódem die pássio sanctórum Evódii, Hermógenis, et Callístæ germanórum.
Lugdúni in Gállia natális sancti Justi Epíscopi et Confessóris, miræ sanctitátis et prophétici spíritus viri. Hic Episcopátui cedens, et in erémum Ægypti una cum Viatóre ejus lectóre secédens, cum áliquot annis próximam Angelis vitam egisset, et dignus suórum labórum finis advenísset, corónam justítiæ perceptúrus migrávit ad Dóminum prídie Idus Octóbris : cujus sanctum corpus una cum óssibus beáti Viatóris ejus minístri Lugdúnum póstea hac ipsa die delátum fuit.
Ibidem sancti Elpídii Epíscopi et Confessóris.
In Picéno item sancti Elpídii Abbátis, cujus nómine óppidum appellátum, sacrum ejus corpus se possidére congaúdet.
In monte Sorácte sancti Nonnósi Abbátis, qui oratióne sua ingéntis molis saxum tránstulit, aliísque miráculis coruscávit.

xxj. A Tertio Nonas Septembris. Luna. 3

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

Romæ sanctæ Serápiæ Vírginis, quæ sub Hadriáno Príncipe cum esset trádita duóbus lascívis juvénibus, et mínime potuísset illúdi, nec póstmodum ardéntibus fácibus inflammári, jussu Berilli Júdicis fústibus cæsa, dehinc gládio decolláta est. Passa est autem quarto Kaléndas Augústi, et a beáta Sabína in suo monuménto juxta áream Vindiciáni sepúlta; sed memória ipsíus martyrii hac die celébrior habétur, quando ambárum sarcóphagum ibi cómpositum et ornátum fuit, et locus oratiónis condigne dicátus.

Coríntlii natális sanctæ Phœbes, cujus méminit beátus Apóstolus Paulus ad Romános scribens.

Aquiléjæ sanctárum Vírginum et Mártyrum Euphémiæ, Dorótheæ, Theclæ et Erásmæ, quæ sub Neróne post multa supplícia gládio cæsæ sunt, et a sancto Hermágora sepúltæ.

Cápuæ sanctórum Mártyrum Aristæi Epíscopi, et Antoníni púeri.

Nicomédiæ pássio sanctæ Basilíssæ Vírginis et Mártyris, quæ annos novem nata, cum in persecutióne Diocletiáni sub Alexándro Præside vérbera, ignes, ac béstias divína virtúte superásset, in oratióne spíritum Deo réddidit.

Item sanctórum Mártyrum Zenónis et Charitónis, quorum alter in lebétem liquáti plumbi conjéctus est, alter in fornácem ignis immíssus.

Córdubæ sancti Sándali Mártyris.

Eódem die natális sanctórum Mártyrum Aigúlphi Abbátis Lirinénsis, et sociórum Monachórum, qui, præcísis linguis, oculísque effóssis, gládio obtruncáti sunt.

Tulli in Gállia sancti Mansuéti Epíscopi et Confessóris.

Medioláni deposítio sancti Auxáni Epíscopi.

Eódem die sancti Simeónis Stylítæ Junióris.

Romæ ordinátio incomparábilis viri sancti Gregórii Magni in Summum Pontíficem; qui onus illud subire coáctus, e sublimióri throno clarióribus sanctitátis rádiis in orbe refúlsit.

4 Prídie Nonas Septembris. Luna. B xx.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

In monte Nebo terræ Moab sancti Moysis legislatóris et Prophétæ.

Ancyræ in Galátia natális sanctórum trium puerórum Rufíni, Silváni et Vitálici Mártyrum.

Cabillóne in Gállia sancti Marcélli Mártyris sub Antoníno Imperatóre; qui cum a Præside Prisco ad profánum convívium fuisset invitátus, et hujúsmodi épulas éxecrans, omnes, qui áderant, cur idólis deservírent, libera increpatióne corríperet, ab eódem Præside inaudíto crudelitátis génere, cíngulo tenus defóssus est in terra; sicque tríduo in laúdibus Dei persevérans incontaminátum spíritum réddidit.

Eódem die sanctórum Mártyrum Magni, Casti, et Máximi.

Tréviris sancti Marcélli Epíscopi et Mártyris.

Eódem die sanctórum Thamélis, ántea idolórum sacerdótis, et sociórum Mártyrum sub Hadriáno Imperatóre.

Item sanctórum Mártyrum Theodóri, Océani, Ammiáni, et Juliáni, qui sub Maximiáno Imperatóre disséctis pédibus in ignem conjécti, martyrium consummárunt.

Arimini sancti Maríni Diáconi.

Panórmi natális sanctæ Rosáliæ Vírginis Panormitánæ, ex régio Cároli Magni sánguine ortæ, quæ pro Christi amóre patérnum principátum, aulámque profúgiens, in móntibus ac spelúncis solitária, cœléstem vitam duxit.

Neápoli in Campánia natális sanctæ Cándidæ, quæ sancto Petro ad eam urbem veniénti prima occúrrit, atque ab eo baptizáta, póstea sancto fine quiévit.

Ibídem sanctæ Cándidæ junióris, miráculis claræ.

Vitérbii beátæ Rosæ Vírginis.

5 Nonis Septembris. Luna. C xix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

Sancti Lauréntii Justiniáni primi Venetiárum Patriárchæ, qui Pontificálem Cáthedram, quam hac die invítus ascéndit, virtútum ac

miraculórum glória illustrávit : cujus natális dies sexto Idus Januárii recensétur.

Romæ in suburbáno beáti Victoríni Epíscopi et Mártyris, qui sanctitáte et miráculis clarus, sacerdótium Amiterninæ urbis, totíus pópuli electióne adéptus est : póstmodum sub Nerva Trajáno apud Cutílias, ubi puténtes et sulphúreæ emánant aquæ, cum áliis Dei servis relegátus, ab Aureliáno Júdice jussus est suspéndi cápite deórsum : quod cum per tríduum pro nómine Christi passus fuísset, glorióse coronátus, victor migrávit ad Dóminum : cujus corpus Christiáni rapiéntes, honorífica sepultúra Amitérni condidérunt.

Item in Portu Románo natális sancti Herculáni Mártyris.

Cápuæ sanctórum Mártyrum Quínctii, Arcóntii et Donáti.

Eódem die sancti Rómuli, aulæ Trajáni Præfécti, qui cum sævítiam Imperatóris in Christiános detestarétur, cæsus virgis cápite truncátus est.

Melitínæ in Arménia pássio sanctórum mílitum Eudóxii, Zenónis, Macárii, et Sociórum mille centum et quátuor, qui abjiciéntes milítiæ cíngulum, in persecutióne Diocletiáni pro confessióne Christi necáti sunt.

Constantinópoli sanctórum Mártyrum Urbáni, Theodóri, Menedémi, et Sociórum septuagintaséptem ecclesiástici órdinis, qui a Valénte Imperatóre pro fide cathólica in navígio impósiti, jussi sunt in mari combúri.

In pago Tarvanénsi, monastério Sithin, sancti Bertíni Abbátis.

Toléti sanctæ Obdúliæ Vírginis.

xviij. D Octavo Idus Septembris. Luna. 6

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

Zachariæ Prophétæ, qui de Chaldæa senex in pátriam revérsus, juxta Aggæum Prophétam cónditus jacet.

In Hellespónto sancti Onesíphori Apostolórum discípuli, cujus méminit sanctus Paulus ad Timótheum scribens, qui ibídem una cum sancto Porphyrio jussu Hadriáni Procónsulis ácriter verberátus, et a ferócibus equis raptátus, spíritum Deo réddidit.

Alexandríæ pássio sanctórum Mártyrum Fausti Presbyteri, Macárii et Sociórum decem, qui sub Décio Imperatóre et Valério Præside pro Christi nómine abscissis cervícibus martyrium complevérunt.

In Cappadócia sanctórum Mártyrum Cóttidi Diáconi, Eugénii et Sociórum.

In Africa sanctórum Episcopórum Donatiáni, Præsídii, Mansuéti,

Germáni et Fúsculi, qui in persecutióne Wandálica jussu Hunnerici Regis Ariáni pro assertióne cathólicæ veritátis fústibus dirissime cæsi, exílio elimináti sunt: inter quos étiam Epíscopus, nómine Lætus, strénuus atque doctíssimus vir, post diutúrnos cárceris squalóres incéndio concremátus est.

Verónæ sancti Petrónii Epíscopi et Confessóris.

Romæ sancti Eleuthérii Abbátis, servi Dei, quem sanctus Gregórius Papa scribit, oratióne et lácrymis mórtuum suscitásse.

7 Septimo Idus Septembris. Luna. E xvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

NICOMEDIÆ natális beáti Joánnis Mártyris, qui cum vidéret crudélia edícta advérsus Christiános in foro pendére, fídei ardóre accénsus injécta manu, illa detráxit atque discérpsit: cumque hoc relátum esset Diocletiáno et Maximiáno Augústis in eádem urbe constitútis, ómnia suppliciórum génera in eum experíri jussérunt: quæ vir nobilíssimus tanta alacritáte vultus ac spíritus pértulit, ut ne tristis quidem pro his vidéri potúerit.

Cæsaréæ in Cappadócia sancti Eupsychii Mártyris, qui sub Hadriáno Imperatóre accusátus quod Christiánus esset, in cárcerem conjéctus est: et paulo post inde emissus, patrimónium statim véndidit, et prétium partim paupéribus, partim accusatóribus tamquam benefactóribus distríbuit: sed íterum comprehénsus, sub Sapritio Júdice dilaniátus, et gládio confóssus, martyrium consummávit.

Pompejópoli in Cilícia sancti Sozóntis Mártyris, qui sub Maximiáno Imperatóre in ignem injéctus, réddidit spíritum.

Aquiléjæ sancti Anastásii Mártyris.

In território Augustodunénsi sanctæ Regínæ Vírginis et Mártyris, quæ sub Procónsule Olybrio, cárceris, equúlei, ac lampadárum perpéssa supplícia, demum capitáli senténtia damnáta, migrávit ad Sponsum.

Trecis sancti Nemórii Diáconi et Sociórum Mártyrum, quos Attila Rex Hunnórum interfécit.

Aureliánis in Gállia depositio sancti Evórtii Epíscopi, qui primo Románæ Ecclésiæ Subdiáconus, dehinc divíno múnere per colúmbam designátus est Póntifex præfátæ urbis.

In Gálliis sancti Augustális Epíscopi et Confessóris.

Cápuæ sancti Pámphili Epíscopi.

In território Parisiénsi sancti Clodoáldi Presbyteri et Confessóris.

xvj. F Sexto Idus Septembris. Luna. 8

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

Nativitas beatíssimæ semper Vírginis Genitrícis Dei Maríæ.

Nicomédiæ sancti Hadriáni Mártyris, cum áliis vigintitríbus, qui omnes post multa supplícia sub Diocletiáno et Maximiáno Augústis martyrium crurifrágio consummárunt quarto Nonas Mártii. Eórum relíquiæ a Christiánis Byzántium delátæ, reveréuti honóre sepúltæ fuérunt: inde póstea sancti Hadriáni corpus Romam hac die translátum fuit, in qua ipsíus festívitas potíssimum celebrátur.

Alexandríæ sanctórum Mártyrum Ammónis, Theóphili, Neotérii, et aliórum vigintiduórum.

Antiochíæ sanctórum Timóthei et Fausti Mártyrum.

Gazæ in Palæstína sanctórum Mártyrum Eusébii, Néstabi, et Zenónis fratrum, qui témpore Juliáni Apóstatæ, irruénte in eos turba Gentílium, discérpti atque necáti sunt.

Ibídem sancti Néstoris Mártyris, qui sub eódem Juliáno ab iísdem Gentílibus furéntibus sævíssime cruciátus emísit spíritum.

Valéntiæ in Hispánia sancti Thomæ a Villanóva Archiepíscopi, insígnis propter flagrántem in paúperes charitátem, qui ab Alexándro séptimo in Sanctórum número adscríptus est: cujus festum décimo Kaléndas Octóbris celebrátur.

Frisingæ sancti Corbiniáni primi ejúsdem civitátis Episcopi, qui a Gregório secúndo Pontífice ordinátus, et ad prædicándum Evangélium missus, úberes fructus in Gállia et Germánia rétulit, ac demum virtútibus et miráculis clarus in pace quiévit.

xv. G Quinto Idus Septembris. Luna. 9

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

Nicomediæ pássio sanctórum Mártyrum Doróthei et Gorgónii, qui apud Diocletiánum Augústum honóres amplíssimos consecúti, cum persecutiónem, quam ille Christiánis inferébat, detestaréntur, præsénte eo, jussi sunt primo appéndi, et flagris toto córpore laniári: deinde viscéribus pelle nudátis, acéto et sale perfúndi, sicque in cratícula assári,

atque ad últimum láqueo necári. Interjécto autem témpore, beáti Gorgónii corpus Romam delátum fuit, ac via Latína pósitum, et inde ad Basílicam sancti Petri translátum.

In Sabínis trigésimo ab Urbe milliário sanctórum Mártyrum Hyacínthi, Alexándri, et Tibúrtii.

Sebáste sancti Severiáni mílitis Licínii Imperatóris, qui cum quadragínta Mártyres in cárcere deténtos frequens visitáret, jussu Lysiæ Præsídis saxo ad pedes ligáto suspénsus, ac verbéribus cæsus, et flagris laniátus, in torméntis réddidit spíritum.

Eódem die pássio sancti Stratónis, qui pro Christo ad duas árbores ligátus, atque discérptus, martyrium consummávit.

Item sanctórum Mártyrum Rufíni et Rufiniáni fratrum.

Romæ sancti Sérgii Papæ et Confessóris.

In território Tarvanénsi sancti Audomári Episcopi.

In Scótia sancti Queráni Abbátis.

10 Quarto Idus Septembris. Luna. A xiv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

Tolentini in Picéno depositio sancti Nicolái Confessóris, Ordinis Eremitárum sancti Augustíni.

In Africa natális sanctórum Episcopórum Nemesiáni, Felícis, Lúcii, altérius item Felícis, Littéi, Polyáni, Victóris, Jadéris, Datívi, et aliórum, qui sub Valeriáno et Galliéno, exurgénte persecutiónis rábie, ad primam confessiónis Christi constántiam gráviter fústibus cæsi, deínde compédibus vincti, et ad fodiénda metálla deputáti, gloriósæ confessiónis agónem consummárunt.

Chalcédone sanctórum Mártyrum Sósthenis et Victóris, qui in persecutióne Diocletiáni sub Prisco Asiæ Procónsule, post víncula et béstias superátas jussi sunt incéndi: at illi salutántes se ínvicem in ósculo sancto, in oratióne pósiti spíritum emisérunt.

In Bithynia sanctárum Vírginum Menodóræ, Metrodóræ, et Nymphodóræ sorórum, quæ sub Maximiáno Imperatóre et Frontóne Præside martyrio coronátæ, pervenérunt ad glóriam.

Item sanctórum Mártyrum Apéllii, Lucæ, et Cleméntis.

Leódii in Bélgio sancti Theodárdi Episcopi et Mártyris, qui ánimam suam pósuit pro óvibus suis, et post mortem miraculórum grátia illúxit.

Romæ beáti Hilárii Papæ et Confessóris.

Compostéllæ sancti Petri Epíscopi, qui multis virtútibus et miráculis cláruit.
In civitáte Albigénsi sancti Sálvii Epíscopi et Confessóris.
Nováriæ sancti Agápii Epíscopi.
Constantinópoli sanctæ Pulchériæ Augústæ Vírginis, religióne et pietáte insígnis.

xiij. B Tertio Idus Septembris. Luna. 11

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

Romæ via Salária véteri in cœmetério Basíllæ natális sanctórum Mártyrum Proti et Hyacínthi fratrum eunuchórum beátæ Eugéniæ : qui sub Galliéno Imperatóre deprehénsi quod essent Christiáni, sacrificáre cogúntur : sed non consentiéntes, primo duríssime verberáti sunt, ac tandem páriter decolláti.
Laodicéæ in Syria pássio sanctórum Diodóri, Diomédis, et Dídimi.
Legióne in Hispánia sancti Vincéntii Abbátis et Mártyris.
In Ægypto sancti Paphnútii Epíscopi, qui unus fuit ex iis Confessóribus, qui sub Galério Maximíno Imperatóre, dextro óculo effósso, et sinístro póplite excíso, ad metálla damnáti fuérunt : deínde sub Constantíno Magno advérsus Ariános pro fide cathólica strénue decertávit, et demum multis corónis auctus in pace quiévit.
Lugdúni depositio sancti Patiéntis Epíscopi.
Vercéllis sancti Æmiliáni Epíscopi.
Alexandríæ sanctæ Theodóræ, quæ cum incaúte deliquísset, facti pœnitens, mira abstinéntia et patiéntia in hábitu sancto incógnita perseverávit usque ad mortem.

xij. C Pridie Idus Septembris. Luna. 12

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

Commemoratio, Si autem Dominica infra Octavam Nativitatis inciderit in hanc diem, ejus loco dicatur (Festivitas) sanctíssimi Nóminis beátæ Vírginis Maríæ, quam Innocéntius Undécimus Póntifex Máximus ob insígnem victóriam ipsíus Vírginis præsídio de Turcis Viénnæ in Aústria reportátam celebrári jussit.

Alexandriæ natális sanctórum Mártyrum Hierónidis, Leóntii, Scrapiónis, Selésii, Valeriáni et Stratónis, qui sub Maximíno Imperatóre ob Christi nóminis confessiónem in mare sunt demérsi.
In Bithynia sancti Autónomi Epíscopi et Mártyris, qui ex Itália, Diocletiáni persecutiónem declínans, illuc proféctus, cum plúrimos convertisset ad fidem, a furéntibus Gentílibus, dum sacra Mystéria perágeret, ad altáre mactátus, hóstia Christi efféctus est.
Meri in Phrygia pássio sanctórum Mártyrum Macedónii, Theodúli et Tatiáni, qui sub Juliáno Apóstata ab Almáchio Præside post ália torménta super crates férreas ignítas pósiti, exultántes martyrium complevérunt.
Icónii in Lycaónia sancti Curónoti Epíscopi, qui sub Perénnio Præside cápite truncátus, martyrii palmam accépit.
Apud Ticínium sancti Juvéntii Epíscopi, de quo sexto Idus Februárii. Is a beáto Hermágora, discípulo sancti Marci Evangelístæ, ad eam urbem una cum sancto Syro diréctus est : et ambo illic Christi Evangélium prædicántes, et magnis virtútibus ac miráculis coruscántes, étiam vicinas urbes divínis opéribus illustrárunt, sicque in pontificáli honóre, glorióso fine quievérunt in pace.
Lugdúni depositio sancti Sacerdótis Epíscopi.
Verónæ sancti Silvíni Epíscopi.
Anderláci sancti Guidónis Confessóris.

13 Idibus Septembris. Luna. D xj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

Alexandriæ natális beáti Philippi, patris sanctæ Eugéniæ Vírginis. Hic dignitátem Præfectúræ Ægypti déserens, Baptísmi grátiam assecútus est : quem in oratióne constitútum jussit Teréntius Præféctus ejus succéssor gládio jugulári.
Item sanctórum Mártyrum Macróbii et Juliáni, qui sub Licínio passi sunt.
Eódem die sancti Ligórii Mártyris, qui in erémo degens, a Gentílibus ob Christi fidem necátus est.
Alexandriæ sancti Eulógii Epíscopi, doctrína et sanctitáte célebris.
Andégavi in Gállia sancti Maurílii Epíscopi, qui innúmeris miráculis cláruit.
Apud Sénonas sancti Amáti Epíscopi et Confessóris.
Ipso die sancti Venérii Confessóris, admirándæ sanctitátis viri, qui in ínsula Palmária vitam eremíticam duxit.

In monastério Romárico in Gállia sancti Amáti Presbyteri et Abbátis, abstinéntia et miraculórum grátia illústris.

x. E Decimooctavo Kalendas Octobris. Luna. 14

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

Exaltatio sanctæ Crucis, quando Heraclíus Imperátor, Chósroa Rege devicto, eam de Pérside Jerosólymam reportávit.
Romæ via Appia beáti Cornélii Papæ et Mártyris, qui in persecutióne Décii post exilii relegatiónem jussus est plumbátis cædi, et sic cum áliis viginti et uno promíscui sexus decollári. Sed et Cæreális miles cum Sallústia uxóre sua, quos idem Cornélius in fide instrúxerat, eódem die cápite plexi sunt.
In Africa pássio sancti Cypriáni Epíscopi Carthaginénsis, sanctitáte et doctrina clarissimi : qui sub Valeriáno et Gallиéno Princípibus post durum exílium detruncatióne cápitis martyrium consummávit sexto milliário a Carthágine juxta mare. Eorúmdem vero sanctórum Cornélii et Cypriáni memória sextodécimo Kaléndas Octóbris festive celebrátur.
Passi sunt étiam ibídem sancti Mártyres Crescentiánus, Victor, Rósula, et Generális..
Romæ sancti Crescéntii púeri, fílii sancti Euthymii, qui in persecutióne Diocletiáni sub Turpílio Júdice via Salária gládio percússus occúbuit.
Tréviris sancti Matérni Episcopi, discípuli beáti Petri Apóstoli, qui Tungrénses, Coloniénses, et Treviránses, aliósque finítimos pópulos ad Christi fidem perdúxit.
Eódem die natális sancti Joánnis Chrysóstomi Episcopi Constantinopolitáni, qui inimicórum factióne in exílium ejéctus, cum Innocéntii primi Summi Pontíficis decréto inde revocarétur, in itínere a custodiéntibus milítibus multa mala perpéssus, ánimam Deo réddidit : ejus tamen festívitas sexto Kaléndas Februárii celebrátur, qua die sacrum ipsíus corpus a Theodósio Junióre Constantinópolim fuit translátum.

ix. F Decimoseptimo Kalendas Octobris. Luna. 15

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

Octava Nativitátis beátæ Maríæ Vírginis.
Romæ via Nomentána natális beáti Nicomédis Presbyteri et Mártyris;

qui cum díceret compelléntibus se sacrificáre : Ego non sacrífico nisi Deo omnipoténti, qui regnat in cœlis : plumbátis diutíssime cæsus migrávit ad Dóminum.

In território Cabilonénsi sancti Valeriáni Mártyris, quem Priscus Præses suspénsum, et gravi ungulárum laceratióne cruciátum, cum in Christi confessióne vidéret immóbilem, ac læto ánimo in ejus laúdibus permanéntem, gládio animadvérti præcépit.

Marcianópoli in Thrácia sanctæ Melitínæ Mártyris, quæ sub Antoníno Imperatóre et Antiocho Præside ad Gentílium fana semel et íterum ducta, cum idóla semper corrúerent, suspénsa et laniáta, ac demum cápite plexa est.

Hadrianópoli sanctórum Mártyrum Máximi, Theodóri et Asclepiódoti, qui sub Maximiáno Imperatóre coronáti sunt.

Item sancti Porphyrii mimi, qui coram Juliáno Apóstata per jocum baptísmum suscípiens, Dei virtúte derepénte mutátus, Christiánum se esse proféssus est; ac mox, jubénte eo, secúri percússus, martyrio coronátur.

Eódem die sancti Nicétæ Gothi, qui ab Athanarico Rege ob cathólicam fidem jussus est igne combúri.

Córdubæ sanctórum Mártyrum Emilæ Diáconi et Jeremíæ, qui in persecutióne Arábica post longam cárceris maceratiónem, cervícibus pro Christo abscíssis, martyrium complevérunt.

Tulli in Gállia sancti Apri Epíscopi.

Item sancti Leobíni Epíscopi Carnuténsis.

Lugdúni sancti Albíni Epíscopi.

Eódem die depositio sancti Aichárdi Abbátis.

In Gállia sanctæ Eutrópiæ Víduæ.

16 Sextodecimo Kalendas Octobris. Luna. G viij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

SANCTORUM Cornélii et Cypriáni Pontíficum et Mártyrum, quorum natális decimooctávo Kaléndas Octóbris recólitur.

Chalcédone natális sanctæ Euphémiæ Vírginis et Mártyris, quæ sub Diocletiáno Imperatóre et Prisco Procónsule, torménta, cárceres, vérbera, arguménta rotárum, ignes, póndera lápidum, béstias, plagas virgárum, serras acútas, sartágines ignitas pro Christo superávit : sed rursus in theátrum ad béstias ducta, cum orásset ad Dóminum, ut jam spíritum suum susciperet, una ex iis morsum sancto córpori infigénte, céteris pedes ejus lambéntibus, immaculátum spíritum Deo réddidit.

Romæ sanctórum Mártyrum Lúciæ nóbilis matrónæ et Geminiáni, quos Diocletiánus Imperátor pœnis gravíssimis afflictos, diúque tortos, tandem post laudábilem martyrii victóriam gládio animadvérti præcépit.
Item Romæ via Flamínia sanctórum Mártyrum Abúndii Presbyteri et Abundántii Diáconi, quos Diocletiánus Imperátor una cum Marciáno viro illústri, et Joánne ejus fílio, quem illi a mórtuis suscitáverant, décimo ab Urbe lápide gládio feríri jussit.
Heracléæ in Thrácia sanctæ Sebastiánæ Mártyris, quæ a beáto Paulo Apóstolo ad Christi fidem perdúcta, sub Domitiáno Imperatóre et Sérgio Præside váriis modis tentáta, gládio tandem cæsa est.
Córdubæ sanctórum Mártyrum Rogélli et Servidéi, qui mánibus pedibúsque abscíssis, ad último decolláti sunt.
In Scótia sancti Niniáni Epíscopi et Confessóris.
In Anglia sanctæ Edithæ Vírginis, Edgári Anglórum Regis fíliæ, quæ in monastério a téneris annis Deo dicáta, sæculum hoc ignorávit pótius quam relíquit.

xvij. A Quintodecimo Kalendas Octobris. Luna. 17

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 23 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

COMMEMORATIO Impressiónis sacrórum Stigmatum, quibus sanctus Franciscus Ordinis Minórum institútor, in suis mánibus, pédibus, et látere, mira Dei grátia in monte Alvérniæ in Etrúria impréssus fuit.
Romæ via Tiburtína natális sancti Justíni Presbyteri et Mártyris, qui in persecutióne Valeriáni et Galliéni, confessiónis glória fuit insígnis. Hic beáti Xysti Pontíficis, Lauréntii, Hippólyti, aliorúmque plurimórum Sanctórum córpora sepelívit, ac demum sub Claúdio martyrium consummávit.
Item Romæ sanctórum Mártyrum Narcíssi et Crescentiónis.
In Phrygia sanctæ Ariádnæ Mártyris sub Hadriáno Imperatóre.
In Británnia sanctórum Mártyrum Sócratis et Stéphani.
Noviodúni sanctórum Mártyrum Valeriáni, Macríni, et Gordiáni.
Augustodúni sancti Flocélli púeri, qui sub Antoníno Imperatóre et Valeriáno Præside multa passus, demum a feris discérptus, martyrii corónam adéptus est.
Apud Leódium beáti Lambérti Epíscopi Trajecténsis, qui cum régiam domum zelo religiónis increpásset, a nocéntibus ínnocens occísus, aulam regni cœléstis perpétuo victúrus intrávit.

Cæsaraugústæ in Hispánia beáti Petri de Arbues primi in Arragóniæ regno fidei Quæsitóris, qui a relápsis Judæis ob eámdem, quam pro múnere suo strénue tuebátur, cathólicam fidem immániter trucidátus, martyrii palmam accépit.

Eódem die sanctæ Agathócliæ ancíllæ cujúsdam mulíeris infidélis, quæ longo témpore verbéribus, aliísque ærúmnis ab ea vexáta, ut Christum negáret, obláta demum Júdici et sævius laniáta, cum in confessióne fidei persísteret, excísa lingua, in ignem projécta est.

Córdubæ sanctæ Colúmbæ Vírginis et Mártyris.

Medioláni depositio sancti Sátyri Confessóris, cujus insígnia mérita sanctus Ambrósius ejus frater commémorat.

Romæ sanctæ Theodóræ matrónæ, quæ in persecutióne Diocletiáni sanctis Martyribus sédulo ministrábat.

Apud Bingiam in diœcési Moguntinénsi sancti Hildegárdis Vírginis.

18 Quartodecimo Kalendas Octobris. Luna. B vj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

Auximi sancti Joséphi a Cupertíno Confessóris Ordinis Minórum Conventuálium, quem Clemens Tertiusdécimus in Sanctórum númerum rétulit.

Eódem die natális sancti Methódii, Olympii, Lyciæ, et póstea Tyri Epíscopi, sermónis nitóre ac doctrina claríssimi : qui ad extrémum novíssimæ persecutiónis (ut scribit sanctus Hierónymus) in Chálcide Græciæ martyrio coronátus est.

In território Viennénsi sancti Ferréoli Mártyris, qui cum esset tribunítiæ potestátis, jussu Crispíni impiíssimi Præsidis tentus, et primo crudelíssime verberátus, deinde gravi catenárum póndere onústus, in teterrimum cárcerem trusus est; unde solútis Dei nutu vínculis, et jánuis cárceris patefáctis, éxiens, ab insequéntibus íterum captus, martyrii palmam cápitis obtruncatióne percépit.

Item sanctárum Mártyrum Sophíæ et Irénes.

Medioláni sancti Eustórgii primi Epíscopi, testimónio beáti Ambrósii célebris.

Gortynæ in Creta sancti Euméni Epíscopi et Confessóris.

v. C Tertiodecimo Kalendas Octobris. Luna. 19

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

PUTEOLIS in Campánia sanctórum Mártyrum Januárii Beneventánæ civitátis Epíscopi, Festi ejus Diáconi, et Desidérii Lectóris, Sósii Diáconi Ecclésiæ Misenátis, Próculi Diáconi Puteoláni, Eutychii et Acútii, qui post víncula et cárceres cápite cæsi sunt sub Diocletiáno Príncipe : corpus sancti Januárii Neápolim fuit delátum, atque honorífice in Ecclésia tumulátum : ubi étiam beatíssimi Mártyris sanguis in ampúlla vítrea adhuc servátur, qui in conspéctu cápitis illíus pósitus, velut recens liquéscere et ebullíre conspícitur.

Nucériæ natális sanctórum Mártyrum Felícis et Constántiæ, qui passi sunt sub Neróne.

In Palæstína sanctórum Mártyrum Pélei, Nili et Elíæ Episcopórum Ægypti, qui témpore persecutiónis Diocletiáni cum plúrimis Cléricis pro Christo igne consúmpti sunt.

Eódem die sanctórum Mártyrum Tróphimi, Sabbátii et Dorymedóntis sub Probo Imperatóre : quorum Sabbátius Antiochíæ jussu Attici Præsidis támdiu flagris cæsus est, donec emítteret spíritum : Tróphimus vero Synnadam ad Perénnium Præsidem missus, post multos cruciátus cum Dorymedónte Senatóre cápitis decollatióne martyrium consummávit.

Córdubæ in persecutióne Arábica sanctæ Pompósæ Vírginis et Mártyris.

Cantuáriæ sancti Theodóri Epíscopi, qui a Vitaliáno Papa in Angliam missus, doctrína et sanctitáte refúlsit.

Curónis sancti Eustóchii Epíscopi, magnárum virtútum viri.

In território Lingoniénsi sancti Sequáni Presbyteri et Confessóris.

Barcinóne in Hispánia beátæ Maríæ de Cervellióne Vírginis, Ordinis sanctæ Maríæ de Mercéde, quæ ob præséntem eam invocántibus opem, María de Subsídio vulgo nuncupátur.

iv. D Duodecimo Kalendas Octobris. Luna. 20

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

VIGILIA sancti Matthæi Apóstoli et Evangelístæ.

Romæ pássio sanctórum Mártyrum Eustáchii et Theopístis uxóris

ejus, cum duóbus fíliis Agapíto et Theopísto, qui sub Hadriáno Imperatóre damnáti ad béstias, sed Dei ope ab iis nil læsi, in bovem æneum candéntem inclúsi, martyrium consummárunt.

Cyzici in Propóntide natális sanctórum Mártyrum Faustæ Vírginis et Evilásii, sub Maximiáno Imperatóre : quorum Fausta ab eódem Evilásio idolórum sacerdóte decalváta, et ad turpitúdinem rasa, suspénsa et torta est : deinde cum vellet eam médiam secáre, et carnífices lædere non valérent, stupens Evilásius, in Christum crédidit; et dum ipse étiam Imperatóris jussu fórtiter torquerétur, Fausta cápite terebráta, clavis toto córpore confíxa, et sartágini ignítæ impósita, cum eódem, voce de cœlo vocáta, transívit ad Dóminum.

In Phrygia sanctórum Mártyrum Dionysii et Priváti.

Item sancti Prisci Mártyris, qui punctim pugiónibus transverberátus, cápite plexus est.

Perge in Pamphylia sanctórum Theodóri, et Philíppæ matris ejus, ac Sociórum Mártyrum sub Antoníno Imperatóre.

Carthágine sanctæ Cándidæ Vírginis et Mártyris, quæ sub Maximiáno Imperatóre plagis toto córpore dilaceráta, martyrio coronátur.

Item sanctæ Mártyris Susánnæ fíliæ Arthémii idolórum sacerdótis et Marthæ.

Eódem die sancti Agapíti Papæ, cujus sanctitátem beátus Gregórius Magnus commémorat.

Medioláni sancti Clicérii Epíscopi et Confessóris.

**21** Undecimo Kalendas Octobris. Luna. **E** iij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

NATALIS sancti Matthæi Apóstoli et Evangelístæ, qui in Æthiópia prædicans, martyrium passus est. Hujus Evangélium hebræo sermóne conscríptum, ipso revelánte, invéntum est, una cum córpore beáti Bárnabæ Apóstoli, témpore Zenónis Imperatóris.

In terra Saar sancti Jónæ Prophétæ, qui sepúltus est in Geth.

Romæ sancti Pámphili Mártyris.

Item via Claúdia, vigésimo ab urbe milliário, pássio sancti Alexándri Epíscopi, qui sub Antoníno Imperatóre pro fide Christi víncula, fustes, equúlcum, lámpades ardéntes, ungulárum laniatiónem, béstias, ac fornácis súperans flammas, tandem gládio cæsus, vitam adéptus est gloriósam.

Ejus corpus póstea beátus Dámasus Papa in Urbem tránstulit sexto Kaléndas Decémbris, quo die festivitátem illíus celebrándam instítuit.
In Phœnícia sancti Eusébii Mártyris, qui ultro Præféctum ádiens, et se Christiánum esse denúncians, ab eo multis torméntis afflictus, cápite cæsus est.
In Cypro sancti Isácii Epíscopi et Mártyris.
Ibídem sancti Melétii Epíscopi et Confessóris.
In Æthiópia sanctæ Iphigéniæ Vírginis, quæ a beáto Matthæo Apóstolo baptizáta, et Deo dicáta, sancto fine quiévit.

ij. F Decimo Kalendas Octobris. Luna. 22

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

VALENTIÆ in Hispánia sancti Thomæ a Villanóva Archiepíscopi, et Confessóris, cujus natális recólitur sexto Idus Septémbris.
Sedúni in Gállia in loco Agaúno, natális sanctórum Mártyrum Thebæórum, Maurítii, Exupérii, Cándidi, Victóris, Innocéntii, et Vitális, cum sóciis ejúsdem legiónis, qui sub Maximiáno pro Christo necáti, gloriósa passióne mundum illustrárunt.
Romæ pássio sanctárum Vírginum et Mártyrum Dignæ et Eméritæ sub Valeriáno et Galliéno : quarum relíquiæ in Ecclésia sancti Marcélli asservántur.
Apud pagum Castrénsium sancti Jonæ Presbyteri et Mártyris, qui cum sancto Dionysio proféctus in Gálliam, jussu Juliáni Præfécti verbéribus cæsus, gládio martyrium consummávit.
Ratisbónæ in Bavária sancti Emmerámi Epíscopi et Mártyris, qui ut álios liberáret, mortem sævíssimam Christi causa patiénter súbiit.
Antinoópoli in Ægypto sanctæ Iraídis Vírginis Alexandrínæ, et Sociórum Mártyrum : quæ ad hauriéndam e próximo fonte aquam egréssa, cum vidísset navim confessóribus Christi onústam, relícta hydria prótinus se illis adjúnxit, ac simul cum iis in urbem ducta, prima ómnium, post multa supplícia, cápite cæsa est, deínde Presbyteri, Diáconi, et Vírgines, aliíque omnes eódem mortis génere consúmpti sunt.
Apud civitátem Meldénsem beáti Sanctíni Epíscopi, discípuli sancti Dionysii Areopagítæ, qui ejúsdem civitátis Epíscopus ab eo consecrátus, primus illic Evangélium prædicávit.
In território Constantiénsi sancti Lautónis Epíscopi.
In pago Pictaviénsi sancti Floréntii Presbyteri.
In território Bituricénsi sancti Silváni Confessóris.
Laudúni sanctæ Salabérgæ Abbatíssæ.

23 Nono Kalendas Octobris. Luna. G j.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

ROMÆ sancti Lini Papæ et Mártyris, qui primus post beátum Petrum Apóstolum Románam Ecclésiam gubernávit, et martyrio coronátus, sepúltus est in Vaticáno prope eúmdem Apóstolum.

Icónii in Lycaónia sanctæ Theclæ Vírginis et Mártyris, quæ a sancto Paulo Apóstolo ad fidem perdúcta, sub Neróne Imperatóre in confessióne Christi ignes ac béstias devícit, et post plúrima ad doctrínam multórum superáta certámina, Seleucíam véniens, ibi requiévit in pace: quam sancti Patres summis laúdibus celebrárunt.

In Campánia commemorátio beáti Sósii Diáconi Misenátis, quem sanctus Episcopus Januárius, cum de illíus cápite, Evangélium in Ecclésia legéntis, flammam vidéret exúrgere, mártyrem futúrum prænuntiávit: et non post multos dies, cum ipse esset annórum trigínta, martyrium cum eódem Epíscopo cápitis detruncatióne suscépit.

In Africa sanctórum Mártyrum Andréæ, Joánnis, Petri, et Antónii.

In território Constantiénsi sancti Patérni Epíscopi et Mártyris.

Ancónæ sancti Constántii Ecclésiæ Mansionárii, miraculórum grátia conspícui.

In Hispánia sanctárum mulierum Xantíppæ, et Polyxénæ, quæ fuérunt Apostolórum discípulæ.

24 Octavo Kalendas Octobris. Luna. A*

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

FESTUM beátæ Maríæ Vírginis de Mercéde.

Augustodúni natális sanctórum Mártyrum Andóchii Presbyteri, Thyrsi Diáconi, et Felícis, qui a beáto Polycárpo Smyrnénsi Epíscopo ab Oriénte diřécti ad docéndam Gálliam, ibídem flagéllis duríssime cæsi, ac tota die invérsis mánibus suspénsi, et in ignem missi, sed non combústi, tandem véctibus eórum colla feriúntur, et ita gloriosíssime coronántur.

In Ægypto pássio sanctórum Paphnútii et Sociórum Mártyrum. Is vitam in solitúdine agens, cum audíret multos Christiános in vínculis

retinéri, divíno spíritu cóncitus, sponte Præfécto se offert, et Christiánam religiónem libere profitétur : a quo primum caténis férreis constríngitur, et in equúleo diutíssime torquétur : deínde cum áliis plúrimis ad Diocletiánum mittitur, cujus jussu ipse palmæ affígitur, céteri autem ferro necántur.

Chalcédone sanctórum quadragintanóvem Mártyrum, qui post martyrium sanctæ Euphémiæ sub Diocletiáno Imperatóre damnáti ad béstias, et ab iis divínitus liberáti, demum gládio percússi migravérunt in cœlum.

In Pannónia sancti Gerárdi Epíscopi et Mártyris, Hungarórum Apóstoli nuncupáti, patrícii Véneti, qui primus pátriam nóbili martyrio illustrávit.

Arvérnis depositio sancti Rústici Epíscopi et Confessóris.

In território Belvacénsi sancti Geremári Abbátis.

xxix. B Septimo Kalendas Octobris. Luna. 23

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |

In castéllo Emmaus natális beáti Cléophæ Christi discípuli, quem tradunt in eádem domo, in qua mensam Dómino paráverat, pro confessióne illíus a Judæis occísum, et gloriósa memória sepúltum.

Romæ sancti Herculáni mílitis et Mártyris, qui miráculis in passióne beáti Alexándri Epíscopi ad Christum convérsus, sub Antoníno Imperatóre post multa torménta gládio cæsus est.

Ambiáni in Gállia beáti Firmíni Epíscopi, qui in persecutióne Diocletiáni sub Rictiováro Præside, post vária torménta, cápitis decollatióne martyrium sumpsit.

Damásci sanctórum Mártyrum Pauli et Tattæ ejus cónjugis, ac Sabiniáni, Máximi, Rufi et Eugénii filiórum : qui Christiánæ religiónis accusáti, verbéribus, aliísque supplíciis torti, ánimas Deo reddidérunt.

In Asia pássio sanctórum Bardomiáni, Eucárpi, et aliórum vigintisex Mártyrum.

Eódem die sancti Anathalónis Epíscopi, qui beáti Bárnabæ Apóstoli discípulus, in ejus locum Ecclésiæ Mediolanénsis Epíscopus succéssit.

Lugdúni depositio sancti Lupi Epíscopi ex Anachoréta.

Antisiodóri sancti Anachárii Epíscopi et Confessóris.

Blesis sancti Solémnii Epíscopi Carnuténsis, miráculis clari.

Eódem die sancti Princípii Suessionénsis Epíscopi, fratris beáti Remígii Epíscopi.

Anágniæ sanctárum Vírginum Aurélíæ et Neomísiæ.

Septémpede in Picéno depósitio sancti Pacífici a sancto Severíno Confessóris Ordinis Minórum sancti Francísci de Observántia Reformatórum, exímiæ patiéntiæ, et solitúdinis amóre illústris, quem Gregórius Papa Decimusséxtus in Sanctórum Cánonem rétulit.

26 Sexto Kalendas Octobris. Luna. C xxviij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |

Nicomediæ natális sanctórum Mártyrum Cypriáni et Justínæ Vírginis, quæ sub Diocletiáno Imperatóre et Euthólmio Præside multa pro Christo perpéssa, ipsum quoque Cypriánum, qui erat magus, et suis mágicis ártibus eam dementáre conabátur, convértit ad Christum : cum quo póstea martyrium sumpsit. Horum córpora feris objécta, noctu quidam nautæ Christiáni rapuérunt, et Romam detulérunt : quæ póstmodum in Basílicam Constantiniánam transláta, prope Baptistérium cóndita sunt.

Romæ sancti Callístrati Mártyris, et aliórum quadragintanóvem Mílitum, qui in persecutióne Diocletiáni, cum Callístratus insútus cúleo, et in mare demérsus, Dei ope evasísset incólumis, convérsi ad Christum, cum eo páriter martyrium subiérunt.

Item Romæ sancti Eusébii Papæ.

Bonóniæ item sancti Eusébii Epíscopi et Confessóris.

Brixiæ sancti Vigílii Epíscopi.

Albáni sancti Senatóris.

In agro Tusculáno beáti Mili Abbátis, Fundatóris monastérii Cryptæ ferrátæ, magnæ sanctitátis viri.

Tiférni sancti Amántii Presbyteri, grátia miraculórum illústris.

27 Quinto Kalendas Octobris. Luna. D xxvij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |

Ægeæ natális sanctórum Mártyrum Cosmæ et Damiáni fratrum, qui in persecutióne Diocletiáni post multa torménta, víncula, et cárceres, post mare, et ignes, cruces, lapidatiónem, et sagittas divínitus superátas, cápite plectúntur : cum quibus étiam referúntur passi tres eórum frátres germáni, Anthimus, Leóntius et Euprépius.

Romæ sanctæ Epicharídis mulíeris senatóriæ, quæ in eádem persecutióne plumbátis cæsa, gládio percússa est.

Tudérti sanctórum Mártyrum Fidéntii et Teréntii, sub eódem Diocletiáno.

Córdubæ sanctórum Mártyrum Adúlphi et Joánnis fratrum, qui in persecutióne Arábica pro Christo coronáti sunt.

Sedúni in Gállia sancti Florentíni Mártyris, qui una cum beáto Hilário post abscissiónem linguæ jussus est gládio feríri.

Bybli in Phœnícia sancti Marci Epíscopi, qui et Joánnes a beáto Luca nominátur.

Medioláni sancti Caji Epíscopi, discípuli beáti Bárnabæ Apóstoli, qui multa in persecutióne Nerónis passus, in pace quiévit.

Ravénnæ sancti Aderiti Epíscopi et Confessóris.

Parísiis sancti Vincéntii a Paulo Sacerdótis, et Fundatóris Congregatiónis Missiónis, et Puellárum charitátis, viri apostólici, et paúperum patris; cujus festum quartodécimo Kaléndas Augústi celebrátur.

Ibídem sancti Eleázari Cómitis.

In Hannónia sanctæ Hiltrúdis Vírginis.

25. xxvj. E Quarto Kalendas Octobris. Luna. 28

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

In Bohémia sancti Wenceslái Ducis Bohemórum et Mártyris, sanctitáte et miráculis glorióśi, qui in domo fratris sui necátus, victor pervénit ad palmam.

Romæ sancti Priváti Mártyris, qui ulcéribus plenus, a beáto Callísto Papa sanátus, inde sub Alexándro Imperatóre ob Christi fidem plumbátis cæsus est usque ad mortem.

Ibidem sancti Stáctei Mártyris.

In Africa sanctórum Mártyrum Martiális, Lauréntii, et aliórum vigínti.

Antiochíæ Pisídiæ sanctórum Mártyrum Marci pastóris óvium, Alphii, Alexándri et Zósimi ejus fratrum, Nicónis, Neónis, Peliodóri, et trigínta Mílitum, qui ad mirácula beáti Marci credéntes in Christum, divérsis in locis, variísque modis martyrio coronáti sunt.

Eódem die pássio sancti Máximi sub Décio Imperatóre.

Tolósæ sancti Exupérii Epíscopi et Confessóris, qui beátus vir quantum sibi extíterit parcus, quantúmque áliis largus, sanctus Hierónymus relátu prosecútus est memorábili.

Génuæ sancti Salomónis Epíscopi et Confessóris.
Brixiæ sancti Silvíni Epíscopi.
Eódem die sanctæ Eustóchii Vírginis, fíliæ beátæ Paulæ, quæ ad Præsépe Dómini cum áliis virgínibus enutríta, præcláris méritis fulgens migrávit ad Dóminum.
In Germánia sanctæ Líobæ Vírginis, miráculis claræ.

29 Tertio Kalendas Octobris. Luna. F xxv. xxiv.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

In monte Gargáno venerábilis memória beáti Michaélis Archángeli, quando ipsíus nómine ibi consecráta fuit Ecclésia, vili quidem facta schémate, sed cœlésti prædita virtúte.
In Thrácia natális sanctórum Mártyrum Eutychii, Plauti, et Heracléæ.
In Pérside sanctæ Gudéliæ Mártyris, quæ cum plúrimos convertísset ad Christum, ac solem et ignem adoráre noluísset, sub Sápore Rege post multa torménta, cute cápitis detrácta, ligno affíxa méruit obtinére triúmphum.
Ibídem sanctórum Mártyrum Dadæ, Sáporis Regis consanguínei, Cásdoæ uxóris, et Gabdélæ fílii, qui honóribus spoliáti, ac váriis torméntis dilaniáti, post longos cárceres gládio sunt animadvérsi.
In Arménia sanctárum Vírginum Rípsimis et Sociárum Mártyrum sub Tiridáte Rege.
Antisiodóri sancti Fratérni Epíscopi et Mártyris.
In Pontecúrvo apud Aquínum sancti Grimoáldi Presbyteri et Confessóris.
In Palæstína sancti Quiríaci Anachorétæ.

30 Pridie Kalendas Octobris. Luna. G xxiij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

In Béthlehem Judæ depositio sancti Hierónymi Presbyteri, et Ecclésiæ Doctóris, qui ómnium stúdia litterárum adéptus, ac probatórum Monachórum imitátor factus, multa hæresum monstra gládio suæ doctrínæ confódit : demum cum ad decrépitam usque vixísset ætátem, in

pace quiévit, sepultúsque est ad Præsépe Dómini : cujus corpus póstea Romam delátum, in Basílica sanctæ Maríæ Majóris cónditum fuit.

Eódem die sancti Leopárdi Mártyris, ex domésticis Juliáni Apóstatæ, cui caput Romæ amputátum fuit, et corpus ejus Aquisgránum postea translátum.

Solodóri in Gállia pássio sanctórum Mártyrum Victóris et Ursi ex gloriósa legióne Thebæórum, qui primo sub Maximiáno Imperatóre diris supplíciis cruciáti, sed cœlésti super eos lúmine coruscánte, ruéntibus in terram minístris, erépti : deínde in ignem missi, sed in nullo pœnitus læsi, novíssime gládio consummáti sunt.

Placéntiæ sancti Antoníni Mártyris ex eádem Legióne.

Eódem die sancti Gregórii Epíscopi magnæ Arméniæ, qui sub Diocletiáno multa passus, tandem in pace quiévit.

Cantuáriæ in Anglia sancti Honórii Epíscopi et Confessóris.

Romæ natális sancti Francísci Bórgiæ Societátis Jesu, de quo sexto Idus Octóbris festum celebrátur.

Ibídem sanctæ Sophíæ Víduæ, matris sanctárum Vírginum Fídei, Spei, et Charitátis.

# OCTOBER.

1 Kalendas Octobris. Luna. A xxij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

REMIS in Gállia sancti Remígii Epíscopi et Confessóris, qui gentem Francórum convértit ad Christum, Clodovéo ipsórum Rege sacro fonte baptísmatis, et fídei sacraméntis initiáto: et cum annos plúrimos in Episcopátu explésset sanctitáte et miraculórum virtúte conspícuus decéssit e vita Idibus Januárii: ejus tamen festívitas hac die recólitur, qua sacrum ipsíus corpus póstea fuit translátum.

Romæ beáti Arétæ Mártyris, et aliórum quingentórum quátuor.

Tomis in Ponto sanctórum Mártyrum Prisci, Crescéntis, et Evágrii.

Ulyssipóne in Lusitánia sanctórum Mártyrum Veríssimi, Máximæ et Júliæ sorórum ejus, qui in persecutióne Diocletiáni passi sunt.

Tornáci sancti Piatónis Presbyteri et Mártyris, qui cum beáto Quinctíno ejúsque sóciis ab urbe Roma in Gálliam prædicatiónis causa perréxit, ac póstea in persecutióne Maximiáni consummáto martyrio migrávit ad Dóminum.

Thessalonícæ sancti Domníni Mártyris, sub eódem Maximiáno.

In Portu Gandæ sancti Bavónis Confessóris.

Urbe Véteri sancti Sevéri Presbyteri et Confessóris.

2 Sexto Nonas Octobris. Luna. B xxj.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

FESTUM sanctórum Angelórum Custódum.

Nicomédiæ sancti Eleuthérii mílitis et Mártyris, cum áliis innúmeris: qui, cum Diocletiáni régia incéndio conflagrásset, falso hujus críminis accusáti, jubénte eódem sævíssimo Imperatóre, acervátim necáti sunt: quorum álii gládiis obtruncabántur, álii ígnibus cremabántur álii in mare præcipitabántur: sed horum primus Eleuthérius, cum diu cruciátus, per síngula torménta valídior redderétur, martyrium victóriæ suæ, ígnibus velut aurum examinátus, complévit.

In território Atrebaténsi pássio beáti Leodegárii Augustodunénsis Epíscopi, quem váriis injúriis et divérsis supplíciis pro veritáte afflictum, Ebroínus Major domus régiæ Theodorici interfécit.

Item sancti Geríni Mártyris, fratris ejúsdem beáti Leodegárii, qui ibídem lapídibus óbrutus est.

Antiochíæ sanctórum Mártyrum Primi, Cyrílli, et Secundárii.

Constantinópoli sancti Theóphili Mónachi, qui pro defensióne sanctárum Imáginum a Leóne Isaúrico sævíssime cæsus, et in exílium pulsus, migrávit ad Dóminum.

Herfórdiæ in Anglia sancti Thomæ Epíscopi et Confessóris.

xx. C Quinto Nonas Octobris. Luna. 5

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

ROMÆ ad Ursum pileátum sancti Cándidi Mártyris.

Eódem die sanctórum Mártyrum Dionysii, Fausti, Caji, Petri, Pauli et aliórum quátuor, qui primo sub Décio multa passi, demum sub Valeriáno ab Æmiliáno Præside diu torméntis vexáti, martyrii palmam meruérunt.

Apud antíquos Sáxones sanctórum Mártyrum duórum Ewaldórum, qui cum essent Presbyteri, et Christum ibi prædicáre cœpíssent, comprehénsi sunt a Pagánis, et occísi: ad quorum córpora noctu multa lux diu appárens, et ubi essent, et cujus essent mériti, declarávit.

In Africa sancti Maximiáni Epíscopi Bagajénsis, qui a Donatístis íterum atque iterum sævíssima passus, ex alta dénique turri præcipitátus, et pro mórtuo derelíctus, glória confessiónis illústris póstmodum quiévit in Dómino.

In Palæstína sancti Hesychii Confessóris, discípuli sancti Hilariónis, et in peregrinatióne sócii.

Apud Belgas in diœcési Namurcénsi sancti Gerárdi Abbátis.

4 Quarto Nonas Octobris. Luna. D xix.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

ASSISII in Umbria natális sancti Francisci Confessóris, Fundatóris Ordinis Minórum, cujus vitam sanctitáte ac miráculis plenam sanctus Bonaventúra conscrípsit.

Corínthi natális sanctórum Crispi et Caji, quorum méminit sanctus Paulus Apóstolus ad Corínthios scribens.

In Ægypto sanctórum Mártyrum Marci et Marciáni fratrum, et aliórum pene innumerabílium utriúsque sexus, atque omnis ætátis : quorum álii post vérbera, álii post divérsi géneris horríbiles cruciátus, flammis tráditi, álii in mare præcipitáti, nonnúlli cápite cæsi, plúrimi inédia consúmpti, álii patíbulis affíxi, quidam étiam cápite deórsum verso, et pédibus in sublíme sublátis, beatíssimam martyrii corónam meruérunt.

Damásci sancti Petri Epíscopi et Mártyris, qui accusátus apud Agarenórum Príncipem quod fidem Christi docéret, lingua, mánibus, pedibúsque amputátis, cruci affíxus martyrium consummávit.

Alexandríæ sanctórum Presbyterórum et Diaconórum Caji, Fausti, Eusébii, Chærémonis, Lúcii et sociórum: ex quibus álii in persecutióne Valeriáni, Mártyres facti, álii Martyribus serviéntes, mercédem Mártyrum recepérunt.

Athénis sancti Hieróthei discípuli beáti Pauli Apóstoli.

Bonóniæ sancti Petrónii Epíscopi et Confessóris, qui doctrína, miráculis, et sanctitáte cláruit.

Lutétiæ Parisiórum sanctæ Aúreæ Vírginis.

5 Tertio Nonas Octobris. Luna. E xviij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

Messanæ in Sicilia natális sanctórum Mártyrum Plácidi Mónachi, discípuli beáti Benedícti Abbátis, et fratrum ejus Eutychii et Victoríni, ac Fláviæ Vírginis, eórum soróris; item Donáti, Firmáti Diáconi, Fausti, aliorúmque trigínta Monachórum, qui a Manúcha piráta pro Christi fide necáti sunt.

Eódem die natális beáti Thraséæ Epíscopi Euméniæ, apud Smyrnam martyrio consummáti.

Tréviris sanctórum Mártyrum Palmátii et Sociórum, qui in persecutióne Diocletiáni sub Rictiováro Præside martyrium subiérunt.

Eódem die pássio sanctæ Charitínæ Vírginis, quæ sub Diocletiáno Imperatóre et Domítio consulári, ígnibus cruciáta, et in mare projécta, cum inde incólumis evasísset, mánibus, et pédibus abscíssis, dentibúsque convúlsis, in oratióne pósita spíritum emísit.

Antisiodóri depósitio sanctórum germanórum Firmáti Diáconi et Flavíánæ Vírginis.

Ravénnæ sancti Marcellíni Epíscopi et Confessóris.

Valéntiæ in Gállia sancti Apollináris Epíscopi, cujus vita virtútibus fuit illústris, et mors signis ac prodígiis decoráta.

Eódem die sancti Attiláni Epíscopi Zamorénsis, quem Urbánus Secúndus in Sanctórum númerum rétulit.

Legióne in Hispánia sancti Froiláni ejúsdem civitátis Epíscopi, monásticæ vitæ propagándæ stúdio, beneficéntia in paúperes, ceterísque virtútibus et miráculis clari.

Romæ sanctæ Gallæ Víduæ, fíliæ Symmachi Cónsulis, quæ, viro suo defúncto, apud Ecclésiam beáti Petri multis annis orationi, eleemósynis, jejúniis, aliisque sanctis opéribus inténta permánsit : cujus felicíssimum tránsitum sanctus Gregórius Papa descripsit.

xvij. **F** Pridie Nonas Octobris. Luna. 6

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

In Calábria sancti Brunónis Confessóris, Ordinis Carthusianórum institutóris.

Laodicéæ beáti Ságaris Epíscopi et Mártyris, qui fuit unus de antíquis Pauli Apóstoli discípulis.

Cápuæ natális sanctórum Mártyrum Marcélli, Casti, Æmílii et Saturníni.

Agénni in Gállia natális sanctæ Fídei Vírginis et Mártyris, cujus exémplo beátus Caprásius ad martyrium animátus, agónem suum felíciter consummávit.

Item sanctæ Erótidis Mártyris, quæ Christi amóre succénsa, ignis superávit incéndium.

Tréviris commemorátio innumerabílium pene Mártyrum, qui in persecutióne Diocletiáni sub Rictiováro Præside ob Christi fidem vário mortis génere necáti sunt.

Antisiodóri sancti Románi Epíscopi et Mártyris.

Opitérgii sancti Magni Epíscopi, cujus corpus Venétiis requiéscit.

xvj. **G** Nonis Octobris. Luna. 7

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | p | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

Romæ via Ardeatína deposítio sancti Marci Papæ et Confessóris.

In Província, quæ nuncupátur Augústa Euphratésia, sanctórum

Mártyrum Sérgii et Bacchi nobílium Romanórum sub Maximiáno Imperatóre, quorum Bacchus támdiu nervis crudis cæsus est, quoadúsque toto córpore discíssus, in confessióne Christi emítteret spíritum; Sérgius vero clavátis cothúrnis pedes indútus, cum in fide fixus manéret, data senténtia, jussus est decollári : cujus nómine locus, ubi quiéscit, Sergiópolis appellátus, ob præclára mirácula frequénti Christianórum concúrsu honorátur.

Romæ sanctórum Mártyrum Marcélli et Apuléji, qui primo quidem Simóni mago adhæsérunt; sed vidéntes mirabília, quæ per Apóstolum Petrum Dóminus operabátur, relícto Simóne, apostólicæ doctrínæ se tradidérunt, ac post passiónem Apostolórum sub Aureliáno Consulári corónam martyrii reportárunt, sepúlti non longe ab Urbe.

Item apud Augústam Euphratésiam sanctæ Júliæ Vírginis, quæ sub Marciáno Præside martyrium consummávit.

Patávii sanctæ Justinæ Vírginis et Mártyris, quæ a beáto Prosdócimo, sancti Petri discípulo baptizáta, cum in fide Christi constánter persísteret, Máximi Præsidis jussu gládio transverberáta migrávit ad Dóminum.

Apud Bitúricas sancti Augústi Presbyteri et Confessóris.

In pago Rheménsi sancti Heláni Presbyteri.

Eódem die commemorátio sanctæ Maríæ de Victória, quam beátus Pius Quintus Póntifex Máximus, ob insígnem victóriam a Christiánis bello navális ejúsdem Dei Genitrícis auxílio hac ipsa die de Turcis reportátam, quotánnis fieri instítuit : et Gregórius Decimustértius ánnuam solemnitátem Rosárii ejúsdem beatíssimæ Vírginis Domínica prima hujus mensis ob eámdem causam celebrándam decrévit.

8 Octavo Idus Octobris. Luna. A xv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

Sanctæ Birgíttæ Víduæ, quæ post multas sanctórum locórum peregrinatiónes divíno afflâta spíritu Romæ quiévit décimo Kaléndas Augústi : prídie vero hujus diéi in Suéciam corpus ejus translátum fuit.

Eódem die natális beáti Simeónis senis, qui in Evangélio Dóminum Jesum suis in ulnis suscepísse légitur.

Cæsaréæ in Palæstína pássio sanctæ Reparátæ Vírginis et Mártyris, quæ cum nollet idólis sacrificáre sub Décio Imperatóre váriis tormentórum genéribus cruciáta, demum gládio percútitur : cujus ánima in colúmbæ spécie de córpore égredi, cœlúmque conscéndere visa est.

Thessalonícæ sancti Demétrii Procónsulis, qui cum plúrimos ad Christi fidem perdúceret, Maximiáni Imperatóris jussu lánceis confóssus martyrium consummávit.
Ibidem sancti Néstoris Mártyris.
Híspali in Hispánia sancti Petri Mártyris.
Laodicéæ sancti Artemónis Presbyteri, qui sub Diocletiáno per ignem martyrii corónam accépit.
In território Lugdunénsi, sanctæ Benedíctæ Vírginis et Mártyris.
Ancónæ sanctárum Palatiátis et Lauréntiæ, quæ in persecutióne Diocletiáni sub Dióne Præside in exílium deportátæ, labóribus et ærúmnis conféctæ sunt.
Rhotómagi sancti Evódii Epíscopi et Confessóris.
Jerosólymis sanctæ Pelágiæ cognoménto Pœniténtis.

xiv. **B** Septimo Idus Octobris. Luna. 9

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

Lutetiæ Parisiórum natális sanctórum Mártyrum Dionysii Areopagítæ Epíscopi, Rústici Presbyteri, et Eleuthérii Diáconi : ex quibus Dionysius ab Apóstolo Paulo baptizátus, primus Atheniénsium Epíscopus est ordinátus : deinde Romam véniens, a beáto Cleménte Románo Pontífice in Gállias prædicándi grátia diréctus est, et ad præfátam urbem devéniens, cum ibi per áliquot annos commíssum sibi opus fidéliter prosequerétur, tandem a Præfécto Fescennino post gravíssima tormentórum génera una cum sóciis gládio animadvérsus, martyrium complévit.
Eódem die memória sancti Abrahæ Patriárchæ, et ómnium credéntium Patris.
Apud Júliam in território Parménsi, via Claúdia, sancti Domníni Mártyris sub Maximiáno Imperatóre : qui cum vellet persecutiónis rábiem declináre, a persequéntibus gládio transverberátus, glorióse occúbuit.
Apud Cassínum sancti Deúsdedit Abbátis qui a Sicárdo tyránno in cárcerem trusus, illic fame et ærúmnis conféctus, réddidit spíritum.
In Hannónia sancti Gisléni Epíscopi et Confessóris, qui, relicto Episcopátu, Mónachi vitam in monastério a se constrúcto exércens, multis virtútibus cláruit.
Valéntiæ in Hispánia Tarraconénsi sancti Ludovíci Bertrándi Ordinis

Prædicatórum, qui apostólico spíritu clarus, Evangélium quod Americánis prædicáverat, vitæ innocéntia, multísque éditis miráculis confirmávit.

Jerosólymis sanctórum Andronici, et Athanásiæ ejus cónjugis.

Antiochiæ sanctæ Públiæ Abbatíssæ, quæ transeúnte Juliáno Apóstata, Davídicum illud cum suis virgínibus canens : Simulácra Géntium argéntum et aurum : et, Símiles illis fiant qui fáciunt ea : Imperatóris jussu álapis cæsa est, et gráviter objurgáta.

10 Sexto Idus Octobris. Luna. C xiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

ROMÆ sancti Francísci Bórgiæ Præpósiti Generális Societátis Jesu, vitæ asperitáte, oratiónis dono, abdicátis sæculi, recusátis Ecclésiæ dignitátibus, memorábilis.

In Creta ínsula beáti Pinyti inter Epíscopos nobilíssimi. Hic Gnósiæ urbis Epíscopus sub Marco Antoníno Vero et Lúcio Aurélio Cómmodo flóruit, et in scriptis suis, velut in quodam spéculo, vivéntem sui relíquit imáginem.

Colóniæ Agrippínæ sancti Gereónis Mártyris cum áliis trecéntis decem et octo, qui in persecutióne Maximiáni pro vera pietáte gládiis patiénter colla subdidérunt.

In território ejúsdem urbis sanctórum Victóris et Sociórum Mártyrum.

Bonnæ in Germánia sanctórum Mártyrum Cássii et Floréntii cum áliis plúrimis.

Nicomédiæ sanctórum Mártyrum Eulámpii et Eulámpiæ Vírginis ejus soróris, quæ cum audísset fratrem pro Christo torquéri, exíliens in médiam turbam, cúmque amplexáta, sóciam se illi adjúnxit : atque ambo in ollam fervéntis ólei conjécti, sed nulla ex parte læsi, una cum áliis ducéntis, qui eo miráculo permóti crediderant in Christum, obtruncatióne cápitis martyrium complevérunt.

Eboráci in Anglia sancti Paulíni Epíscopi, discípuli beáti Gregórii Papæ, qui cum áliis ad prædicándum Evangélium illuc ab eo missus, Edwínum Regem, ejúsque pópulum ad fidem Christi convértit.

Populónii in Túscia sancti Cerbónii Epíscopi et Confessóris, qui (ut sanctus Gregórius refert) in vita et morte miráculis cláruit.

Verónæ item sancti Cerbónii Epíscopi.

Cápuæ sancti Paulíni Epíscopi.

xij. D Quinto Idus Octobris. Luna. 11

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

**Tarsi in Cilícia natális sanctórum Mártyrum Tháraci, Probi et Andróníci, qui in persecutióne Diocletiáni longo témpore cárceris squalóre afflicti, et tértio divérsis torméntis et supplíciis examináti, in confessióne Christi triúmphum glóriæ abscissis cervícibus sunt adépti.**
**In pago Vilcassíno pássio sanctórum Mártyrum Nicásii Epíscopi Rhotomagénsis, Quirini Presbyteri, Scubículi Diáconi, et Piéntiæ Vírginis, sub Præside Fescenníno.**
**Item pássio sanctórum Anastásii Presbyteri, Plácidi, Genésii, et sociórum.**
**In Thebáide sancti Sármatæ discípuli beáti Antónii Abbátis, qui a Saracénis pro Christo necátus est.**
**Vesontióne in Gálliis sancti Germáni Epíscopi et Mártyris.**
**Ucétiæ in Gállia Narbonénsi sancti Firmíni Epíscopi et Confessóris.**
**In Scótia sancti Caníci Abbátis.**
**Liræ in Belgio depositio sancti Gummári Confessóris.**
**Apud Rhédones sancti Æmiliáni Confessóris.**
**Tarsi in Cilícia sanctárum mulíerum Zenáidis et Philonillæ sorórum, quæ beáti Pauli Apóstoli consanguíneæ, et in fide fuérunt discípulæ.**
**Verónæ sanctæ Placídiæ Vírginis.**

xj. E Quarto Idus Octobris. Luna. 12

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

**Romæ sanctórum Mártyrum Evágrii, Prisciáni, et sociórum.**
**Ravénnæ via Lauretína natális sancti Edístii Mártyris.**
**In Lycia sanctæ Domnínæ Mártyris sub Diocletiáno Imperatóre.**
**In Africa sanctórum Confessórum et Mártyrum quátuor míllium nongentórum sexagintasex, in persecutióne Wandálica sub Hunnerico Rege Ariáno: qui cum essent partim Ecclesiárum Dei Episcopi, partim Presbyteri et Diáconi, associátis sibi turbis fidélium populórum, pro defensióne cathólicæ veritátis in horríbilis erémi exilium trusi sunt: ex quibus plúrimi, dum crudéliter a Mauris duceréntur, hastílium cuspídibus ad curréndum impúlsi, et lapídibus tunsi, álii ligátis pédibus velut**

cadávera per dura et áspera loca tracti, et singulis membris discérpti, ad extrémum váric excruciáti, martyrium celebrárunt. Erant inter eos præcipui dómini Sacerdótes Felix et Cypriánus Epíscopi.
Celénæ in Pannónia sancti Maximiliáni Episcopi Laureacénsis.
Eboráci in Anglia sancti Walfrídi Epíscopi et Confessóris.
Medioláni sancti Monæ Epíscopi, qui, cum de Epíscopo eligéndo agerétur, cœlésti lúmine circumfúsus, eo signo mirabiliter in Pontíficem illius Ecclésiæ est assúmptus.
Verónæ sancti Salvíni Epíscopi.
In Syria sancti Eustáchii Presbyteri et Confessóris.
Asculi in Picéno sancti Seraphíni Confessóris, Ordinis Minórum Capuccinórum, vitæ sanctimónia, et humilitáte conspícui, quem Clemens Tertiusdécimus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscripsit.

13 Tertio Idus Octobris. Luna. F x.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

In Anglia sancti Eduárdi Regis, qui Nonis Januárii defúnctus, hac die potíssimum cólitur ob ejus córporis translatiónem.
Apud Tróadem Asiæ minóris urbem natális sancti Carpi discípuli beáti Pauli Apóstoli.
Córdubæ in Hispánia natális sanctórum Mártyrum Fausti, Januárii et Martiális, qui primo equúlei pœna cruciáti, deinde superciliis rasis, déntibus evúlsis, aúribus quoque et náribus præcisis, ignis passióne martyrium consummárunt.
Thessaloníeæ sancti Floréntii Mártyris, qui post vária torménta igne combústus est.
In Aústria sancti Colmánni Mártyris.
Apud Septam in Mauritánia Tingitána pássio sanctórum septem Mártyrum Ordinis Fratrum Minórum, Daniélis, Samuélis, Angeli, Domni, Leónis, Nicolái et Hugolini : qui ob Evangélii prædicatiónem et Mahumétícæ sectæ confutatiónem, a Sarracénis contumélias, víncula et flagélla perpéssi, demum capítibus abscíssis, martyrii palmam adépti sunt.
Antiochíæ sancti Theóphili Epíscopi, qui sextus post beátum Petrum Apóstolum ejúsdem Ecclésiæ Pontificátum ténuit.
Turónis sancti Venántii Abbátis et Confessóris.
Apud Sublácum in Látio sanctæ Chelidóniæ Vírginis.

ix. G Pridie Idus Octobris. Luna. 14

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

Romæ via Aurélia natális beáti Callisti Papæ et Mártyris, qui Alexándri Imperatóris jussu diútius fame in cárcere cruciátus, et quotídie fústibus cæsus, tandem e fenéstra domus, in qua custodiebátur, præcipitátus, atque in púteum demérsus, victóriæ triúmphum proméruit.
Cæsaréæ in Palæstina sanctæ Fortunátæ Vírginis et Mártyris, quæ in persecutióne Diocletiáni post equúleum, ignes, béstias, et ália torménta superáta, spíritum Deo réddidit : cujus corpus póstea Neápolim in Campánia delátum fuit.
Item sanctórum Carpónii, Evarísti et Prisciáni fratrum ejúsdem beátæ Fortunátæ, qui gládio juguláti páriter martyrii corónam percepérunt.
Item sanctórum Saturníni et Lupi.
Arímini sancti Gaudéntii Epíscopi et Mártyris.
Tudérti sancti Fortunáti Epíscopi, qui (ut beátus Gregórius refert) in effugándis spirítibus immúndis imménsæ virtútis grátia emícuit.
Herbípoli sancti Burchárdi primi illíus civitátis Epíscopi.
Brugis Flandrórum sancti Donatiáni Rheménsis Epíscopi.
Tréviris sancti Rústici Epíscopi.
Eódem die depositio beáti Domínici Loricáti.
In Látio sancti Bernárdi Confessóris.

viij. A Idibus Octobris. Luna. 15

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

Abulæ in Hispánia sanctæ Terésiæ Vírginis, Fratrum ac Sorórum Ordinis Carmelitárum arctióris observántiæ matris et magistræ.
Romæ via Aurélia sancti Fortunáti Mártyris.
Apud Colóniam Agrippínam natális sanctórum trecentórum Mártyrum, qui in persecutióne Maximiáni cursum sui agónis complevérunt.
Carthágine sancti Agiléi Mártyris, in cujus die natáli sanctus Augustínus de eo ad pópulum tractátum hábuit.
In Prússia sancti Brunónis Epíscopi Ruthenórum et Mártyris, qui

Evangélium in ea regióne prædicans, ab impiis tentus, mánibus pedibúsque præcísis, cápite truncátus est.
Lugdúni sancti Antiochi Epíscopi, qui strénue administráto Pontifícii cúlmine, ad quod assúmptus fúerat, regnum cœléste adéptus est.
Tréviris sancti Sevéri Epíscopi et Confessóris.
Argentoráti sanctæ Aurélíæ Vírginis.
Cracóviæ sanctæ Hedwígis Ducíssæ Polóniæ, quæ paúperum obséquio dédita, étiam miráculis cláruit : quam et Clemens Papa Quartus número Sanctórum adscrípsit, et Innocéntius Undécimus ejus festum sextodécimo Kaléndas Novémbris celebrári indúlsit.
In Germánia sanctæ Theclæ Abbatíssæ.

16 Decimoseptimo Kalendas Novembris. Luna. B vij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 18 | 19 | ·20 | 21 | 22 | 23 |

In Africa sanctórum Mártyrum ducentórum septuagínta páriter coronatórum.
Ibídem sanctórum Martiniáni, et Saturiáni, cum duóbus eórum frátribus : qui témpore Wandálicæ persecutiónis, sub Genseríco Rege Ariáno, cum essent servi cujúsdam Wándali, a sancta Máxima Vírgine, eórum consérva, ad Christi fidem convérsi, pro constántia fídei cathólicæ primum nodósis fústibus cæsi sunt, et usque ad ossa laniáti, sed cum multo témpore tália pateréntur, et sequénti die nihilóminus semper incólumes redderéntur, exílio tandem relegántur: ubi cum multos barbarórum ad fidem Christi convertíssent, et a Románo Pontífice Presbyterum, aliósque ministros, qui eos baptizárent, obtinuíssent : novíssime vinctis pédibus post terga curréntium quadrigárum, intèr spinósa loca silvárum jussi sunt páriter interíre : Máxima vero post multos superátos agónes divínitus liberáta, in monastério multárum Vírginum mater sancto fine quiévit.
Item sanctórum Saturníni, Nérei, et aliórum trecentórum sexagintaquínque Mártyrum.
Colóniæ sancti Elíphii Mártyris sub Juliáno Apóstata.
Item sancti Berchárii Abbátis et Mártyris.
In território Bituricénsi sancti Ambrósii Epíscopi Caturcénsis.
Mogúntiæ sancti Lulli Epíscopi et Confessóris.
Tréviris sancti Florentíni Epíscopi.
Apud Arbónam in Germánia sancti Galli Abbátis, discípuli beáti Columbáni.

vj. **C** Sextodecimo Kalendas Novembris. Luna. 17

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

**SANCTÆ Hedwígis Viduæ, Polóniæ Ducissæ, quæ Idibus Octóbris obdormívit in Dómino.**

**Antiochíæ natális sancti Herónis discípuli beáti Ignátii, qui post eum factus Epíscopus, viam magístri pius imitátor secútus, pro commendáto sibi grege amátor Christi occúbuit.**

**Eódem die pássio sanctórum Victóris, Alexándri et Mariáni.**

**In Pérside sanctæ Maméltæ Mártyris, quæ a cultu idolórum ad fidem angélico mónitu convérsa, a Gentílibus lapidáta est, et in profúndum lacum demérsa.**

**Constantinópoli sancti Andréæ Creténsis Mónachi, qui ob cultum sacrárum Imáginum sub Constantíno Coprónymo sæpius verberátus, tandem amputáto áltero pede, réddidit spíritum.**

**Araúsicæ in Gállia sancti Florentíni Epíscopi, qui multis clarus virtútibus quiévit in pace.**

**Cápuæ sancti Victóris Epíscopi, eruditióne et sanctitáte conspícui.**

v. **D** Quintodecimo Kalendas Novembris. Luna. 18

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

**NATALIS beáti Lucæ Evangelístæ, qui multa passus pro Christi nómine, Spíritu sancto plenus óbiit in Bithynia : cujus ossa Constantinópolim transláta sunt, et inde Patávium deláta.**

**Antiochíæ sancti Asclepíadis Epíscopi, qui unus fuit ex præcláro Mártyrum número, qui sub Macríno gloriôse passi sunt.**

**In território Belvacénsi sancti Justi Mártyris, qui adhuc puer in persecutióne Diocletiáni sub Rictiováro Præside cæsus est.**

**Neocæsaréæ in Ponto sancti Athenodóri Epíscopi, fratris sancti Gregórii Thaumatúrgi, qui doctrína clarus, in persecutióne Aureliáni martyrium consummávit.**

**In Mesopotámia ad ripam Euphrátis sancti Juliáni Eremítæ.**

**Romæ sanctæ Tryphóniæ, uxóris quondam Décii Cæsaris, quæ in crypta juxta sanctum Hippólytum sepúlta est.**

19 Quartodecimo Kalendas Novembris. Luna. E iv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

Arenis in Hispánia sancti Petri de Alcántara Confessóris Ordinis Minórum, quem propter admirábilem pœniténtiam, múltaque mirácula, Clemens Nonus Sanctórum número adscrípsit.

Romæ natális sanctórum Mártyrum Ptolomæi et Lúcii, sub Marco Antoníno: quorum prior (ut scribit Justínus Martyr), cum impudícam mulíerem ad fidem Christi convertísset, et castitátem cólere docuísset, ab impúro viro apud Præféctum Urbícium accusátus, multo témpore squalóre cárceris macerátus est, et ad últimum cum de Christi magistério pública confessióne testarétur, jussus est duci ad mortem. Lúcius quoque cum Urbícii senténtiam improbáret, et se Christiánum líbere faterétur, símilem senténtiam excépit: quibus et álius tértius adjúnctus est, qui étiam eódem supplício damnátus fuit.

Antiochíæ sanctórum Mártyrum Beroníci, Pelágiæ Vírginis, et aliórum quadragintanóvem.

In Ægypto sancti Vari mílitis, qui sub Maximíno Imperatóre dum sanctos septem Mónachos in cárcere deténtos visitáret, atque refíceret, uno ex ipsis defúncto, in ejus locum subrogári vóluit, et cum illis sævíssima passus, martyrii palmam adéptus est.

Ebróicis sancti Aquilíni Epíscopi et Confessóris.

In território Aurelianénsi depositio sancti Veráni Epíscopi.

Apud Salérnum sancti Eustérii Epíscopi.

In Hibérnia sancti Ethbíni Abbátis.

Oxónii in Anglia sanctæ Fredeswíndæ Vírginis.

20 Tertiodecimo Kalendas Novembris. Luna. F iij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

In Polónia sancti Joánnis Cántii Presbyteri et Confessóris, quem virtútibus, et miráculis gloriósum Clemens Tertiusdécimus Póntifex Máximus Sanctórum número adscrípsit.

In Aviénsi civitáte prope Aquilam in Vestínis natális beáti Máximi Levítæ et Mártyris, qui patiéndi desidério, inquiréntibus se persecutóribus

palam osténdit ; et post responsiónis constántiam, equúleo suspénsus ac tortus, deínde fústibus cæsus, ad últimum e sublími loco præcipitátus occúbuit.

Agénni in Gállia sancti Caprásii Mártyris, qui cum rábiem persecutiónis declínans, latéret in spelúnca, tandem aúdiens quáliter beáta Fides Virgo pro Christo agonizáret, animátus ad tolerántiam passiónum, orávit ad Dóminum ; ut, si eum glória martyrii dignum judicáret, ex lápide spelúncæ limpidíssima aqua manáret : quod cum Dóminus præstitísset, secúrus ad áream certáminis properávit, et palmam martyrii sub Maximiáno fórtiter dimicándo proméruit.

Antiochíæ sancti Artémii Ducis Augustális, qui sub Constantíno Magno præcláris milítiæ honóribus functus, a Juliáno Apóstata, quem sævítiæ in Christiános argúerat, fústibus cædi, aliísque torméntis afflígi, ac demum cápite truncári jubétur.

Colóniæ pássio sanctárum Vírginum Marthæ et Saulæ cum áliis plúribus.

Apud Mindam natális sancti Feliciáni Epíscopi et Mártyris.

Parísiis sanctórum Geórgii Diáconi et Aurélii Mártyrum.

In Lusitánia sanctæ Irénes Vírginis et Mártyris.

In pago Rheménsi sancti Sindúlphi Confessóris.

ij. G Duodécimo Kalendas Novembris. Luna. 21

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

In Cypro natális sancti Hilariónis Abbátis, cujus vitam virtútibus atque miráculis plenam sanctus Hierónymus scripsit.

Apud Colóniam Agrippínam natális sanctárum Ursulæ et Sociárum ejus, quæ pro Christiána religióne et virginitátis constántia ab Hunnis interféctæ, martyrio vitam consummárunt, et plúrima eárum córpora Colóniæ cóndita fuérunt.

Apud óstia Tiberína sancti Astérii Presbyteri et Mártyris, qui (ut in passióne beáti Callísti Papæ légitur) sub Alexándro Imperatóre passus est.

Nicomédiæ natális sanctórum Dásii, Zótici, Caji et aliórum duódecim mílitum, qui post divérsa torménta in mare demérsi sunt.

Maróniæ in Syria prope Antiochíam sancti Malchi Mónachi.

Lugdúni sancti Viatóris ministri beáti Justi Lugdunénsis Epíscopi.

In castro Laudunénsi sanctæ Ciliníæ matris beáti Remígii Epíscopi Rheménsis.

22 Undecimo Kalendas Novembris. Luna. A j.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

JEROSOLYMIS beáti Marci Epíscopi, claríssimi et doctíssimi viri, qui primus ex Géntibus Jerosolymórum Ecclésiam suscépit regéndam, ac non multo post sub Antoníno Imperatóre martyrii méruit palmam.

Hadrianópoli in Thrácia natális sanctórum Mártyrum Philíppi Epíscopi, Sevéri Presbyteri, Eusébii et Hermétis, qui sub Juliáno Apóstata post cárceres et flagélla incéndio cremáti sunt.

Item sanctórum Mártyrum Alexándri Epíscopi, Heráclii mílitis, et Sociórum.

Firmi in Picéno sancti Philíppi Epíscopi et Mártyris.

Oscæ in Hispánia sanctárum Vírginum Nunilónis et Alódiæ sorórum; quæ a Sarracénis ob fídei confessiónem capitáli senténtia punítæ, martyrium consummárunt.

Apud Colóniam sanctæ Córdulæ, quæ una ex sodálibus sanctæ Ursulæ, cum aliárum supplíciis et cæde pertérrita se occultásset, ejus rei pœnitens, postrídie se ultro patefécit, et novíssima ómnium martyrii corónam accépit.

Hierápoli in Phrygia sancti Abércii Epíscopi, qui sub Marco Antoníno Imperatóre cláruit.

Rhotómagi sancti Melánii Epíscopi, qui a sancto Stéphano Papa ordinátus, illuc ad prædicándum Evangélium missus est.

In Túscia sancti Donáti Scoti Epíscopi Fesuláni.

Verónæ sancti Verecúndi Epíscopi et Confessóris.

Jerosólymis sanctæ Maríæ Salóme, quæ in Evangélio légitur circa Dómini sepultúram sollícita.

23 Decimo Kalendas Novembris. Luna. B *

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |

IN Hispánia prope Gades ad fundum Ursoniánum sanctórum Mártyrum Servándi et Germáni qui in persecutióne Diocletiáni sub Viatóre Vicário post vérbera, squalórem cárceris, famis ac sitis injúriam, et longíssimi itíneris labórem, quem ferro onústi pertulérunt, novíssime

martyrii sui cursum cæsis cervicibus implevérunt : ex quibus Germánus Eméritæ, Servándus vero Híspali cónditus est.
Antiochíæ in Syria natális sancti Theodóri Presbyteri, qui in persecutióne impii Juliáni comprehénsus, post equúlei pœnam, et multos ac durissimos cruciátus, lampádibus étiam circa látera appósitis inflammátus, cum in confessióne Christi persísteret, occisióne gládii martyrium consummávit.
Granátæ in Hispánia beáti Petri Paschásii Epíscopi Giennénsis et Mártyris, Ordinis beátæ Maríæ de Mercéde redemptiónis Captivórum, qui passus est Octávo Idus Decémbris.
Constantinópoli sancti Ignátii Epíscopi, qui cum Bardam Cæsarem ob repudiátam uxórem arguísset, ab eo multis injúriis afféctus, in exílium pulsus est : sed a Nicoláo Románo Pontífice restitútus, tandem in pace quiévit.
Burdigalæ sancti Severíni Coloniénsis Epíscopi et Confessóris.
Rhotómagi sancti Románi Epíscopi.
Apud Salérnum sancti Veri Epíscopi.
In território Ambianénsi sancti Domítii Presbyteri.
In pago Pictaviénsi sancti Benedícti Confessóris.
Apud Viláckum in Pannónia sancti Joánnis de Capistráno Confessóris, Ordinis Minórum, vitæ sanctitáte ac zelo cathólicæ fídei propagándæ illústris, qui Taurínum arcem, validíssimo Turcárum exércitu profligáto, suis précibus et miráculis ab obsidióne liberávit.

xxix. **C** Nono Kalendas Novembris. Luna. 24

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

VENUSIÆ in Apúlia natális sanctórum Mártyrum Felícis Epíscopi Africáni, Audácti, et Januárii Presbyterórum, Fortunáti et Séptimi Lectórum : qui témpore Diocletiáni a Magdelliáno Procuratóre multis diu vínculis et carcéribus in Africa et Sicília maceráti, cum Felix nullátenus sacros libros juxta Imperatóris edíctum trádere voluísset, tandem occisióne gládii consummáti sunt.
Apud Homerítas in civitáte Nagran pássio sanctórum Arétæ et Sociórum trecentórum et quadragínta, témpore Justíni Imperatóris, sub Dúnaan Judæo tyránno : post quos Christiána múlier incéndio trádita est; cujus fílius annórum quinque, cum balbutiéndo Christum confiterétur, nec blandítiis, nec minis retinéri posset, in ignem, ubi mater ardébat, se præcípitem dedit.

Colóniæ sancti Evergísti Epíscopi et Mártyris.
Constantinópoli sancti Procli Epíscopi.
In Británnia minóri tránsitus sancti Maglórii Epíscopi, cujus corpus Lutétiæ Parisiórum requiéscit.
In Vertáno monastério sancti Martíni Abbátis.
In Campánia sancti Marci Solitárii, cujus præclára ópera sanctus Gregórius scripsit.

25 Octavo Kalendas Novembris. Luna. D xxviij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |

Romæ sanctórum Mártyrum Chrysánthi et Daríæ uxóris ejus, qui post multas, quas sub Celeríno Præfécto pro Christo sustinuérunt passiónes, jussi sunt a Numeriáno Imperatóre via Salária in Arenário depóni, atque illic vivéntes terra et lapídibus óbrui.
Item Romæ natális sanctórum quadragintasex mílitum, qui simul baptizáti a Dionysio Papa, mox jubénte Claúdio Imperatóre decolláti sunt, ac via Salária sepúlti : ubi et álii Mártyres centum vigínti et unus pósiti sunt, inter quos fuérunt quátuor mílites Christi, Theodósius, Lúcius, Marcus, et Petrus.
Suessióne in Gállia sanctórum Mártyrum Crispíni et Crispiniáni nobílium Romanórum, qui in persecutióne Diocletiáni sub Rictiováro Præside post immánia torménta gládio trucidáti, corónam martyrii consecúti sunt : quorum córpora póstea Romam deláta fuérunt, atque in Ecclésia sancti Lauréntii in pane et perna honorífice tumuláta.
Floréntiæ pássio beáti Miniátis mílitis, qui sub Décio Príncipe pro fide Christi egrégie certans, nóbili martyrio coronátur.
Túrribus in Sardínia sanctórum Mártyrum Proti Presbyteri et Januárii Diáconi, qui a sancto Cajo Papa ad eam ínsulam missi, témpore Diocletiáni sub Bárbaro Præside consummáti sunt.
Constantinópoli pássio sanctórum Martyrii Subdiáconi, et Marciáni Cantóris, qui ab hæréticis sub Constántio Imperatóre necáti sunt.
Romæ sancti Bonifácii Papæ et Confessóris.
Petragóricis in Gállia sancti Frontónis, qui a beáto Petro Apóstolo Epíscopus ordinátus, cum Geórgio Presbytero magnam illíus gentis multitúdinem ad Christum convértit, et miráculis clarus in pace quiévit.
Brixiæ natális sancti Gaudéntii Epíscopi, eruditióne et sanctitáte conspícui.
Gavális sancti Hilárii Epíscopi.

xxvij. E Septimo Kalendas Novembris. Luna. 26

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |

Romæ sancti Evaristi Papæ et Mártyris, qui Dei Ecclésiam sub Hadriáno Imperatóre suo sánguine purpurávit.

In Africa sanctórum Mártyrum Rogatiáni Presbyteri et Felicissimi, qui in persecutióne Valeriáni et Galliéni illústri martyrio coronáti sunt : de quibus étiam scribit sanctus Cypriánus in epístola ad Confessóres.

Nicomédiæ sanctórum Mártyrum Luciáni, Flórii et Sociórum.

Eódem die sancti Quodvultdéi Epíscopi Carthaginénsis, qui una cum clero a Genseríco Rege Ariáno in návibus fractis absque remigiis et velis impósitus, præter spem Neápolim áppulit, ibíque in exílio pósitus, confessor occúbuit.

Narbóne sancti Rústici Epíscopi et Confessóris, qui cláruit tempóribus Valentiniáni et Leónis Imperatórum.

Apud Salérnum sancti Gaudiósi Epíscopi.

Papíæ sancti Fulci Epíscopi.

Hildesheimi in Saxónia sancti Bernwárdi Episcopi et Confessóris a Cælestino Tértio inter Sanctos annumeráti.

Item sancti Quadragésimi Subdiáconi, qui et mórtuum resuscitávit.

xxvj. F Sexto Kalendas Novembris. Luna. 27

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

Vigilia sanctórum Apostolórum Simónis et Judæ.

Abulæ in Hispánia pássio sanctórum Vincéntii, Sabínæ et Christétæ, qui primum in equúleo ádeo sunt exténti, ut omnes membrórum compáges laxaréntur, deinde cápita eórum lapidibus superpósita, usque ad excussiónem cérebri válidis véctibus sunt contúsa, atque ita martyrium complevérunt, agénte Præside Daciáno.

Apud Castrum Tyle sancti Floréntii Mártyris.

In Cappadócia sanctárum Mártyrum Capitolínæ, et Erothéidis ejus ancillæ, quæ sub Diocletiáno sunt passæ.

Apud Indos sancti Fruméntii Epíscopi, qui ibi primum captívus, deinde

Epíscopus a sancto Athanásio ordinátus Evangélium in ea província propagávit.
In Æthiópia sancti Elésbaan Regis, qui, Christi hóstibus expugnátis, misso régio diadémate Jerosólymam témpore Justíni Imperatóris, monásticam vitam, ut vóverat, agens, migrávit ad Dóminum.

28 Quinto Kalendas Novembris. Luna. G 25. xxv.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

Natalis beatórum Apostolórum Simónis Chananæi et Thaddæi, qui et Judas dícitur : quorum Simon in Ægypto, Thaddæus in Mesopotámia Evangélium prædicávit : deínde in Pérsidem simul ingréssi, cum innúmeram gentis illíus multitúdinem Christo subdidíssent, martyrium consummárunt.
Romæ sanctæ Cyríllæ Vírginis, fíliæ sanctæ Tryphóniæ, quæ sub Claúdio Príncipe pro Christo juguláta est.
Ibidem sanctæ Anastásiæ senióris Vírginis et Cyrílli Mártyrum : illa in persecutióne Valeriáni sub Probo Præfécto vínculis constricta, cólaphis cæsa, igne et verbéribus cruciáta, cum in confessióne Christi immóbilis permanéret, abscíssis mamíllis, evúlsis únguibus, déntibus comminútis, mánibus pedibúsque præcísis, truncáta cápite, tot passiónum monílibus ornáta migrávit ad Sponsum : Cyríllus autem ei peténti aquam propínans, martyrium pro mercéde accépit.
Apud Comum sancti Fidélis Mártyris sub Maximiáno Imperatóre.
Mogúntiæ sancti Ferrútii Mártyris.
Meldis sancti Farónis Epíscopi et Confessóris.
Neápoli sancti Gaudiósi Epíscopi Africáni, qui ob persecutiónem Wandalórum in Campániam véniens, in monastério apud eam urbem sancto fine quiévit.
Vercéllis sancti Honoráti Epíscopi.

29 Quarto Kalendas Novembris. Luna. A xxiv.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

In Lucánia sanctórum Mártyrum Hyacínthi, Quincti, Feliciáni et Lúcii.
Sidóne in Phœnícia sancti Zenóbii Presbyteri, qui sub novíssimæ

persecutiónis acerbitáte álios ad martyrium exhórtans, martyrio et ipse dignátus est.

Eódem die sanctórum Episcopórum Maximiliáni Mártyris, et Valentíni Confessóris.

Bérgomi sanctæ Eusébiæ Vírginis et Mártyris.

Jerosólymis natális beáti Narcíssi Episcopi, sanctitáte, patiéntia, ac fide laudábilis, qui centum et séxdecim annórum migrávit ad Dóminum.

Augustodúni sancti Joánnis Episcopi et Confessóris.

Cassiope in ínsula Corcyræ sancti Donáti, de quo scribit beátus Gregórius Papa.

Viénnæ deposítio beáti Theodóri Abbátis.

xxiij. **B** Tertio Kalendas Novembris. Luna. 30

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

In* Africa natális sanctórum Mártyrum ducentórum vigínti.

Tingi in Mauritánia pássio sancti Marcélli Centuriónis, qui cápitis abscissióne martyrium complévit sub Agricoláo agénte vices Præfécti Prætório.

Alexandríæ sanctórum trédecim Mártyrum, qui cum sanctis Juliáno, Euno, et Macário passi sunt sub Décio Imperatóre.

Ibídem sanctæ Eutrópiæ Mártyris, quæ Mártyres vísitans, cum illis sævíssime cruciáta, réddidit spíritum.

Carális in Sardínia sancti Saturníni Mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni sub Bárbaro Præside cápite truncátus est.

Apaméæ in Phrygia sancti Máximi Mártyris sub eódem Diocletiáno.

Legióne in Hispánia sanctórum Mártyrum Claúdii, Lupérci et Victórii, filiórum sancti Marcélli Centuriónis, qui in persecutióne Diocletiáni et Maximiáni sub Diogeniáno Præside jussi sunt decollári.

Ægéæ in Cilícia pássio sanctórum Zenóbii Epíscopi et Zenóbiæ soróris ejus, sub Diocletiáno Imperatóre et Lysia Præside.

Altíni sancti Theonésti Epíscopi et Mártyris, qui ab Ariánis occísus est.

Parísiis sancti Lucáni Mártyris.

Antiochíæ sancti Serapiónis Episcopi, eruditióne claríssimi.

Cápuæ sancti Germáni Epíscopi et Confessóris, magnæ sanctitátis viri, cujus ánimam in hora óbitus ejus ab Angelis in cœlum ferri sanctus Benedictus aspéxit.

Poténtiæ in Lucánia sancti Gerárdi Epíscopi.

31 Pridie Kalendas Novembris. Luna. C xxij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

VIGILIA ómnium Sanctórum.

Romæ natális beáti Nemésii Diáconi, et Lucillæ Vírginis fíliæ ejus : qui cum a fide Christi flecti nequáquam possent, jubénte Valeriáno Imperatóre, decolláti sunt octávo Kaléndas Septémbris : quorum córpora a beáto Stéphano Papa sepúlta, deinde a beáto Xysto via Appia hac die honéstius tumuláta, Gregórius Quintus in Diaconíam sanctæ Maríæ Novæ tránstulit, una cum sanctis Symphrónio, Olympio Tribúno, Exupéria ejus uxóre, et Theodúlo fílio, qui omnes Symphrónii ópera convérsi, et ab eódem sancto Stéphano baptizáti, martyrio coronáti fúerant. Quæ Sanctórum córpora, Gregório Decimotértio Summo Pontífice, ibidem invénta, sub altári ejúsdem Ecclésiæ honorificéntius collocáta sunt sexto Idus Decémbris.

Eódem die sanctórum Ampliáti, Urbáni et Narcissi, quorum méminit sanctus Paulus ad Romános scribens : qui ob Evangélium Christi a Judæis et Gentílibus cæsi sunt.

In Gállia apud Augústam Veromanduórum sancti Quinctini civis Románi, órdinis senatórii, qui sub Maximiáno Imperatóre martyrium passus est : cujus corpus post annos quinquagintaquinque, reveláute Angelo, invéntum est incorrúptum.

Constantinópoli sancti Stachis Epíscopi, qui a beáto Andréa Apóstolo primus ejúsdem civitátis Epíscopus ordinátus est.

Medioláni sancti Antoníni Epíscopi et Confessóris.

Ratisbónæ sancti Wolfgángi Epíscopi.

# NOVEMBER.

xxj. D  Kalendis Novembris. Luna.  1

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

FESTIVITAS ómnium Sanctórum, quam in honórem beátæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ, et sanctórum Mártyrum Bonifácius Papa Quartus, dedicáto templo Pántheon, célebrem et generálem instítuit agi quotánnis in urbe Roma. Sed et Gregórius item Quartus póstmodum decrévit, eámdem festivitátem, quæ váriis modis jam in divérsis Ecclésiis celebrabátur, in honórem ómnium Sanctórum solémniter hac die ab univérsa Ecclésia perpétuo observári.

Tarracínæ in Campánia natális sancti Cæsárii Diáconi, qui diébus multis in custódia macerátus, póstea cum sancto Juliáno Presbytero in saccum missus, in mare præcipitátus est.

In castro Divióne sancti Benígni Presbyteri, qui a beáto Polycárpo missus in Gálliam ad prædicándum Evangélium, postquam sub Marco Aurélio Imperatóre a Teréntio Júdice gravíssimis torméntis multiplíciter est afflíctus, tandem collum ejus vecte férreo tundi, et corpus láncea perforári jubétur.

Eódem die sanctæ Maríæ ancíllæ, quæ Christiánæ religiónis nómine accusáta, sub Hadriáno Imperatóre diris verbéribus afflícta, equúlei extensióne et ungulárum laceratióne vexáta, martyrium complévit.

Damásci pássio sanctórum Cæsárii, Dácii et aliórum quinque.

In Pérsia sanctórum Mártyrum Joánnis Epíscopi, et Jacóbi Presbyteri sub Sápore Rege.

Tarsi sanctárum Cyréniæ et Juliánæ sub Maximiáno Imperatóre.

Arvérnis sancti Austremónii primi ejúsdem civitátis Epíscopi.

Parísiis deposítio sancti Marcélli Epíscopi.

Bajócis sancti Vigóris Epíscopi, témpore Childebérti Francórum Regis.

Tíbure sancti Severíni Mónachi.

In pago Wastinénsi sancti Maturíni Confessóris.

2 Quarto Nonas Novembris. Luna. E xx.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

| | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

COMMEMORATIO ómnium fidélium Defunctórum.
Eódem die natális sancti Victoríni Pictaviénsis Epíscopi, qui post multa édita scripta (ut sanctus Hierónymus testátur) in persecutióne Diocletiáni martyrio coronátus est.
Tergéste pássio beáti Justi, qui in eádem persecutióne sub Manátio Præside martyrium consummávit.
Sebáste sanctórum Cartérii, Styríaci, Tobíæ, Eudóxii, Agápii, et sociórum Mártyrum sub Licínio Imperatóre.
In Pérside sanctórum Mártyrum Acíndyni, Pegásii, Aphthónii, Elpidéphori, et Anempodísti, cum plúrimis sóciis.
In Africa natális sanctórum Mártyrum Públii, Victóris, Hermétis, et Pápiæ.
Tarsi in Cilícia sanctæ Eustóchii Vírginis et Mártyris, quæ sub Juliáno Apóstata, post dira torménta, in oratióne réddidit spíritum.
Laodicéæ in Syria sancti Theódoti Epíscopi, qui non solum verbis, sed rebus et virtútibus fuit ornátus.
Viénnæ sancti Geórgii Epíscopi.
In monastério Agaunénsi sancti Ambrósii Abbátis.
Cyri in Syria sancti Marciáni Confessóris.

3 Tertio Nonas Novembris. Luna. F xix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

NATALIS sancti Quarti Apostolórum discípuli.
Cæsaréæ in Cappadócia sanctórum Mártyrum Germáni, Theóphili, Cæsárii et Vitális, qui in persecutióne Deciána óptime duxérunt martyrium.
Cæsaraugústæ sanctórum innumerabilium Mártyrum, qui sub Daciáno Hispaniárum Præside mirabiliter occubuérunt pro Christo.
Vitérbii sanctórum Mártyrum Valentíni Presbyteri et Hilárii Diáconi, qui in persecutióne Maximiáni ob Christi fidem cum saxi póndere in Tiberim præcipitáti, et inde ab Angelo divínitus erépti, demum abscissis cervícibus corónam martyrii percepérunt.
In Anglia sanctæ Wenefrídæ Vírginis et Mártyris.

In monastério Clarævallénsi depositio sancti Malachiæ Episcopi Connerthénsis in Hibérnia, qui multis virtútibus suo témpore cláruit : cujus vitam sanctus Bernárdus Abbas conscrípsit.
Eódem die sancti Hubérti Tungrénsis Epíscopi.
Viénnæ sancti Domni Episcopi et Confessóris.
Item depositio sancti Pirmini Meldénsis Epíscopi.
Urgéllæ in Hispánia sancti Hermengaúdi Epíscopi.
Romæ sanctæ Sylviæ, matris sancti Gregórii Papæ.

xviij. G Pridie Nonas Novembris. Luna. 4

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

Mediolani sancti Cároli Borromæi Cardinális, et ejúsdem civitátis Episcopi, quem sanctitáte conspícuum, et miráculis clarum Paulus Quintus in Sanctórum númerum rétulit.
Bonóniæ sanctórum Mártyrum Vitális et Agrícolæ : quorum prior posterióris servus ántea fuit, póstea consors et colléga martyrii : in quem persecutóres ómnia tormentórum génera exercuérunt : ita ut non esset in córpore ejus sine vúlnere locus; quæ constánter pérferens, in oratióne spíritum Deo réddidit : Agrícolam vero plúrimis clavis cruci affigéntes interemérunt. Eórum translatióni sanctus Ambrósius cum interésset, Mártyris clavos, sánguinem triumphálem et crucis lignum se collegisse refert, ac sub sacris altáribus condidisse.
Eódem die natális sanctórum Philólogi et Pátrobæ, sancti Pauli Apóstoli discipulórum.
Augustodúni sancti Próculi Mártyris.
In Pago Vilcassino sancti Clari Presbyteri et Mártyris.
Ephesi sancti Porphyrii Mártyris sub Aureliáno Imperatóre.
Myræ in Lycia sanctórum Mártyrum Nicándri Epíscopi, et Hermæ Presbyteri sub Libánio Præside.
Eódem die natális sancti Piérii Presbyteri Alexandrini, qui in divínis Scriptúris nobíliter eruditus, vita puríssimus, et ad Christiánam Philosóphiam nudus pénitus et expedítus, sub Caro et Diocletiáno Princípibus, regénte Alexandrínam Ecclésiam Theóna, florentíssime dócuit pópulum, et divérsos tractátus édidit : post persecutiónem vero omne vitæ suæ tempus Romæ versátus, in pace quiévit.
Apud Ruthénos in Gállia beáti Amántii Epíscopi, cujus vita sanctitáte et miráculis éxtitit gloriósa.

In Bithynia sancti Joannícii Abbátis.
In Pannónia apud Albam Regálem depositio beáti Emeríci Confessóris, fílii sancti Stéphani Hungarórum Regis.
In monastério Cervi frígidi, territórii Meldénsis, sancti Felícis de Valois, Fundatóris Ordinis sanctissimæ Trinitátis Redemptiónis Captivórum, cujus festum celebrátur duodécimo Kaléndas Decémbris, ex decréto Innocéntii Undécimi.
Tréviris sanctæ Modéstæ Vírginis.

5 Nonis Novembris. Luna. A xvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

Sancti Zacharíæ Sacerdótis et Prophétæ, patris beáti Joánnis Baptístæ. Item sanctæ Elísabeth ejúsdem sanctíssimi Præcursóris matris.
Tarracínæ in Campánia natális sanctórum Mártyrum Felícis Presbyteri et Eusébii Mónachi, qui cum sepelísset sanctos Mártyres Juliánum et Cæsárium, et multos convérteret ad fidem Christi, quos sanctus Felix Présbyter baptizábat, una cum eo tentus est, et ambo ad forum Júdicis ducti, nec superáti, inde in cárcerem inclúsi, nocte eádem, cum sacrificáre noluíssent, decolláti sunt.
Emésæ in Phœnícia sanctórum Mártyrum Galatiónis et Epistémis cónjugis, qui in persecutióne Décii flagris cæsi, mánibus pedibúsque et lingua ínsuper mutiláti, dénique truncáto cápite, martyrium consummárunt.
Item sanctórum Mártyrum Domníni, Theotími, Philóthei, Silváni et Sociórum sub Maximíno Imperatóre.
Medioláni sancti Magni Epíscopi et Confessóris.
Bríxiæ sancti Dominatóris Epíscopi.
Tréviris sancti Fibítii ex Abbáte ejúsdem civitátis Epíscopi.
Aureliánis in Gállia sancti Læti Presbyteri et Confessóris.

6 Octavo Idus Novembris. Luna. B xvj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

Thinissæ in Africa natális sancti Felícis Mártyris, qui conféssus, et ad torménta dilátus, álio die (ut refert sanctus Augustínus, Psalmum in ejus festivitáte ad pópulum expónens) invéntus est in cárcere exánimis.

Theópoli sanctórum decem Mártyrum, qui a Sarracénis passi legúntur.
Barcinóne sancti Sevéri Epíscopi et Mártyris, qui ob fidem cathólicam clavo cápite confósso, martyrii corónam accépit.
In Phrygia sancti Attici.
Apud Bergas depósitio sancti Winóci Abbátis, qui virtútibus et miráculis clarus, frátribus étiam sibi súbditis multo témpore ministrávit.
Fundis in Látio sancti Felícis Mónachi.
Lemóvicis in Aquitánia sancti Leonárdi Confessóris, discípuli beáti Remígii Epíscopi : qui nóbili género ortus, solitáriam vitam déligens, sanctitáte et miráculis cláruit, ac præcípue in liberándis captívis ejus virtus eníttuit.

xv. C Septimo Idus Novembris. Luna. 7

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

Patavii depósitio sancti Prosdócimi primi ejúsdem civitátis Epíscopi, qui a beáto Petro Apóstolo Epíscopus ordinátus ad prædicándum Dei verbum ad prædíctam civitátem missus est : ubi multis virtútibus et prodígiis corúscans, beáto fine quiévit.
Perúsiæ sancti Herculáni Epíscopi et Mártyris.
Eódem die sancti Amaránthi Mártyris, qui apud Albigénsem urbem exácto agónis fidélis cursu, sepúltus, vivit in glória.
Melitínæ in Arménia pássio sanctórum Hierónis, Nicándri, Hesychii et aliórum trigínta, qui in persecutióne Diocletiáni sub Lysia Præside coronáti sunt.
Amphípoli in Macedónia sanctórum Mártyrum Aucti, Tauriónis, et Thessaloníæ.
Ancyræ pássio sanctórum Melasíppi, Antónii et Carínæ sub Juliáno Apóstata.
Colóniæ sancti Engelbérti Epíscopi, qui pro defensióne ecclesiásticæ libertátis et Románæ Ecclésiæ obediéntia martyrium subíre non dubitávit.
Alexandríæ beáti Achíllæ Epíscopi, qui eruditióne, fide, conversatióne ac móribus fuit insígnis.
In Frísia depósitio sancti Willibrórdi Epíscopi Trajecténsis, qui a beáto Sérgio Papa ordinátus Epíscopus, in Frísia et Dánia Evangélium prædicávit.
Metis sancti Rufi Epíscopi et Confessóris.
Argentoráti sancti Floréntii Epíscopi.

8 Sexto Idus Novembris. Luna. D xiv

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

Octava ómnium Sanctórum.

Romæ via Lavicána, tértio ab Urbe milliário, pássio sanctórum Mártyrum Claúdii, Nicóstrati, Symphoriáni, Castórii et Simplícii : qui primo in cárcerem missi, deínde scorpiónibus gravíssime cæsi, cum a fide Christi mutári non possent, jussi sunt a Diocletiáno in flúvium præcípites dari.

Item via Lavicána natális sanctórum Quátuor Coronatórum fratrum, Sevéri, Severiáni, Carpóphori et Victoríni, qui sub códem Imperatóre ictibus plumbatárum usque ad mortem cæsi sunt. Horum autem nómina, quæ póstea interjéctis annis, Dómino reveláute, osténsa sunt, cum mínime reperíri tunc potuíssent, statútum fuit ut anniversária dies ipsórum una cum illis quinque sub nómine sanctórum Quátuor Coronatórum recolerétur : qui mos étiam, postquam reveláta sunt, in Ecclésia perseverávit.

Romæ sancti Deúsdedit Papæ, qui tanti mériti fuit, ut leprósum ósculo a lepra sanáverit.

Bremæ sancti Villehádi primi ejus civitátis Episcopi, qui una cum sancto Bonifácio, cujus discípulus fuit, in Frísia et Saxónia Evangélium propagávit.

Suessióne in Gállia sancti Godefrídi Epíscopi Ambianénsis, magnæ sanctitátis viri.

Apud Virodúnum sancti Mauri Epíscopi et Confessóris.

Turónis sancti Clari Presbyteri, cujus sanctus Paulínus epitáphium scripsit.

9 Quinto Idus Novembris. Luna. E xiij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

Romæ dedicátio Basílicæ Salvatóris.

Amaséæ in Ponto natális sancti Theodóri mílitis, qui témpore Maximiáni Imperatóris pro Christiánæ fídei confessióne fórtiter cæsus, et in cárcerem missus, deinde Dómino sibi apparénte, ac monénte, ut

constánter et viríliter ágeret, relevátus est : novíssime postquam equúleo suspénsus et úngulis corrásus est, ita ut ejus interióra nuda apparérent, ardéntibus ígnibus comburéndus tráditur : cujus laudes sanctus Gregórius Nyssénus præcláro encómio celebrávit.

Tyánæ in Cappadócia pássio sancti Oréstis sub Diocletiáno Imperatóre.

Thessaloníсæ sancti Alexándri Mártyris sub Maximiáno Príncipe.

Apud Bitúricas sancti Ursíni Confessóris, qui Romæ ordinátus a successóribus Apostolórum, primus eídem Urbi destinátur Epíscopus.

Neápoli in Campánia sancti Agrippíni Epíscopi, miráculis clari.

Constantinópoli sanctárum Vírginum Eustóliæ Románæ, et Sópatræ fíliæ Mauríții Imperatóris.

Beryti in Syria Commemorátio Imáginis Salvatóris, quæ a Judæis crucifíxa, tam copiósum emísit sánguinem, ut Orientáles et Occidentáles Ecclésiæ ex eo ubértim accéperint.

xij. **F** Quarto Idus Novembris. Luna. **10**

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

NEAPOLI in Campánia natális sancti Andréæ Avellíni Clérici Reguláris, sanctitáte et stúdio procurándæ proximórum salútis præcélebris : quem miráculis clarum Clemens Undécimus Sanctórum catálogo adscrípsit.

Natális sanctórum Mártyrum Tryphónis, et Respícii, ac Nymphæ Vírginis.

In território Agathénsi sanctórum Mártyrum Tibérii, Modésti et Floréntiæ, qui témpore Diocletiáni váriis torméntis cruciáti, martyrium complevérunt.

Antiochíæ sanctórum Demétrii Epíscopi, Aniáni Diáconi, Eustósii, et aliórum vigínti Mártyrum.

Ravénnæ sancti Probi Epíscopi, miráculis clari.

Aureliánis sancti Monitóris Epíscopi et Confessóris.

In Anglia sancti Justi Epíscopi, qui una cum Augustíno, Mellito, et áliis a beáto Gregório Papa in eam ínsulam missus ad prædicándum Evangélium, ibídem sanctitáte célebris obdormívit in Dómino.

In óppido Milledúno sancti Leónis Confessóris.

Icónii in Lycaónia sanctárum mulíerum Tryphénnæ et Thryphósæ, quæ beáti Pauli prædicatióne, et exémplo Theclæ, in Christiána disciplína plúrimum profecérunt.

In Paro ínsula sanctæ Theoctístis Vírginis.

11 Tertio Idus Novembris. Luna. G xj.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

Turonis in Gállia natális beáti Martíni Epíscopi et Confessóris, cujus vita tantis éxtitit miráculis gloriósa, ut trium mortuórum merúerit esse suscitátor.

Cotyæi in Phrygia insígnis pássio sancti Mennæ Ægyptii mílitis, qui in persecutióne Diocletiáni, postquam abjécto milítiæ cíngulo, méruit cœlésti Regi secréta conversatióne in erémo militáre, procédens in públicum, et se Christiánum líbera voce declárans, primo diris cruciátibus examinátur; novíssime fixis in oratióne génibus, Dómino Jesu Christo grátias agens, gládio cæsus est, ac multis post mortem miráculis cláruit.

Ravénnæ sanctórum Mártyrum Valentíni, Feliciáni et Victoríni, qui in persecutióne Diocletiáni coronáti sunt.

In Mesopotámia sancti Athenodóri Mártyris, qui sub eódem Diocletiáno et Eleúsio Præside, ígnibus cruciátus, et áliis supplíciis tortus, demum cápitis damnátus, cum cárnifex corruísset, nec ullus álius gládio illum feríre ausus esset, orans obdormívit in Dómino.

Lugdúni sancti Veráni Epíscopi, cujus vita fide et virtútum méritis fuit illústris.

In monastério Cryptæ ferrátæ in agro Tusculáno sancti Bartholomæi Abbátis, sócii beáti Nili, cujus vitam ipse conscrípsit.

In província Sámii beáti Mennæ solitárii, cujus virtútes et miràcula sanctus Gregórius Papa commémorat.

12 Pridie Idus Novembris. Luna. A x.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

Natalis sancti Martíni Papæ et Mártyris, qui Romæ coácta Synodo, cum Sérgium, Paulum, et Pyrrhum hæréticos damnásset, jussu Constántis Imperatóris hærétici per fraudem captus, et Constantinópolim perdúctus, in Chersonésum relegátus est; ubi ob cathólicam fidem ærúmnis conféctus vitam finívit, multísque miráculis cláruit, cujus corpus póstea Romam translátum, in Ecclésia sanctórum Silvéstri et Martíni cónditum fuit.

In Asia pássio sanctórum Aurélii et Públii Episcopórum.

In território Senonénsi sancti Patérni Mártyris.

In portu Gandénsi sancti Livíni Epíscopi et Mártyris.

In Polónia sanctórum Mártyrum Benedícti, Joánnis, Matthæi, Isaac, et Christíni Eremitárum.

Vitépsci in Polónia pássio beáti Josapháti ex Ordine sancti Basilii Archiepíscopi Polocénsis, qui a schismáticis in ódium cathólicæ unitátis et veritátis crudéliter interféctus est.

Avenióne sancti Rufi, primi ejúsdem urbis Epíscopi.

Colóniæ depositio sancti Cunibérti Epíscopi.

Turiasóne in Hispánia Tarraconénsi beáti Æmiliáni Presbyteri, qui innúmeris miráculis cláruit : cujus admirábilem vitam sanctus Braúlio Cæsaraugustánus Epíscopus descrípsit.

Constantinópoli sancti Nili Abbátis, qui ex Præfécto Urbis factus Mónachus, sub Theodósio Junióre doctrína et sanctitáte cláruit.

Item Constantinópoli sancti Theodóri Studítæ, qui pro fide cathólica advérsus Iconoclástas strénue pugnans, factus est in univérsa Ecclésia cathólica célebris.

Complúti in Hispánia sancti Dídaci Confessóris, Ordinis Minórum, humilitáte célebris, quem Sixtus Quintus Sanctórum catálogo adscrípsit, cujus festum ágitur die sequénti.

ix. B Idibus Novembris. Luna. 13

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

Sancti Dídaci Confessóris, Ordinis Minórum, cujus natális dies fuit heri. Ravénnæ natális sanctórum Mártyrum Valentíni, Solutóris et Victóris, qui sub Diocletiáno Imperatóre passi sunt.

Aquis in província Narbonénsi beáti Mitrii claríssimi Mártyris.

Cæsaréæ in Palæstína pássio sanctórum Antoníni, Zebínæ, Germáni, et Ennáthæ Vírginis, quæ sub Galério Maximiáno verbéribus cæsa, igne cremáta est : illi vero, cum líbera voce Firmiliánum Præsidem diis immolántem impietátis argúerent, cápite cæsi sunt.

In Africa sanctórum Mártyrum Arcádii, Paschásii, Probi et Eutychiáni Hispanórum, qui cum in persecutióne Wandálica in Ariánam perfídiam nullátenus declináre pateréntur, a Genseríco Rege Ariáno primum proscrípti, deínde in exílium acti, atque atrocíssimis supplíciis cruciáti, postrémo divérso mortis génere interémpti sunt. Tunc et Paulílli

puéruli germáni sanctórum Paschásii et Eutychiáni constántia énituit : qui cum a fide cathólica divélli non posset, fústibus diu cæsus, et ad ínfimam servitútem damnátus est.
Romæ sancti Nicolái Papæ vigóre apostólico præstántis.
Turónis sancti Brítii Epíscopi, discípuli beáti Martíni Epíscopi.
Toléti sancti Eugénii Epíscopi.
Arvérnis sancti Quinctiáni Epíscopi.
Cremónæ sancti Homobóni Confessóris, quem miráculis clarum Innocéntius Tértius in Sanctórum númerum rétulit.

14 Decimooctavo Kalendas Decembris. Luna. C viij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G/ | H | M | N | P |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

Heracleæ in Thrácia natális sanctórum Mártyrum Clementíni, Theódoti, et Philómeni.
Alexandríæ sancti Serapiónis Mártyris, quem persecutóres sub Décio Príncipe crudelíssimis affecérunt supplíciis, ita ut omnes ei junctúras membrórum prius solvéntes, de superióribus domus suæ eum præcipitárent, et sic Christi Martyr efficerétur.
Threcis in Gállia sancti Venerándi Mártyris sub Aureliáno Imperatóre.
Item in Gállia sanctæ Venerándæ Vírginis, quæ sub Antoníno Imperatóre, et Asclepíade Præside, martyrii corónam accépit.
Gangris in Paphlagónia sancti Hypátii Epíscopi, qui a magna Nicæna Synodo rédiens, a Novatiánis hæréticis in via lapídibus impetítus, Martyr occúbuit.
Algáriæ in Africa beáti Serapiónis, qui primus ex Ordine beátæ Maríæ de Mercéde pro captívis fidélibus rediméndis, et Christiánæ fídei prædicatióne actus in crucem, et membrátim dissectus, martyrii palmam méruit obtinére.
Emésæ pássio plurimárum sanctárum mulíerum, quæ sub sævíssimo Arabum duce Mady ob Christi fidem crudelíssime tortæ atque necátæ sunt.
Bonóniæ sancti Jucúndi Epíscopi et Confessóris.
In Hibérnia sancti Lauréntii Epíscopi Dublinénsis.

vij. D Decimoseptimo Kalendas Decembris. Luna. 15

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

Sanctæ Gertrúdis Vírginis, cujus natális memória ágitur quintodécimo Kaléndas Decémbris.

Eódem die natális sancti Eugénii Epíscopi Toletáni et Mártyris, beáti Dionysii Areopagítæ discípuli, qui in território Parisiénsi consummáto martyrii cursu, beátæ passiónis corónam percépit a Dómino : cujus corpus Tolétum póstea fuit translátum.

Nolæ in Campánia beáti Felícis Epíscopi et Mártyris, qui a quintodécimo ætátis suæ anno miraculórum glória cláruit, et sub Marciáno Præside cum áliis trigínta agónem martyrii complévit.

Edéssæ in Syria sanctórum Mártyrum Gúriæ et Samónæ sub Diocletiáno Imperatóre et Antoníno Præside.

Ibidem pássio sancti Abíbi Diáconi, qui sub Licínio Imperatóre et Lysánia Præside únguibus lacerátus, in ignem conjéctus est.

In Africa sanctórum Mártyrum Secúndi, Fidentiáni, et Várici.

In Británnia natális sancti Machúti Epíscopi, qui a primævo ætátis suæ tyrocínio miráculis emícuit.

Verónæ sancti Lupérii Epíscopi et Confessóris.

In Aústria sancti Leopóldi ejúsdem provínciæ Marchiónis, quem Innocéntius Octávus Sanctórum número adscrípsit.

vj. E Sextodecimo Kalendas Decembris. Luna. 16

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

In Africa sanctórum Mártyrum Rufíni, Marci, Valérii, et sociórum.

Eódem die sanctórum Mártyrum Elpídii, Marcélli, Eustóchii et sociórum : ex quibus Elpídius cum esset órdinis senatórii, et coram Juliáno Apóstata Christiánam fidem constantíssime profiterétur, primum equis indómitis una cum sóciis alligátus, atque pertráctus, deínde in ignem conjéctus, gloriósum martyrium consummávit.

Lugdúni natális sancti Euchérii Epíscopi et Confessóris, viri admirándæ fídei et doctrínæ, qui ex nobilíssimo Senatórum órdine ad religiósam vitam habitúmque convérsus, diu intra septa spelúncæ sponte conclúsus,

in oratiónibus et jejúniis Christo servívit; deinde apud præfátam urbem in pontificáli Cáthedra, reveláate Angelo, solémniter collocátus est.

Patávii sancti Fidéntii Epíscopi.

Cantuáriæ in Anglia sancti Eadmúndi Archiepíscopi et Confessóris, qui pro Ecclésiæ suæ júribus tuéndis in exílium actus apud Provínum Sénonum óppidum sanctíssime óbiit, et ab Innocéntio Quarto Sanctórum cánoni adscríptus est.

Eódem die depositio sancti Othmári Abbátis.

17 Quintodécimo Kaléndas Decémbris. Luna. F v.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

NEOCÆSARЕÆ in Ponto natális sancti Gregórii Epíscopi, qui doctrína et sanctitáte illústris, propter signa atque mirácula, quæ cum multa Ecclesiárum glória perpetrávit, Thaumatúrgus est appellátus.

In Palæstína sanctórum Mártyrum Alphæi et Zachæi, qui primo anno persecutiónis Diocletiáni post multa torménta capitálem senténtiam subiére.

Córdubæ sanctórum Mártyrum Acíscli et Victóriæ germanórum, qui in eádem persecutióne jussu Diónis Præsidis sævíssime cruciáti, corónas a Dómino illústri passióne meruérunt.

Alexandríæ sancti Dionysii Epíscopi, summæ eruditiónis viri, qui multis confessiónibus clarus, et pro passiónum tormentorúmque diversitáte magníficus, plenus diérum conféssor quiévit, Valeriáni et Galliéni Imperatórum tempóribus.

Aureliánis sancti Aniáni Epíscopi, cujus mortem in conspéctu Dómini pretiósam mirácula crebra testántur.

In Británnia sancti Hugónis Epíscopi qui ex Mónacho Carthusiáno ad Ecclésiam Lincolniénsem regéndam vocátus, multis cláruit miráculis, et sancto fine quiévit.

Turónis sancti Gregórii Epíscopi.

Floréntiæ sancti Eugénii Confessóris, Diáconi beáti Zenóbii ejúsdem civitátis Epíscopi.

In Germánia sanctæ Gertrúdis Vírginis, Ordinis sancti Benedícti, quæ dono revelatiónum clara éxtitit, cujus festívitas decimoséptimo Kaléndas Decémbris celebrátur.

iv. G Quartodecimo Kalendas Decembris. Luna. 18

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

Romæ dedicátio Basilicárum sanctórum Apostolórum Petri et Pauli; quarum primam in ampliórem formam restitútam Urbánus Octávus hac ipsa recurrénte die ritu solémni consecrávit.

Antiochiæ natális sancti Románi Mártyris, qui témpore Galérii Imperatóris, cum Asclepíades Præféctus in Ecclésiam irrúmperet, eámque fúnditus conarétur evértere, céteros Christiános hortátus, ut ei contradícerent, post dira torménta et linguæ abscissiónem (sine qua tamen Dei præcónia loquebátur) in cárcere láqueo strangulátus, célebri martyrio coronátur. Passus est étiam ante ipsum puérulus nómine Bárula, qui ab eo interrogátus utrum mélius esset unum Deum cólere, an plures deos, cum in unum Deum, quem Christiáni colunt, credéndum esse respondisset, verbéribus cæsus, jussus est decollári.

Item Antiochiæ sancti Hesychii Mártyris, qui cum esset miles, et præcéptum audísset, ut quisquis non sacrificáret idólis, cíngulum milítiæ depóneret, repénte cíngulum solvit: ob quam causam ligáto in déxtera ejus ingénti saxo, in flúvium præcipitári jussus est.

Eódem die sanctórum Orículi et sociórum, qui in persecutióne Wandálica pro fide cathólica passi sunt.

Mogúntiæ sancti Máximi Epíscopi, qui témpore Constántii multa passus ab Ariánis conféssor occúbuit.

Turónis tránsitus beáti Odónis Abbátis Cluniacénsis.

Antiochiæ sancti Thomæ Mónachi, quem Antiochéni, ob pestem ejus précibus sedátam, solemnitáte ánnua coluérunt.

Lucæ in Túscia translátio sancti Frigdiáni Episcopi et Confessóris.

iij. A Tertiodecimo Kalendas Decembris. Luna. 19

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

In óppido Marpurg in Germánia depositio sanctæ Elísabeth víduæ, Andréæ Regis Hungarórum fíliæ, tértii Ordinis sancti Francísci, quæ pietátis opéribus assidue inténta, miráculis clara migrávit ad Dóminum.

Eódem die natális sancti Pontiáni Papæ et Mártyris, qui ab Alexándro

Imperatóre cum Hippólyto Presbytero in Sardíniam deportátus, ibíque fústibus mactátus, martyrium consummávit : corpus vero ejus a beáto Fabiáno Papa Romam delátum, atque in cœmetério Callísti sepúltum est.

Samaríæ sancti Abdíæ Prophétæ.

Romæ via Appia natális sancti Máximi Presbyteri et Mártyris, qui in persecutióne Valeriáni passus, pósitus est ad sanctum Xystum.

Cæsaréæ in Cappadócia sancti Bárlaam Mártyris, qui agréstis licet et rudis, Christi sapiéntia munítus, tyránnum vicit, et ignem ipsum fídei constántia superávit : in cujus die natáli sanctus Basilíus Magnus célebrem hábuit oratiónem.

In civitáte Astiagénsi beáti Crispíni Epíscopi, qui, cápite amputáto, martyrii glóriam adéptus est.

Viénnæ sanctórum Mártyrum Severíni, Exupérii et Feliciáni : quorum córpora post multa annórum currícula, ipsis reveläntibus, invénta, et a Pontífice, clero, et pópulo illíus urbis honoríﬁce subláta, condígno honóre cóndita sunt.

Eódem die sancti Fausti Diáconi Alexandríni, qui primum in persecutióne Valeriáni cum sancto Dionysio in exílium missus, deinde in persecutióne Diocletiáni ætáte longævus, gládio animadvérsus martyrium consummávit.

In Isaúria pássio sanctórum Azæ, et Sociórum centum quinquagínta mílitum sub Diocletiáno Imperatóre et Aquilíno Tribúno.

20 Duodecimo Kalendas Decembris. Luna. B ij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

Sancti Felícis de Valois Confessóris.

Messánæ in Sicília sanctórum Mártyrum Ampéli et Caji.

Tauríni sanctórum Mártyrum Octávii, Solutóris et Adventóris, Thebánæ legiónis mílitum, qui sub Maximiáno Imperatóre egrégie decertántes, martyrio coronáti sunt.

Cæsaréæ in Palæstina sancti Agápii Mártyris, qui sub Galério Maximiáno Imperatóre damnátus ad béstias, et ab iis nil læsus, lapídibus ad pedes appénsis in mare demérgitur.

In Pérside pássio sanctórum Nersæ Epíscopi et Sociórum.

Doróstori in Mysia sancti Dásii Epíscopi, qui cum nollet in festo Satúrni impudicítiis ejus consentíre, sub Basso Præside cæsus est.

Nicææ in Bithynia sanctórum Mártyrum Eustáchii, Thespésii et Anatólii in persecutióne Maximíni.
Heracléæ in Thrácia sanctórum Mártyrum Bassi, Dionysii, Agapíti, et aliórum quadragínta.
In Anglia sancti Eadmúndi Regis et Mártyris.
Constantinópoli sancti Gregórii Decapolitæ, qui ob cultum sanctárum Imáginum multa passus est.
Mediolâni sancti Benígni Epíscopi, qui in magna barbarórum perturbatióne Ecclésiam sibi commíssam summa constántia et religióne administrávit.
Cabilóne sancti Silvéstri Epíscopi, qui quadragésimo secúndo sui sacerdótii anno plenus diérum atque virtútum migrávit ad Dóminum.
Verónæ sancti Simplícii Epíscopi et Confessóris.

j. C Undécimo Kalendas Decembris. Luna. 21

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

Jerosolymis Præsentátio beátæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ in templo.
Eódem die natális beáti Rufi, de quo sanctus Paulus Apóstolus ad Romános scribit.
Romæ pássio sanctórum Celsi et Cleméntis.
Apud óstia Tiberína sanctórum Mártyrum Demétrii et Honórii.
Rhemis sancti Albérti Epíscopi Leodiénsis et Mártyris, qui pro tuénda ecclesiástica libertáte necátus est.
In Hispánia sanctórum Mártyrum Honórii, Eutychii et Stéphani.
In Pamphylia sancti Heliodóri Mártyris, in persecutióne Aureliáni sub Aétio Præside, post quem ipsi tortóres, convérsi ad fidem, in mare demérsi sunt.
Romæ sancti Gelásii Papæ, doctrína et sanctitáte conspícui.
Verónæ sancti Mauri Epíscopi et Confessóris.
In monastério Bobiénsi deposítio sancti Columbáni Abbátis, qui multórum cœnobiórum fundátor, plurimórum Monachórum éxtitit pater, multísque virtútibus clarus in senectúte bona quiévit.

22 Decimo Kalendas Decembris. Luna. D

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 |

Romæ sanctæ Cæcíliæ Vírginis et Mártyris, quæ sponsum suum Valeriánum, et fratrem ejus Tibúrtium ad credéndum in Christum perdúxit, et ad martyrium incitávit. Hanc Almáchius Urbis Præféctus post eórum martyrium tenéri, atque illústri passióne post ignem superátum gládio fecit consummári, témpore Marci Aurélii Sevéri Alexándri Imperatóris.

Colóssis in Phrygia sanctórum Philémonis et Apphiæ sancti Pauli discipulórum, qui sub Neróne Imperatóre, cum Gentíles in die festo Dianæ invasíssent Ecclésiam, céteris fugiéntibus tenti, jussu Artoclis Præsidis verbéribus cæsi, et in fóveam usque ad renes inclúsi, lapídibus opprimúntur.

Item Romæ sancti Mauri Mártyris, qui ex Africa véniens ad sepúlchra Apostolórum, sub Numeriáno Imperatóre et Celeríno Urbis Præfécto agonizávit.

Antiochíæ Pisídiæ pássio sanctórum Marci et Stéphani sub Diocletiáno Imperatóre.

Augustodúni sancti Pragmátii Epíscopi et Confessóris.

23 Nono Kalendas Decembris. Luna. E xxix.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 |

Natalis sancti Cleméntis Papæ, qui tértius post beátum Petrum Apóstolum Pontificátum ténuit, et in persecutióne Trajáni apud Chersonésum relegátus, ibi alligáta ad collum ejus ánchora in mare præcipitátus, martyrio coronátur : cujus corpus Nicoláo primo Pontífice Romam translátum, in Ecclésia, quæ ejus nómine ántea fúerat extrúcta, honorífice recónditum est.

Romæ sanctæ Felicitátis, matris septem filiórum Mártyrum, quæ post eos, jubénte Marco Antoníno Imperatóre, decolláta est pro Christo.

Emérítæ in Hispánia sanctæ Lucrétiæ Vírginis et Mártyris, quæ in persecutióne Diocletiáni sub Daciáno Præside martyrium consummávit.

Cyzici in Hellespónto sancti Sisínii Mártyris, qui in eádem persecutióne post multa torménta gládio cæsus est.

Icónii in Lycaónia sancti Amphilóchii Epíscopi, qui sanctórum Basílii et Gregórii Nazianzéni in erémo sócius, et in Episcopátu colléga, post multa certámina pro cathólica fide suscépta sanctitáte et doctrina clarus quiévit in pace.
Agrigénti depositio sancti Gregórii Epíscopi.
In óppido Hasbániæ sancti Trudónis Presbyteri et Confessóris.
Mántuæ beáti Joánnis Boni, Ordinis Eremitárum sancti Augustini, cujus præcláram vitam sanctus Antonínus scripsit.

xxviij. F Octavo Kalendas Decembris. Luna. 24

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 |

Sancti Joánnis a Cruce Confessóris, cujus natális memória decimonóno Kaléndas Januárii recensétur.
Eódem die natális sancti Chrysógoni Mártyris, qui post longa víncula et cárceres pro constantíssima Christi confessióne tolerátos, jubénte Diocletiáno, Aquiléjam perdúctus, ibídem cápite cæsus, et in mare projéctus, martyrium consummávit.
Romæ sancti Crescentiáni Mártyris, qui in passióne beáti Marcélli Papæ légitur.
Amériæ im Umbria sanctæ Firmínæ Vírginis et Mártyris, quæ in persecutióne Diocletiáni várie cruciáta, demum suspénsa, et lampádibus ardéntibus adústa, spíritum réddidit.
Apud Corínthum sancti Alexándri Mártyris, qui sub Juliáno Apóstata et Sallústio Præside pro Christi fide certávit usque ad mortem.
Córdubæ sanctárum Vírginum et Mártyrum Floræ et Maríæ, quæ post diutúrnos cárceres in persecutióne Arábica gládio interémptæ sunt.
Perúsiæ sancti Felicíssimi Mártyris.
Medioláni sancti Protásii Epíscopi, qui apud Constántem Imperatórem in Concílio Sardicénsi causam Athanásii deféndit, ac pro Ecclésia sibi commíssa, et pro religióne multis perfúnctus labóribus, migrávit ad Dóminum.
In castro Blávio sancti Románi Presbyteri, cujus sanctitátis præcónium miraculórum glória declárat.
In território Arvernénsi sancti Portiáni Abbátis, qui sub Theodoríco Rege miráculis cláruit.

25 Septimo Kalendas Decembris. Luna. **G** xxvij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 |

Natalis sanctæ Catharínæ Vírginis et Mártyris, quæ ob fidei Christiánæ confessiónem Alexandriæ sub Maximíno Imperatóre in cárcerem trusa, et póstmodum scorpiónibus diutíssime cæsa, tandem cápitis obtruncatióne martyrium complévit: cujus corpus in montem Sínai ab Angelis mirabíliter delátum, ibídem frequénti Christianórum concúrsu pia veneratióne cólitur.

Romæ sancti Moysis Presbyteri et Mártyris, quem cum áliis deténtum in cárcere sanctus Cypriánus per litteras sæpe est consolátus. Is cum non tantum advérsus Gentiles, sed étiam advérsus schismáticos et hæréticos Novatiános infrácto ánimo stetísset, demum (ut sanctus Cornélius Papa testátur) in persecutióne Décii exímio et admirábili martyrio decorátus est.

Antiochíæ sancti Erásmi Mártyris.

Cæsaréæ in Cappadócia pássio sancti Mercúrii mílitis, qui custodiéntis se Angeli patrocínio et bárbaros vicit, et Décii sævítiam superávit, multísque auctus tormentórum trophæis, martyrio coronátus migrávit in cœlum.

In Æmília Itáliæ provincia sanctæ Jucúndæ Vírginis.

26 Sexto Kalendas Decembris. Luna. **A 25.** xxvj.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

Alexandriæ natális sancti Petri ejúsdem urbis Epíscopi, qui cum esset ómnibus virtútibus exornátus, Galérii Maximiáni præcépto cápite obtruncátur.

Passi sunt étiam Alexandríæ in eádem persecutióne sancti Mártyres Faustus Présbyter, Dídius et Ammónius; itémque Philéas, Hesychius, Pachómius et Theodórus Epíscopi Ægyptii, cum áliis sexcéntis sexagínta, quos persecutiónis gládius evéxit ad cœlos.

Nicomédiæ sancti Marcélli Presbyteri, qui Constántii témpore ab Ariánis e rupe præcipitátus, Martyr occúbuit.

Patávii sancti Bellíni Epíscopi et Mártyris.

Romæ sancti Sirícii Papæ et Confessóris, doctrína, pietáte, et religiónis zelo præclári, qui vários damnávit hæréticos, et disciplínam ecclesiásticam salubérrimis decrétis instaurávit.
Augustodúni sancti Amatóris Epíscopi.
Constántiæ sancti Conrádi Epíscopi.
Apud Fabriánum in Picéno beáti Silvéstri Abbátis, Institutóris Congregatiónis Monachórum Silvestrinórum.
In território Rheménsi natális sancti Básoli Confessóris.
Hadrianópoli in Paphlagónia sancti Styliáni Anachorétæ, miráculis clari.
In Arménia sancti Nicónis Mónachi.

xxiv. xxv. **B** Quinto Kalendas Decembris. Luna. 27

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

Antiochiæ sanctórum Mártyrum Basiléi Epíscopi, Auxílii, et Saturníni.
In Pérsia sancti Jacóbi intercísi, Mártyris conspícui, qui témpore Theodósii Junióris, cum in grátiam Isdegérdis Regis Christum negásset, et proptérea mater ejus et uxor ab ipsíus se consuetúdine subtraxíssent, in se revérsus, pro Christi confessióne Regem ádiit, a quo iráto condemnátus membrátim jussus est concídi, et cápite obtruncári : quo témpore innúmeri álii Mártyres ibídem passi sunt.
Sebáste in Arménia sanctórum Mártyrum Hirenárchi, Acácii Presbyteri, ac septem mulíerum ; quarum constántia Hirenárchus commótus, ad Christum convérsus, sub Diocletiáno Imperatóre et Máximo Præside una cum Acácio secúri percútitur.
In Gallæcia apud Cæam flúvium sanctórum Facúndi et Primitívi, qui sub Attico Præside passi sunt.
Aquiléjæ sancti Valeriáni Epíscopi.
Apud Régium in Gállia sancti Máximi Epíscopi et Confessóris, qui a primæva ætáte omni grátia virtútum præditus, primum Lirinénsis cœnóbii pater, deinde Regiénsis Ecclésiæ Epíscopus, signis et prodígiis inclytus éxtitit.
Salisbúrgi in Nórico sancti Virgílii Epíscopi, et Carinthiórum Apóstoli, a Gregório Nono Pontífice Máximo Sanctis adscrípti.
Apud Indos Persis finítimos sanctórum Bárlaam et Jósaphat, quorum actus mirándos sanctus Joánnes Damascénus conscrípsit.
Lutétiæ Parisiórum depositio sancti Severíni Mónachi et Solitárii.

28 Quarto Kalendas Decembris. Luna. C xxiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

ROMÆ sancti Rufi, quem cum omni família sua Diocletiánus Christi Mártyrem fecit.

Apud Corínthum natális sancti Sósthenis discípuli beáti Pauli Apóstoli, cujus mentiónem facit idem Apóstolus Corínthiis scribens. Hic ex príncipe Synagógæ convérsus ad Christum, ante Galliónem Procónsulem ácriter verberátus, præcláro inítio fídei suæ primórdia consecrávit.

In Africa sanctórum Mártyrum Papiniáni et Mansuéti Episcopórum, qui témpore Wandálicæ persecutiónis sub Genserico Rege Ariáno pro fídei cathólicæ defensióne candéntibus ferri láminis toto córpore adústi, gloriósum agónem consummárunt. Quo étiam témpore álii sancti Epíscopi, Valeriánus, Urbánus, Crescens, Eustáchius, Crescónius, Crescentiánus, Felix, Hortulánus et Florentiánus damnáti exílio, cursum vitæ suæ implevérunt.

Constantinópoli sanctórum Mártyrum Stéphani junióris, Basílii, Petri, Andréæ, et Sociórum trecentórum et trigintanóvem Monachórum, qui sub Constantíno Coprónymo pro sanctárum Imáginum cultu váriis excruciáti supplíciis, veritátem cathólicam effúso sánguine confirmárunt.

Romæ beáti Gregórii Papæ tértii, qui sanctitáte meritísque præclárus migrávit in cœlum.

Neápoli depositio sancti Jacóbi Picéni Confessóris, Ordinis Minórum, vitæ asperitáte, apostólica prædicatióne, ac plúribus pro re christiána óbitis legatiónibus præclárus, quem Benedictus Decimustértius Póntifex Máximus Sanctórum fastis adjúnxit.

29 Tertio Kalendas Decembris. Luna. D xxij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

VIGILIA sancti Andréæ Apóstoli.

Romæ via Salária natális sanctórum Mártyrum Saturníni Senis et Sisinii Diáconi sub Maximiáno Príncipe: quos diu in cárcere macerátos, jussit Præféctus Urbis in equúleum levári, et attrahi nervis, fústibus

ac scorpiónibus cædi, deinde eis flammas appóni, et depósitos equúleo cápite truncári.
Tolósæ sancti Saturníni Epíscopi, qui tempóribus Décii in Capitólio ejúsdem urbis a Pagánis tentus, atque a summa Capitólii arce per omnes gradus præcipitátus, cápite collíso, excussóque cérebro, et toto córpore dilaniáto, dignam Christo ánimam réddidit.
Item pássio sanctórum Paramónis, et Sociórum trecentórum septuagintaquinque sub Décio Imperatóre et Aquilíno Præside.
Ancyræ sancti Philómeni Mártyris, qui in persecutióne Aureliáni Imperatóris sub Felíce Præside igne probátus, mánibus pedibúsque, ac demum cápite clavis confíxo, martyrium consummávit.
Vérulis sanctórum Mártyrum Blásii et Demétrii.
Tudérti sanctæ Illuminátæ Vírginis.

xxj. **E** Pridie Kalendas Decembris. Luna. 30

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

Apud Patras Achájæ natális sancti Andréæ Apóstoli qui in Thrácia et Scythia Christi Evangélium prædicávit. Is ab Ægéa Procónsule comprehénsus, primo in cárcere clausus est, deinde gravíssime cæsus, ad último in cruce suspénsus, in ea pópulum docens bíduo supervíxit : et rogáto Dómino ne eum síneret de cruce depóni, circúmdatus magno splendóre de cœlo, abscedénte póstmodum lúmine, emísit spíritum.
Romæ pássio sanctórum Cástuli et Euprépitis.
Constantinópoli sanctæ Mauræ Vírginis et Mártyris.
Item sanctæ Justínæ Vírginis et Mártyris.
Apud Sántonas sancti Trojáni Epíscopi, magnæ sanctitátis viri, qui sepúltus in terris, in cœlo se vívere multis virtútibus manifestat.
Romæ sancti Constántii Confessóris, qui fórtiter Pelagiánis resístens, eórum factióne multa pértulit, quæ illum sanctis confessóribus sociárunt.
In Palæstína beáti Zósimi Confessóris, qui sub Justíno Imperatóre sanctitáte et miráculis fuit insignis.

# DECEMBER.

1 Kalendis Decembris. Luna. **F** xx.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

**NAHUM Prophétæ in Bégabar quiescéntis.**
**Romæ sanctórum Mártyrum Diodóri Presbyteri et Mariáni Diáconi, cum áliis plúribus, qui, jubénte Numeriáno Príncipe, martyrii glóriam meruérunt.**
**Ibídem pássio sanctórum Lúcii, Rogáti, Cassiáni et Cándidæ.**
**Eódem die sancti Ansáni Mártyris, qui sub Diocletiáno Imperatóre Romæ Christum conféssus, et in cárcerem trusus, deínde Senas in Túscia perdúctus, ibídem cápitis obtruncatióne martyrii cursum perfécit.**
**Amériæ in Umbria sancti Olympíadis viri consuláris, qui a beáta Firmína ad fidem convérsus, sub Diocletiáno in equúleo tortus, martyrium consummávit.**
**Arbéle in Pérsia sancti Ananíæ Mártyris.**
**Nárniæ sancti Próculi Epíscopi et Mártyris, qui post multa egrégia ópera a Tótila Gothórum Rege jussus est decollári.**
**In civitáte Casalénsi sancti Evásii Epíscopi et Mártyris.**
**Medioláni sancti Castritiáni Epíscopi, qui in máxima Ecclésiæ perturbatióne virtútum méritis, ac rerum pie religioséque gestárum laude enítuit.**
**Bríxiæ sancti Ursicíni Epíscopi.**
**Noviómi in Bélgio sancti Elígii Epíscopi, cujus vitam admirándam múltiplex signórum númerus comméndat.**
**Apud Virodúnum sancti Agerící Epíscopi.**
**Eódem die sanctæ Natáliæ uxóris beáti Hadriáni Mártyris, quæ sub Diocletiáno Imperatóre sanctis Martyribus Nicomédiæ in cárcere deténtis, multo témpore ministrávit; impletóque eórum certámine Constantinópolim profécta, ibídem in pace quiévit.**

xix. G Quarto Nonas Decembris. Luna. 2

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

Romæ pássio sanctæ Bibiánæ Vírginis, quæ sub Juliáno Imperatóre sacrílego ob Christum támdiu plumbátis cæsa est, donec rédderet spíritum.
Ibídem sanctórum Mártyrum Eusébii Presbyteri, Marcélli Diáconi, Hippólyti, Máximi, Adriæ, Paulínæ, Neónis, Maríæ, Martánæ et Aurélíæ, qui in persecutióne Valeriáni sub Secundiáno Júdice martyrium complevérunt.
Item Romæ sancti Pontiáni Mártyris cum áliis quátuor.
In Africa natális sanctórum Mártyrum Sevéri, Secúri, Januárii et Victoríni, qui ibídem martyrio coronáti sunt.
Aquiléjæ sancti Chromátii Epíscopi et Confessóris.
Apud Forum Cornélii sancti Petri Epíscopi Ravennátis, cognoménto Chrysólogi, doctrína et sanctitáte célebris; cujus festum prídie Nonas Decémbris recólitur.
Verónæ sancti Lupi Epíscopi et Confessóris.
Edéssæ sancti Nonni Epíscopi, cujus précibus Pelágia pœnitens ad Christum convérsa est.
Tróade in Phrygia sancti Silváni Epíscopi, miráculis clari.
Bríxiæ sancti Evásii Epíscopi.

xviij. A Tertio Nonas Decembris. Luna. 3

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

In Sanciáno Sinárum ínsula sancti Francísci Xavérii e Societáte Jesu Indiárum Apóstoli, géntium conversióne, donis et miráculis clari, qui plenus méritis et labóribus óbiit quarto Nonas Decémbris; ejus tamen festum jussu Alexándri Séptimi hac die celebrátur.
In Judæa sancti Sophoníæ Prophétæ.
Romæ sanctórum Mártyrum Claúdii Tribúni et uxóris ejus Hiláriæ, ac filiórum Jásonis et Mari, cum septuagínta milítibus: ex quibus Claúdium jussit Numeriánus Imperátor ingénti saxo alligátum, in flumen præcípitem dari; mílites vero et fílios ipsíus Claúdii capitáli senténtia puníri. Beáta autem Hilária cum filiórum córpora sepelísset, ad eórum sepúlchrum orans, paulo post a Pagánis tenta migrávit ad Dóminum.

Tingi in Mauritánia pássio sancti Cassiáni Mártyris, qui exceptóris diu gerens offícium, tandem cœlitus inspirátus, execrábile duxit Christianórum neci deservíre; unde renúntians eidem offício, sub Christiána confessióne triúmphum méruit obtinére martyrii.

Item in Africa sanctórum Mártyrum Claúdii, Crispíni, Magínæ, Joánnis et Stéphani.

In Pannónia sancti Agrícolæ Mártyris.

Nicomédiæ pássio sanctórum Ambíci, Victóris, et Júlii.

Medioláni sancti Miroclétis Epíscopi et Confessóris, cujus aliquándo sanctus Ambrósius méminit.

In Anglia sancti Biríni primi Epíscopi Dorcestriénsis.

Cúriæ in Germánia sancti Lúcii Britannórum Regis, qui primus ex iis Régibus Christi fidem suscépit, témpore Eleuthérii Papæ.

Senis in Túscia sancti Galgáni Eremitæ.

4 Pridie Nonas Decembris. Luna. B xvij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

Sancti Petri Chrysólogi Epíscopi et Confessóris, cujus memória quarto Nonas Decémbris recensétur.

Nicomédiæ pássio sanctæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris, quæ in persecutióne Maximíni, post diram cárceris maceratiónem, lampadárum adustiónem, mamillárum præcisiónem atque ália torménta, gládio martyrium consummávit.

Constantinópoli sanctórum Theóphanis et Sociórum.

In Ponto beáti Melétii Epíscopi et Confessóris, qui cum esset eruditiónis prærogatíva præcípuus, virtus tamen ánimi, et vitæ sincéritas in eo longe magnificéntior éxtitit.

Bonóniæ sancti Felícis Epíscopi, qui ántea Mediolanénsis Ecclésiæ sub sancto Ambrósio Diáconus fúerat.

In Anglia sancti Osmúndi Epíscopi et Confessóris.

Colóniæ sancti Annónis Epíscopi.

In Mesopotámia sancti Marúthæ Epíscopi, qui collápsas in Pérsia Dei Ecclésias ob persecutiónem Isdegérdis Regis reparávit, multísque miráculis clarus, apud hostes étiam méruit honorári.

Parmæ sancti Bernárdi Cardinális, et ejúsdem civitátis Epíscopi, Congregatiónis Vallisumbrósæ Ordinis sancti Benedícti.

xvj. C Nonis Decembris. Luna. 5

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

MUTALÆ in Cappadócia sancti Sabbæ Abbátis, qui in Palæstina miro sanctitátis exémplo refúlsit, et pro fide cathólica advérsus impugnántes sanctam Synodum Chalcedonénsem strénue laborávit.

Thebéste in Africa sanctæ Crispínæ nobilíssimæ féminæ, quæ tempóribus Diocletiáni et Maximiáni, cum sacrificáre nollet, jussu Anolíni Procónsulis decolláta est, quam sanctus Augustínus sæpe laúdibus célebrat.

Thagúræ in Africa sanctórum Mártyrum Júlii, Potámiæ, Crispíni, Felícis, Grati, et aliórum septem.

Níciæ apud Varum flúvium sancti Bassi Epíscopi, qui in persecutióne Décii et Valeriáni a Perénnio Præside ob Christi fidem equúleo tortus, láminis candéntibus ustus, fústibus et scorpiónibus cæsus, in ignem injéctus, cum evasísset illæsus, duóbus clavis confíxus, illústre martyrium consummávit.

Papíæ sancti Dalmátii Epíscopi et Mártyris, qui in persecutióne Maximiáni passus est.

Corfínii in Pelígnis sancti Pelíni Epíscopi Brundusíni, qui sub Juliáno Apóstata, cum ejus oratióne Martis templum corruísset, a templórum Pontifícibus diríssime cæsus, atque octogínta et quinque vulnéribus confóssus, martyrii corónam prométuit.

Item sancti Anastásii Mártyris, qui ardóre martyrii sponte se persecutóribus óbtulit.

Tréviris sancti Nicétii Epíscopi, miræ sanctitátis viri.

Polyboti in Asia sancti Joánnis Epíscopi, cognoménto Thaumatúrgi.

xv. D Octavo Idus Decembris. Luna. 6

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

MYRÆ, quæ est metrópolis Lyciæ, natális sancti Nicolái Epíscopi et Confessóris, de quo inter plura miraculórum insígnia illud memorábile fertur, quod Imperatórem Constantínum ab intéritu quorúmdam se invocántium, longe constitútus, ad misericórdiam per visum mónitis defléxit et minis.

In Africa sanctárum mulíerum Dionysiæ, Datívæ, Leóntiæ, et religiósi viri nómine Tértii, Æmiliáni médici, et Bonifácii, cum áliis tribus, qui omnes in persecutióne Wandálica sub Hunneríco Rege Ariáno pro defensióne cathólicæ fídei gravíssimis et innúmeris supplíciis cruciáti, confessórum Christi número sociári meruérunt.

Ibídem sancti Majórici fílii sanctæ Dionysiæ, qui cum esset adolescéntulus, ac torménta pavésceret, matris obtútibus verbísque corroborátus, céteris fórtior factus, in torméntis réddidit spíritum, quem amplexáta mater domi sepelívit, et ad ejus sepúlchrum assídue oráre consuévit.

Eódem die sancti Polychrónii Presbyteri, qui témpore Constántii Imperatóris, cum ad altáre Missas ágeret, invásus est ab Ariánis, et jugulátus.

Granátæ in Hispánia pássio beáti Petri Paschásii Mártyris, Ordinis beátæ Maríæ de Mercéde redemptiónis Captivórum, et Epíscopi Giennénsis, cujus festívitas Cleméntis Papæ Décimi jussu celebrátur décimo Kaléndas Novémbris.

Romæ sanctæ Aséllæ Vírginis, quæ (ut beátus Hierónymus scribit) ab útero matris benedícta, vitam jejúniis et oratiónibus usque ad senéctam prodúxit.

7 Septimo Idus Decembris. Luna. E xiv.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

MEDIOLANI ordinátio sancti Ambrósii Epíscopi, et Ecclésiæ Doctóris, cujus sanctitáte et doctrína universális Ecclésia decorátur.

Alexandríæ natális beáti Agathónis militáris, qui in persecutióne Décii cum prohibéret quosdam voléntes illúdere cadavéribus Mártyrum, clamor repénte totíus vulgi advérsus eum extóllitur, oblátus autem Júdici, cum in confessióne Christi persísteret, cápite pro pietáte damnátus est.

Antiochíæ sanctórum Mártyrum Polycárpi et Theodóri.

Tubúrbi in Africa sancti Servi Mártyris, qui in persecutióne Wandálica sub Hunneríco Rege Ariáno fústibus diutíssime cæsus, tróchleis frequénter in sublíme elevátus, atque ictu céleri super sílices póndere córporis dimíssus, et lapídibus acutíssimis perfricátus, martyrii palmam adéptus est.

Theáni in Campánia sancti Urbáni Epíscopi et Confessóris.

Apud Sántonas in Gállia sancti Martini Abbátis, ad cujus túmulum crebérrima divínitus fiunt miràcula.
In pago Meldénsi sanctæ Pharæ Vírginis.

xiij. **F** Sexto Idus Decembris. Luna. 8

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

CONCEPTIO gloriósæ semper Vírginis Genitrícis Dei Maríæ.
Romæ beáti Eutychiáni Papæ, qui per divérsa loca trecéntos quadragintadúos Mártyres manu sua sepelívit; quibus et ipse sociátus, sub Numeriáno Imperatóre martyrio coronátus est, et in cœmetério Callisti sepúltus.
Alexandríæ sancti Macárii Mártyris, qui témpore Décii cum a Júdice multis verbis ad negándum Christum suaderétur, et eo majóri constántia fidem suam profiterétur, vivus ad últimum jubétur exúri.
Tréviris sancti Euchárii, discípuli beáti Petri Apóstoli, et primi ejúsdem civitátis Epíscopi.
In Cypro sancti Sophrónii Epíscopi, qui pupillórum, orphanórum ac viduárum defénsor miríficus, et paúperum atque oppressórum ómnium adjútor fuit.
In monastério Luxoviénsi sancti Romarici Abbátis, qui cum in aula Theodobérti Regis primus esset, renúntians sæculo, monástica étiam observántia cæteris antecélluit.
Constantinópoli sancti Patápii Solitárii, virtútibus et miráculis clari.
Verónæ ordinátio sancti Zenónis Epíscopi.

xij. **G** Quinto Idus Decembris. Luna. 9

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

TOLETI in Hispánia natális sanctæ Leocádiæ Vírginis et Mártyris, quæ in persecutióne Diocletiáni Imperatóris a Præfécto Hispaniárum Daciáno dira cárceris custódia maceráta, cum gravíssimos beátæ Euláliæ et reliquórum Mártyrum cruciátus audísset, génibus in oratióne pósitis, impollútum spíritum Christo réddidit.
Carthágine sancti Restitúti Epíscopi et Mártyris, in cujus solemnitáte sanctus Augustínus de eo ad pópulum sermónem hábuit.

Item in Africa sanctórum Mártyrum Petri, Succéssi, Bassiáni, Primitívi, et aliórum vigínti.

Lemóvicis in Gállia sanctæ Valériæ Vírginis et Mártyris.

Verónæ sancti Próculi Epíscopi, qui in persecutióne Diocletiáni cólaphis ac fústibus cæsus, et civitáte pulsus, tandem in Ecclésiam suam restitútus quiévit in pace.

Papíæ sancti Syri primi ejúsdem civitátis Epíscopi, qui apostólicis signis et virtútibus cláruit.

Apaméæ in Syria beáti Juliáni Epíscopi, qui témpore Sevéri sanctitáte refúlsit.

Petragóricis in Gállia sancti Cypriáni Abbátis, magnæ sanctitátis viri.

Naziánzi sanctæ Gorgóniæ soróris beáti Gregórii theólogi, cujus ipse virtútes et mirácula conscrípsit.

10 Quarto Idus Decembris. Luna. **A** xj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

Romæ sancti Melchíadis Papæ, qui in persecutióne Maximiáni multa passus, réddita Ecclésiæ pace, quiévit in Dómino.

Eódem die sanctórum Mártyrum Carpóphori Presbyteri et Abúndii Diáconi, qui in persecutióne Diocletiáni primo fústibus crudelíssime cæsi, deinde in cárcerem, negáto cibo et potu, retrúsi, et rursum in equúleo torti, et post hæc diu in cárcere maceráti, novíssime gládio percússi sunt.

Eméritæ in Hispánia pássio sanctæ Euláliæ Vírginis, quæ sub Maximiáno Imperatóre, cum esset annórum duódecim, jussu Daciáni Præsidis pro confessióne Christi plúrima torménta perpéssa est: novíssime in equúleo suspénsa et exunguláta, fáculis ardéntibus ex utróque látere appósitis, hausto igne, spíritum réddidit.

Item ibídem sanctæ Júliæ Vírginis et Mártyris, quæ beátæ Euláliæ sócia fuit, et illi ad passiónem properánti comes indivídua adhæsit.

Alexandríæ sanctórum Mártyrum Mennæ, Hermógenis et Eúgraphi, qui sub Galério Maximiáno passi sunt.

Apud Leontínos in Sicília sanctórum Mártyrum Mercúrii et Sociórum mílitum, qui sub Tertyllo Præside témpore Licínii Imperatóris gládio cæsi sunt.

Ancyræ in Galátia sancti Gemélli Mártyris, qui post dira torménta sub Juliáno Apóstata crucis supplício martyrium consummávit.

Viénnæ sancti Sindúlphi Episcopi et Confessóris.
Bríxiæ sancti Deúsdedit Episcopi.
Lauréti in Picéno Translátio sacræ Domus Dei Genitrícis Maríæ, in qua Verbum caro factum est.

x. **B** Tertio Idus Decembris. Luna. 11

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

Romæ sancti Dámasi Papæ et Confessóris, qui Apollinárem hæresiárcham damnávit, et Petrum Epíscopum Alexandrínum fugátum restituit : multa étiam sanctórum Mártyrum córpora invénit, eorúmque memórias vérsibus exornávit.
Item Romæ pássio sancti Thrasónis, qui cum Christiános laborántes in thermis, aliísque opéribus públicis fatigátos, et in cárcere pósitos de suis facultátibus áleret, jubénte Maximiáno tentus, cum áliis duóbus, Pontiáno et Prætextáto martyrio coronátus est.
Ambiáni sanctórum Mártyrum Victórici et Fusciáni sub eódem Imperatóre, in quorum náribus et aúribus jussit Rictiovárus Præses immítti taríncbas, et clavis ardéntibus témpora transfígi, deínde óculos evélli, ac póstmodum eórum córpora jaculári, sicque una cum sancto Gentiáno eórum hóspite, capítibus amputátis, migravérunt ad Dóminum.
In Pérside sancti Bársabæ Mártyris.
In Hispánia sancti Eutychii Mártyris.
Placéntiæ sancti Sabíni Episcopi, miráculis clari.
Constantinópoli sancti Daniélis Stylítæ.

ix. **C** Pridie Idus Decembris. Luna. 12

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

| A | B | C | D | E | **F** | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

Romæ sancti Synésii Mártyris, qui témpore beáti Xysti Papæ Lector ordinátus, cum multos convertisset ad Christum, apud Aureliánum Imperatórem accusátus, gládio percússus, martyrii corónam accépit.
Alexandríæ sanctórum Mártyrum Epímachi et Alexándri, qui sub Décio Imperatóre cum fuíssent multo témpore in vínculis, et divérsis supplíciis affécti, ac perdurássent in fide, ígnibus tandem consúmpti sunt.
Ibidem sanctárum Ammonáriæ Vírginis, Mercúriæ, Dionysíæ, et altérius

Ammonáriæ : quarum prima in eádem Décii persecutióne, inaudítis tormentórum genéribus superátis, ferro cædénte, beátum vitæ finem percépit : tres vero áliæ, cum Judex a féminis superári erubésceret, ac dubitáret ne éadem in illas exércens cruciaménta, eárum étiam constántia vincerétur, statim jussæ sunt decollári.

Eódem die sanctórum Mártyrum Hermógenis, Donáti, et aliórum vigintiduórum.

Tréviris sanctórum Mártyrum Maxéntii, Constántii, Crescéntii, Justíni et Sociórum, qui in persecutióne Diocletiáni sub Rictiováro Præside passi sunt.

**13** Idibus Decembris. Luna. **D** viij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

Syracusis in Sicília natális sanctæ Lúciæ Vírginis et Mártyris, in persecutióne Diocletiáni : quam cum lenónes, quibus, jubénte Paschásio Consulári, trádita erat, ut a pópulo castitáti ejus illuderétur, dúcere vellent, nullátenus eam movére potuérunt, nec fúnibus ádditis, nec boum jugis plúrimis : deínde vero picem, resínam, fervens óleum nil læsa súperans, tandem gládio in gútture percússa, martyrium consummávit.

In Arménia pássio sanctórum Mártyrum Eustrátii, Auxéntii, Eugénii, Mardárii et Oréstis, in persecutióne Diocletiáni : ex quibus Eustrátius primo sub Lycia, deínde Sebáste sub Agricoláo Præside una cum Oréste exquisítis torméntis cruciátus, in fornácem missus réddidit spíritum : Oréstes autem in stratum férreum ignítum pósitus migrávit ad Dóminum : céteri apud Arábracos sævíssimis agitáti supplíciis sub Lysia Præside diversímode martyrium consummárunt. Eórum córpora póstea Romam transláta, in Ecclésia sancti Apollináris honorífice sunt collocáta.

Apud Sardíniam in Sulcitána ínsula pássio sancti Antíochi sub Hadriáno Imperatóre.

Cameráci in Gállia sancti Authbérti Epíscopi et Confessóris.

In pago Pontíno sancti Judóci Confessóris.

In território Argentoraténsi sanctæ Othíliæ Vírginis.

Molíni in Gállia, natális sanctæ Joánnæ Franciscæ Frémiot de Chantal sanctimoniálium Visitatiónis sanctæ Maríæ Fundatrícis, nobilitáte géneris, sanctimónia vitæ, quam in quadrúplici statu constánter duxit,

16

et miraculórum grátia conspícuæ, a Cleménte Decimotértio in Sanctárum númerum relátæ. Sacrum ejus corpus Annécium in Sabaúdia translátum, in prima sui Ordinis Ecclésia solémni pompa tumulátum fuit. Ejus autem festum diem duodécimo Kaléndas Septémbris ab univérsa Ecclésia Clemens Quartusdécimus celebrári mandávit.

vij. E Decimonono Kalendas Januarii. Luna. 14

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

Alexandriæ sanctórum Mártyrum Herónis, Arsénii, Isidóri, et Dióscori púeri: quorum tres primos Judex in persecutióne Deciána váriis torméntis dilánians, cum pari constántia vidéret armátos, tradi ígnibus jubet: Dióscorus vero multipliciter flagellátus, divíno nutu ad consolatiónem fidélium dimíssus est.

Antiochíæ natális sanctórum Mártyrum Drusi, Zósimi, et Theodóri.

Eódem die pássio sanctórum Justi et Abúndii, qui sub Numeriáno Imperatóre et Olybrio Præside in ignem injécti, cum evasíssent illæsi, gládio percússi sunt.

Rhemis pássio sanctórum Nicásii Epíscopi, Eutrópiæ Vírginis soróris ejus, et Sociórum Mártyrum, qui a bárbaris Ecclésiæ hóstibus cæsi sunt.

In Cypro ínsula natális beáti Spiridiónis Epíscopi, qui unus fuit ex illis Confessóribus, quos Galérius Maximiánus, dextro óculo effósso, et sinístro póplite succíso, ad metálla damnáverat. Hic prophetíæ dono et signórum glória ínclytus fuit, et in Nicæno Concílio philósophum éthnicum Christiánæ religióni insultántem devícit, et ad fidem perdúxit.

Bérgomi sancti Viatóris Epíscopi et Confessóris.

Papíæ sancti Pompéji Epíscopi.

Neápoli in Campánia sancti Agnélli Abbátis grátia miraculórum illústris, qui obséssam urbem sæpe visus est Crucis vexíllo ab hóstibus liberáre.

Ubédæ in Hispánia sancti Joánnis a Cruce Confessóris, in Carmelitárum reformatióne sanctæ Therésiæ sócii, cujus Festum ágitur octávo Kaléndas Decémbris.

Medioláni sancti Matroniáni Eremítæ.

15 Decimooctavo Kalendas Januarii. Luna. F vj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

OCTAVA Conceptiónis beátæ Maríæ Vírginis.
Eódem die ordinátio sancti Eusébii Epíscopi Vercellénsis, cujus natális dies Kaléndis Augústi recensétur, ac ejus festum jussu Benedicti Papæ Decimitértii sequénti die recólitur.
Romæ sanctórum Mártyrum Irenæi, Antónii, Theodóri, Saturníni, Victóris, et aliórum decem et septem, qui in persecutióne Valeriáni pro Christo passi sunt.
In Africa pássio sanctórum Faustíni, Lúcii, Cándidi, Cæliáni, Marci, Januárii, et Fortunáti.
Ibidem sancti Valeriáni Epíscopi, qui cum esset annórum plus octogínta, in persecutióne Wandálica sub Genseríco Rege Ariáno, convéntus ab eo ut tráderet Ecclésiæ utensília, idque constánter renuisset, extra civitátem singuláris jussus est pelli : cumque præcéptum esset, ut nullus eum neque in domo, neque in agro dimítteret habitáre, multo témpore in strata pública nudo sub áere jacens, in confessióne et defensióne cathólicæ veritátis cursum beátæ vitæ complévit.
In território Aurelianénsi sancti Maximíni Confessóris.
Apud Ibéros trans Pontum Euxínum sanctæ Christiánæ ancíllæ, quæ virtúte miraculórum gentem illam témpore Constantíni ad fidem Christi perdúxit.

16 Decimoseptimo Kalendas Januarii. Luna. G v.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

SANCTI Eusébii Epíscopi Vercellénsis, et Mártyris, de quo Kaléndis Augústi, et prídie hujus diéi ejus refértur memória.
Trium puerórum, Ananíæ, Azaríæ et Misaélis, quorum corpora apud Babylóniam sub quodam specu sunt pósita.
Ravénnæ sanctórum Mártyrum Valentíni magistri mílitum, Concórdii ejus fílii, Navális et Agrícolæ, qui in persecutióne Maximiáni pro Christo passi sunt.

Fórmiis in Campánia sanctæ Albínæ Vírginis et Mártyris sub Décio Imperatóre.
In Africa pássio plurimárum sanctárum Vírginum, quæ in persecutióne Wandálica sub Hunnerico Rege Ariáno suspéndia, póndera, laminásque ignítas tolerántes, martyrii agónem felíciter consummárunt.
Viénnæ beáti Adónis Episcopi et Confessóris.
Aberdóne in Hibérnia sancti Beáni Epíscopi.
Gazæ in Palæstína sancti Ireniónis Epíscopi.

iv. A Sextodecimo Kalendas Januarii. Luna. 17

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

Eleutheropoli in Palæstína sanctórum Mártyrum Floriáni, Calaníci, et Sociórum quinquagínta et octo, qui témpore Herácliî Imperatóris a Sarracénis ob Christi fidem occísi sunt.
Massíliæ in Gállia beáti Lázari Epíscopi, quem Dóminus in Evangélio a mórtuis suscitásse légitur.
Romæ sancti Joánnis de Matha, fundatóris Ordinis sanctissimæ Trinitátis redemptiónis captivórum; cujus festívitas ágitur sexto Idus Februárii ex decréto Innocéntii Undécimi.
In monastério Fuldénsi sancti Stúrmii Abbátis, et Saxóniæ Apóstoli, quem Innocéntius Secúndus in Concílio Lateranénsi secúndo in Sanctórum númerum rétulit.
Bigárdis prope Bruxéllam sanctæ Vivínæ Vírginis, cujus egrégiam sanctitátem mirácula crebra testántur.
Constantinópoli sanctæ Olympiadis víduæ.
Andániæ apud Septem Ecclésias beátæ Beggæ víduæ, soróris sanctæ Gertrúdis.
Eódem die translátio sancti Ignátii Epíscopi et Mártyris, qui tértius post beátum Petrum Apóstolum Antiochénam rexit Ecclésiam; cujus corpus ab urbe Roma, ubi ipse sub Trajáno passus fúerat, Antiochíam delátum, extra portam Daphníticam in cœmetério Ecclésiæ pósitum fuit : in qua celebritáte sanctus Joánnes Chrysóstomus conciónem ad pópulum hábuit : póstmodum vero ejus relíquiæ rursus Romam translátæ sunt, et in Ecclésia sancti Cleméntis una cum córpore ejúsdem beatíssimi Papæ et Mártyris summa veneratióne recónditæ.

18 Quintodecimo Kalendas Januarii. Luna. B iij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

PHILIPPIS in Macedónia natális sanctórum Mártyrum Rufi et Zósimi, qui ex número discipulórum fuérunt, per quos primitíva Ecclésia in Judæis et Græcis fundáta est : de quorum étiam felíci agóne scribit sanctus Polycárpus in epístola ad Philippénses.

Laodicéæ in Syria pássio sanctórum Theotími et Basiliáni.

In Africa sanctórum Mártyrum Quincti, Simplícii et aliórum, qui sub Décii et Valeriáni persecutióne passi sunt.

Ibídem sancti Moysétis Mártyris.

Item in Africa sanctórum Mártyrum Victúri, Victóris, Victoríni, Adjutóris, Quarti, et aliórum trigínta.

Mopsuéstiæ in Cilícia sancti Auxéntii Epíscopi, qui olim sub Licínio miles, pótius elégit cíngulum exúere, quam uvas Baccho offérre : factúsque Epíscopus, præclárus méritis in pace quiévit.

Turónis sancti Gratiáni Epíscopi, qui a sancto Fabiáno Papa ejúsdem civitátis primus Episcopus ordinátus, multis clarus miráculis obdormívit in Dómino.

19 Quartodecimo Kalendas Januarii. Luna. C ij.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

ALEXANDRIÆ in Ægypto beáti Nemésii Mártyris, qui primo per calúmniam quasi latro Júdici delátus, eóque crímine absolútus, mox in persecutióne Décii Christiánæ religiónis nómine Æmiliáno Júdici accusátur : a quo geminátis suppliciis excruciátus, cum latrónibus jussus est incéndi, Salvatóris déferens similitúdinem, una cum latrónibus pértulit crucem.

Nicææ sanctórum Darii, Zósimi, Pauli, et Secúndi Mártyrum.

Nicomédiæ sanctórum Mártyrum Cyríaci, Paulílli, Secúndi, Anastásii, Sindímii, et Sociórum.

In Mauritánia sancti Timóthei Diáconi, qui ob Christi fidem post diros cárceres in ignem conjéctus, martyrium consummávit.

Gazæ in Palæstína pássio sanctórum Méuris et Theæ.

Antisiodóri sancti Gregórii Epíscopi et Confessóris.
Aureliánis sancti Adjúti Abbátis, prophetíæ spíritu illústris.
Romæ sanctæ Faustæ matris sanctæ Anastásiæ, nobilitáte et pietáte insígnis.

j. D Tertiodecimo Kalendas Januarii. Luna. 20

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

VIGILIA sancti Thomæ Apóstoli.
Romæ sanctórum Mártyrum Liberáti et Bájuli.
Alexandríæ sanctórum Mártyrum Ammónis, Zenónis, Ptolemæi, Ingenis et Theóphili mílitum, qui tribunálibus astántes, cum quidam Christiánus in supplíciis pósitus trepidáret, et jam pene ad negándum declináret, vultu, óculis, ac nútibus illum conabántur erígere: cumque hac de causa totius pópuli clamor in eos prosilíret, prorumpéntes in médium, Christiános se esse testáti sunt: per quorum victóriam Christus, qui suis eam ánimi constántiam déderat, gloriosíssime triumphávit.
Géldubæ sancti Július Mártyris.
In Arábia sanctórum Mártyrum Eugénii et Macárii Presbyterórum, qui a Juliáno Apóstata, cum ipsius impietátem arguíssent, sævíssimis plagis affécti, atque in vastíssimam erémum relegáti, gládio cæsi sunt.
Antiochíæ natális sancti Philogónii Epíscopi, qui ex causídico ad eam Ecclésiam regéndam Dei nutu accersítus, advérsus Aríum una cum sancto Alexándro Epíscopo et sóciis primum pro fide cathólica certámen íniit, clarúsque méritis quiévit in Dómino: cujus ánnuam festivitátem sanctus Joánnes Chrysóstomus præcláro encómio celebrávit.
Brixiæ sancti Domínici Epíscopi et Confessóris.
In Hispánia depositio sancti Domínici de Sylos Abbátis Ordinis sancti Benedicti, miráculis in captivórum liberatióne celebérrimi.

* E Duodecimo Kalendas Januarii. Luna. 21

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 |

CALAMINÆ natális beáti Thomæ Apóstoli, qui Parthis, Medis, Persis, et Hyrcánis Evangélium prædicávit, ac demum in Indiam pervéniens, cum eos pópulos in Christiána religióne instituísset, Regis jussu lánceis

transfixus occúbuit : cujus reliquiæ primo ad urbem Edéssam, deínde Orthónam translátæ sunt.

In Túscia sanctórum Mártyrum Joánnis et Festi.

In Lycia sancti Themistoclis Mártyris, qui sub Décio Imperatóre pro sancto Dióscoro, qui quærebátur ad necem, se ófferens, equúleo tortus, raptátus, ac fústibus cæsus, martyrii corónam adéptus est.

Nicomédiæ sancti Glycérii Presbyteri, qui in persecutióne Diocletiáni multis torméntis vexátus, in ignem demum conjéctus martyrium consummávit.

Antiochiæ sancti Anastásii Epíscopi et Mártyris, qui, Phoca imperánte, a Judæis sævíssime necátus est.

Tréviris sancti Severíni Epíscopi et Confessóris.

22 Undecimo Kalendas Januarii. Luna. Fxxix.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 26 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 |

ROMÆ via Lavicána inter duos Lauros natális sanctórum trigínta Mártyrum, qui omnes una die in persecutióne Diocletiáni martyrio coronáti sunt.

Ibídem sancti Flaviáni Expræfécti, qui sub Juliáno Apóstata pro Christo inscriptióne damnátus, et ad Aquas Taurínas in exílium missus, illic orans, spíritum Deo réddidit.

Apud óstia Tiberína sanctórum Mártyrum Demétrii, Honoráti, et Flori.

Alexandríæ sancti Ischyriónis Mártyris, qui cum ad sacrificándum convítiis et injúriis cogerétur, atque contémneret, præacúta sude per média víscera transverberátus neci tráditur.

In Ægypto sanctórum Chærémonis Epíscopi Nilópolis, et aliórum plurimórum Mártyrum, quorum álii, sæviénte Décii persecutióne, fuga dispérsi, in solitudínibus errántes, a béstiis interémpti sunt; álii fame, frígore ac languóre consúmpti; álii a bárbaris et latrónibus necáti, martyrii glória coronáti sunt.

Nicomédiæ sancti Zenónis mílitis, qui cum Diocletiánum Céreri immolántem derisísset, maxíllis confráctis, dentibúsque excússis, cápite truncátus est.

xxviij. G Decimo Kalendas Januarii. Luna. 23

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 27 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 |

Romæ sanctæ Victóriæ Vírginis et Mártyris, quæ in persecutióne Décii Imperatóris, cum esset desponsáta Eugénio pagáno, et nec núbere vellet, neque sacrificáre, post multa facta mirácula, quibus plúrimas Deo Vírgines aggregáverat, a carnífice percússa est gládio in corde, rogátu sui sponsi.

Nicomédiæ natális sanctórum vigínti Mártyrum, quos Diocletiána persecútio gravíssimis torméntis cruciátos, Mártyres Christi fecit.

Ibídem pássio sanctórum Migdónii et Mardónii, quorum alter in eádem persecutióne igne cremátus, alter in fossam projéctus occúbuit; tunc étiam passus est Diáconus sancti Anthími Epíscopi Nicomediénsis, qui cum litteras perférret ad Mártyres, a Gentílibus tentus, et lapídibus óbrutus, migrávit ad Dóminum.

In Creta sanctórum Mártyrum Theodúli, Saturníni, Eúpori, Gelásii, Euniciáni, Zétici, Cleómenis, Agáthopi, Basílidis et Evarísti, qui in persecutióne Décii crudélia passi, cápite cæsi sunt.

Romæ beáti Sérvuli, de quo sanctus Gregórius scribit, quod a primæva sui ætáte usque ad finem vitæ paralýticus jácuit in pórticu prope Ecclésiam sancti Cleméntis, et demum Angelórum cánticus invitátus, transívit ad glóriam Paradísi: ad cujus túmulum Deus mirácula crebérrime osténdit.

xxvij. A Nono Kalendas Januarii. Luna. 24

| | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 28 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 |

Vigilia Nativitátis Dómini nostri Jesu Christi.

Antiochíæ natális sanctárum Vírginum quadragínta, quæ in Deciána persecutióne per divérsa torménta martyrium consummárunt.

Apud Spolétum sancti Gregórii Presbyteri et Mártyris, qui tempóribus Diocletiáni et Maximiáni Imperatórum primo nodósis fústibus cæsus, ac deínde, post cratículam et cárcerem, cárduis férreis in génibus percússus, sed et ardéntibus lampádibus per látera incénsus, tandem est decollátus.

Trípoli sanctórum Mártyrum Luciáni, Metróbii, Pauli, Zenóbii, Theotimi et Drusi.

Nicomédiæ sancti Euthymii Mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni, cum multos ad martyrium præmisisset, ipse ense transfíxus, eos secútus est ad corónam.

Burdigalæ sancti Delphíni Epíscopi, qui Theodósii témpore cláruit sanctitáte.

In Polónia sancti Joánnis Cántii Presbyteri sæculáris Confessóris, doctrína, propagándæ fidei zelo, virtútibus, ac miráculis clari, cujus festum tertiodécimo Kaléndas Novémbris celebrátur.

Romæ natális sanctæ Tharsíllæ Vírginis, ámitæ sancti Gregórii Papæ, de qua ipse testátur, quod in hora éxitus sui Jesum ad se veniéntem víderit.

Tréviris sanctæ Irmínæ Vírginis, fíliæ Dagobérti Regis.

25 Octavo Kalendas Januarii. Luna. B xxvj.

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 29 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

Anno a creatióne mundi, quando in princípio Deus creávit cœlum et terram, quínquies millésimo centésimo nonagesimonóno : A dilúvio vero anno bis millésimo nongentésimo quinquagesimoséptimo : A nativitáte Abrahæ anno bis millésimo quintodécimo : A Moyse et egréssu pópuli Israel de Ægypto, anno millésimo quingentesimodécimo : Ab unctióne David in Regem anno millésimo trigesimosecúndo; Hebdómada sexagesimaquinta juxta Daniélis prophetiam : Olympíade centésima nonagesimaquárta : Ab urbe Roma cóndita anno septingentésimo quinquagesimosecúndo : Anno Impérii Octaviáni Augústi quadragesimosecúndo, toto orbe in pace compósito, sexta mundi ætáte, Jesus Christus ætérnus Deus, æternique Patris Fílius, mundum volens advéntu suo piíssimo consecráre, de Spíritu sancto concéptus, novémque post conceptiónem decúrsis ménsibus, (Hic dicitur alta voce, et omnes genua flectunt.) in Béthlehem Judæ náscitur ex María Vírgine factus Homo.

Hic autem altius, et in tono passionis.

Nativitas Dómini nostri Jesu Christi secúndum carnem. Quod sequitur, legitur in tono Lectionis Martyrologii, et surgunt omnes.

Eódem die natális sanctæ Anastásiæ, quæ, témpore Diocletiáni, primo diram et immítem custódiam a viro suo Públio perpéssa est, in qua tamen a Chrysógono Confessóre Christi multum consoláta et confortáta

fuit; deinde a Floro Præfécto Illírici diútina custódia maceráta, ad últimum mánibus et pédibus exténsis ligáta est ad palos, et circa eam ignis accénsus, in quo martyrium consummávit in ínsula Palmária, ad quam cum ducéntis viris et septuagínta féminis deportáta fúerat, qui váriis interfectiónibus martyrium celebrárunt.

Romæ in cœmetério Aproniáni sanctæ Eugéniæ Vírginis, quæ témpore Galliéni Imperatóris post plúrima virtútum insígnia, post sacros Vírginum choros Christo aggregátos, sub Nicétio Urbis præfécto diu agonízans, novíssime gládio juguláta est.

Nicomédiæ pássio multórum míllium Mártyrum, qui cum in Christi Natáli ad Domínicum convenissent, Diocletiánus Imperátor jánuas Ecclésiæ claudi jussit, et ignem circumcirca parári, tripodémque cum thure præ fóribus poni, ac præcónem magna voce clamáre, ut qui incéndium vellent effúgere, foras exírent, et Jovi thus adolérent: cumque omnes una voce respondíssent, pro Christo se libéntius mori, incénso igne consúmpti, eo die nasci meruérunt in cœlis, quo Christus in terris pro salúte mundi nasci dignátus est.

Barcinóne in Hispánia natális sancti Petri Nolásco Confessóris, ac Fundatóris Ordinis beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis captivórum, virtúte et miráculis clari; cujus festum cólitur jussu Alexándri Séptimi prídie Kaléndas Februárii.

xxv. 25. C Septimo Kalendas Januarii. Luna. 26

| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |

| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 |

JEROSOLYMIS natális sancti Stéphani Protomártyris, qui a Judæis non longe post Ascensiónem Dómini lapidátus est.

Romæ sancti Marini órdinis senatórii, qui sub Numeriáno Imperatóre, et Marciáno Præfécto Christiánæ religiónis causa comprehénsus, equúleo et úngulis servíli more punítus, in sartáginem deinde conjéctus, sed igne in rorem convérso, liberátus, feris quoque objéctus, et ab illis servátus illæsus, tandem ad aram íterum ductus, cum idóla oratióne ejus corruíssent, percússus gládio, martyrii triúmphum adéptus est.

Item Romæ via Appia deposítio sancti Dionysii Papæ, qui multis pro Ecclésia impénsis labóribus, fidei documéntis clarus effúlsit.

Ibídem sancti Zósimi Papæ et Confessóris.

In Mesopotámia sancti Archelái Epíscopi, doctrína et sanctitáte célebris.

Majúmæ sancti Zenónis Epíscopi.

Romæ sancti Theodóri Mansionárii Ecclésiæ sancti Petri, cujus méminit beátus Gregórius Papa.

27 Sexto Kalendas Januarii. Luna. D xxiv.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 27 | 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |

Apud Ephesum natális sancti Joánnis Apóstoli et Evangelístæ, qui post Evangélii scriptiónem, post exílii relegatiónem, et Apocalypsim divínam, usque ad Trajáni Príncipis témpora persevérans, totíus Asiæ fundávit, rexítque Ecclésias: et conféctus sénio, sexagesimooctávo post passiónem Dómini anno mórtuus, juxta eámdem urbem sepúltus est.

Alexandriæ sancti Máximi Epíscopi, qui satis clarus et insígnis título confessiónis efféctus est.

Constantinópoli sanctórum Confessórum Theodóri et Theóphanis fratrum, qui a pueritia in monastério sancti Sabbæ nutríti, cum póstea pro sanctárum Imáginum cultu advérsus Leónem Arménum strénue decertárent, ejus jussu verbéribus affécti, exílio relegántur: sed eo mórtuo, rursus Theóphilo Imperatóri, qui eádem impietáte detinebátur, constánter resisténtes, verbéribus íterum cæsi, in exílium pulsi sunt, ubi Theodórus in cárcere expirávit: Theóphanes vero, pace demum Ecclésiæ réddita, factus Nicænus Epíscopus, quiévit in Dómino.

Ibidem sanctæ Nicerátis Vírginis, quæ sub Arcádio Imperatóre cláruit sanctitáte.

28 Quinto Kalendas Januarii. Luna. E xxiij.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 28 | 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 |

In Béthlehem Judæ natális sanctórum Innocéntium, qui ab Heróde Rege pro Christo interfécti sunt.

Ancyræ in Galátia sanctórum Mártyrum Eutychii Presbyteri, et Domitiáni Diáconi.

In Africa natális sanctórum Mártyrum Cástoris, Victóris, et Rogatiáni.

Nicomédiæ sanctórum Mártyrum Indes eunúchi, Domnæ, Agapis et Theóphilæ Vírginum, et Sociórum, qui in persecutióne Diocletiáni post longa certámina divérso mortis génere corónam martyrii sunt assecúti.

Neocæsaréæ in Ponto sancti Troádii Mártyris, in persecutióne Décii : cui agonizánti sanctus Gregórius Thaumatúrgus in spíritu ádfuit, eúmque ad subeúndum martyrium roborávit.
Arabíssi in Arménia inferióri sancti Cæsárii Mártyris, qui sub Galério Maximiáno passus est.
Lugdúni in Gállia natális sancti Francísci Salésii Epíscopi Gebennénsis, propter flagrantíssimum zelum in converténdis hæréticis ab Alexándro Séptimo in Sanctórum número relati : ejus festus dies ágitur de mandáto ejúsdem Pontíficis quarto Kaléndas Februárii, quando illíus sacrum corpus inde Annésium translátum fuit.
Romæ sancti Domniónis Presbyteri.
In Ægypto sancti Theodóri Mónachi, discípuli sancti Pachómii.
In monastério Lirinénsi sancti Antónii Mónachi, miráculis clari.

xxij. F Quarto Kalendas Januarii. Luna. 29

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 29 | 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 |

Cantuariæ in Anglia natális sancti Thomæ Epíscopi et Mártyris, qui ob defensiónem justítiæ et ecclesiásticæ immunitátis, impiórum hóminum factióne, in Basílica sua gládio percússus migrávit ad Christum.
Jerosólymis sancti David Regis et Prophétæ.
Arelátæ natális sancti Thróphimi, cujus méminit sanctus Paulus ad Timótheum scribens : qui ab eódem Apóstolo Epíscopus ordinátus, præfátæ urbi primus ad Christi Evangélium prædicándum diréctus est : ex cujus prædicatiónis fonte (ut sanctus Zósimus Papa scribit) tota Gállia fídei rívulos accépit.
Romæ sanctórum Mártyrum Callísti, Felícis, et Bonifácii.
In Africa pássio sanctórum Mártyrum Domínici, Victóris, Primiáni, Lybósi, Saturníni, Crescéntii, Secúndi, et Honoráti.
Viénnæ in Gállia sancti Crescéntis, discípuli beáti Pauli Apóstoli, et primi ejúsdem civitátis Epíscopi.
Constantinópoli sancti Marcélli Abbátis.
In pago Oxyménsi sancti Ebrúlphi Abbátis et Confessóris, témpore Childebérti Regis.

30 Tertio Kalendas Januarii. Luna. G xxj.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 30 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |

SPOLETI natális sanctórum Mártyrum Sabíni Epíscopi, Exuperántii et Marcélli Diaconórum, ac Venustiáni Præsidis, cum uxóre et fíliis, sub Maximiáno Imperatóre: ex quibus Marcéllus et Exuperántius primum equúleo suspénsi, deinde fústibus gráviter mactáti, póstea úngulis abrási, et láterum exustióne assáti, martyrium complevérunt; Venustiánus autem non multo post una cum uxóre et fíliis gládio necátus est: sanctus vero Sabínus post mánuum detruncatiónem, et diútinam cárceris maccratiónem, ad mortem usque cæsus est. Horum martyrium licet divérso extíterit témpore, una tamen die recólitur.

Alexandríæ sanctórum Mansuéti, Sevéri, Appiáni, Donáti, Honórii, et sociórum Mártyrum.

Thessaloníce sanctæ Anysíæ Mártyris.

Ibídem sancti Anysii ejúsdem civitátis Epíscopi.

Medioláni sancti Eugénii Epíscopi et Confessóris.

Ravénnæ sancti Libérii Epíscopi.

Aquilæ in Vestinis sancti Rainérii Epíscopi.

31 Pridie Kalendas Januarii. Luna. A xx.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | p | q | r | s | t | u |
| 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | B | C | D | E | F | F | G | H | M | N | P |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 |

ROMÆ natális sancti Silvéstri Papæ, qui Magnum Constantínum Imperatórem baptizávit, et Nicænam Synodum confirmávit: multísque áliis rebus sanctíssime gestis, quiévit in pace.

Item Romæ via Salária, in cœmetério Priscíllæ, sanctórum Mártyrum Donátæ, Paulínæ, Rústicæ, Nominándæ, Serótinæ, Hiláriæ, et Sociárum.

Apud Sénonas beatórum Sabiniáni Epíscopi, et Potentiáni, qui a Pontífice Románo illuc ad prædicándum dirécti, eámdem Metrópolim confessiónis suæ martyrio illustrárunt.

Ibídem sanctæ Colúmbæ Vírginis et Mártyris, quæ, igne superáto, in persecutióne Aureliáni Imperatóris gládio cæsa est.

Rhætiáriæ sancti Hermétis exorcístæ.

Cátanæ in Sicília pássio sanctórum Stéphani, Pontiáni, Attali, Fabiáni, Cornélii, Sexti, Floris, Quinctiáni, Minervíni, et Simpliciáni.
Eódem die sancti Zótici Presbyteri Románi, qui Constantinópolim proféctus, alendórum orphanórum curam suscépit.
Ravénnæ sancti Barbatiáni Presbyteri et Confessóris.
Eódem die sanctæ Meláníæ junióris, quæ cum viro suo Piniáno Roma abscédens, et Jerosólymam proficíscens, ipsa inter féminas Deo sacras, vir inter Mónachos religiósam vitam exércuit, et ambo sancto fine quievérunt.
¶ Et álibi aliórum plurimórum sanctórum Mártyrum et Confessórum, atque sanctárum Vírginum. ℟. Deo grátias.

# SANCTORUM NOMINA

QUÆ IN STATU ECCLESIASTICO, ROMÆ EJUSQUE DISTRICTU, VEL IN ITALIA ET ALIBI PRÆCIPUO QUODAM RITU CELEBRANTUR, IDEOQUE IN LECTIONE MARTYROLOGII RECITANTUR PRIMO LOCO.

## MENSE JANUARIO.

In Statu ecclesiastico et alibi.

23 Desponsatio beátæ Maríæ Vírginis cum sancto Josépho. Barcinóne etc.

Romæ et alibi.

27 Romæ sancti Vitaliáni Papæ. Constantinópoli, etc.

28 Officium sancti Joánnis Chrysóstomi, cujus festum sexto Kaléndas Februárii recólitur. Romæ, etc.

30 Romæ sancti Felícis Papæ, qui pro fide cathólica plúrimum laborávit. Item Romæ, etc.

Feria secunda post Dominicam Septuagesimæ.

Festum Oratiónis Dómini nostri Jesu Christi in monte Olivéti.

Feria secunda post Dominicam Sexagesimæ.

Festum Commemoratiónis Passiónis Dómini nostri Jesu Christi.

## MENSE FEBRUARIO.

3 Officium sancti Dionysii Papæ Confessóris. Ejus deposítio séptimo Kaléndas Januárii recólitur. Sebáste in Arménia, etc.

In Statu ecclesiastico et alibi.

6 Officium sanctæ Hyacínthæ de Mariscóttis Vírginis, de qua tértio Kaléndas Februárii. Cæsaréæ in Cappadócia, etc.

Romæ et alibi.

9 Officium sancti Zósimi Papæ Confessóris, cujus memória séptimo Kaléndas Januárii institúitur. Alexandríæ, etc.

11 Officium sancti Anthéri Papæ Mártyris, de quo tértio Nonas Januárii. In Africa, etc.

12 Officium sancti Thelésphori Papæ Mártyris, cujus memória Nonis Januárii ágitur. Barcinóne, etc.

13 Romæ sancti Gregórii Papæ Secúndi, qui Leónis Isaúrici impietáti acérrime réstitit, et sanctum Bonifácium ad prædicándum Evangélium in Germániam misit. Antiochíæ, etc.

14 Officium sancti Agathónis Papæ Mártyris, cujus festum quarto Idus Januárii celebrátur. Romæ, etc.

15 Officium sanctæ Martinæ Virginis Mártyris, cujus festívitas tértio Kaléndas Februárii assignáta est. Brixiæ, etc.

16 Arétii in Etrúria beáti Gregórii Décimi Placentíni, qui ex Archidiácono Leodiénsi Summus Póntifex renunciátus, Concílium Lugdunénse secúndum celebrávit, Græcísque ad unitátem fídei recéptis, compósitis Christianórum dissídiis, Terræ sanctæ recuperatióne institúta, Ecclésiam sanctíssime gubernávit. Natális beáti Onésimi, etc.

17 Officium sancti Hygíni Papæ Mártyris, cujus natális dies tértio Idus Januárii ágitur. Item Romæ, etc.

18 Officium sancti Raymúndi de Pénnafort Confessóris, cujus festívitas décimo Kaléndas Februárii assignáta est. Jerosólymis, etc.

25 Romæ natális sancti Felícis Papæ Tértii, qui sancti Gregórii Magni átavus fuit : de quo is refert, quod sanctæ Tharsíllæ nepti appárens, illam ad cœléstia regna vocávit. In Ægypto, etc.

26 Officium sanctæ Margarítæ Cortonénsis, cujus memória octávo Kaléndas Mártii instituítur. Perge in Pamphylia, etc.

Feria quinta post Cineres.

Festum sacræ Spíneæ Corónæ Dómini nostri Jesu Christi.

Feria quinta post Dominicam primam Quadragesimæ.

Festum Lánceæ, et Clavórum Dómini nostri Jesu Christi.

Feria quinta post Dominicam secundam Quadragesimæ.

Festum sacratíssimæ Síndonis Dómini nostri Jesu Christi.

## MENSE MARTIO.

2 Romæ sancti Simplícii Papæ, et Confessóris. Item Romæ via Latína, etc.

4 Romæ via Appia natális sancti Lúcii Papæ et Mártyris, qui primo in persecutióne Valeriáni ob Christi fidem exílio relegátus, et póstmodum divino nutu ad Ecclésiam suam redíre permíssus, cum plúrimum advérsus Novatiános laborásset, martyrium cápitis obtruncatióne complévit, quem sanctus Cypriánus summis laúdibus celebrávit. Vilnæ in Lithuánia, etc.

5 Officium sancti Casimíri Regis Confessóris, cujus memória quarto Nonas Mártii recólitur. Antiochíæ, etc.

15 Romæ natális sancti Zacharíæ Papæ, qui Dei Ecclésiam summa vigilántia gubernávit, et clarus méritis quiévit in pace. Cæsaréæ, etc.

18 Festum sancti Gabriélis Archángeli. Cæsaréæ in Palæstína, etc.

28 Romæ sancti Xysti Tértii Papæ et Confessóris. Cæsaréæ in Palæstína, etc.

Feria quinta post Dominicam iij. Quadragesimæ.

Festum sacrórum quinque Vúlnerum Dómini nostri Jesu Christi.

Feria quinta post Dominicam iv. Quadragesimæ.

Festum pretiosíssimi Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi.

## MENSE APRILI.

7 Officium sancti Cœlestíni Papæ et Confessóris, de quo octávo Idus Aprílis. In Africa, etc.

12 Romæ via Aurélia natális sancti Július Papæ, qui advérsus Ariános pro fide cathólica plúrimum laborávit, ac multis præcláre gestis sanctitáte célebris quiévit in pace. Verónæ, etc.

19 Romæ sancti Leónis Papæ Noni, virtútum et miraculórum laude insígnis. Natális sancti, etc.

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pascha.

Festum Patrocínii sancti Joseph Sponsi beátæ Maríæ Vírginis.

## MENSE MAJO.

7 Romæ sancti Benedícti Papæ et Confessóris. Cracóviæ in Polónia, etc.

11 Offícium sancti Alexándri Papæ et Mártyris, cujus pássio cum Sóciis quinto Nonas Maji commemorátur. Romæ via Salária, etc.

13 Offícium sancti Stanisláі Epíscopi et Mártyris, cujus natális Nonis Maji inscríbitur. Romæ, etc.

14 Romæ sancti Paschális Papæ, qui plúrima sanctórum Mártyrum córpora e cryptis levávit et in divérsis Ecclésiis honorífice collocávit. Natális sancti Bonifácii, etc.

In Statu ecclesiastico et alibi.

15 Offícium sancti Isidóri Agrícolæ Confessóris, cujus festívitas sexto Idus Maji recólitur. In Hispánia, etc.

Romæ et alibi.

17 Offícium sancti Joánnis Nepomucéni Mártyris, cujus memória decimoséptimo Kaléndas Június recólitur. Apud Villam Regálem, etc.

In Italia, Insulis adjacentibus, et alibi.

21 Offícium sancti Felícis Confessóris Ordinis Minórum Capuccinórum, cujus festívitas quintodécimo Kaléndas Június inscríbitur. In Mauritánia, etc.

In Statu ecclesiastico et alibi.

24 Festum beátæ Maríæ Vírginis sub título Auxílium Christianórum. Antiochíæ, etc.

Romæ et alibi.

27 Natális sancti Joánnis Papæ et Mártyris, qui a Theodoríco Itáliæ Rege Ariáno Ravénnam evocátus, ibíque propter orthodóxam fidem in cárcere diu macerátus vitam finívit. Sanctæ Maríæ Magdalénæ Vírginis, etc.

28 Officium sancti Urbáni Papæ et Mártyris, cujus natális octávo Kaléndas Júnii recólitur. In Sardínia, etc.

29 Officium sancti Bonifácii Papæ Quarti, cujus octávo Kaléndas Júnii memória inscríbitur. Romæ via Aurélia, etc.

In Statu ecclésiastico et alibi.

31 Bríxiæ sanctæ Angelæ Meríci Vírginis Moniálium sanctæ Ursulæ Institutrícis, de qua sexto Kaléndas Februárii, Romæ, etc.

Romæ et alibi.

Feria quinta in Octava Corporis Christi.

Festum sacratíssimi Cordis Jesu.

## MENSE JUNIO.

1 Officium sancti Eleuthérii Papæ et Mártyris, de quo séptimo Kaléndas Júnii. Romæ, etc.

2 Romæ sancti Eugénii Papæ et Confessóris. Item Romæ natális, etc.

3 Officium sanctæ Maríæ Magdalénæ Vírginis Ordinis Carmelitárum de qua sexto Kaléndas Júnii. Arétii in Túscia, etc.

5 Officium sancti Ferdinándi Regis, cujus festívitas tértio Kaléndas Júnii inscríbitur. In Ægypto, etc.

12 Romæ in Basílica Vaticána sancti Leónis Papæ Tértii, cui érutos ab ímpiis óculos, et præcísam linguam Deus mirabíliter restítuit. Salmánticæ, etc.

25 Alexandríæ sancti Gallicáni Mártyris viri consuláris, qui triumphálibus ínfulis sublimátus, et Constantíno Augústo charus, a sanctis Joánne, et Paulo ad fidem Christi convérsus est : qua suscépta, cum sancto Hilaríno ad óstia Tiberína secédens, hospitalitáti et infirmórum servítio totum se dedit : cujus rei fama in toto orbe divulgáta, multi úndique illuc veniéntes vidébant virum ex Patrício, et Cónsule lavántem paúperum pedes, ponéntem mensam, aquam mánibus effundéntem, languéntibus sollícite ministrántem, et cétera pietátis offícia exhibéntem. Qui póstmodum sub Juliáno Apóstata inde expúlsus, Alexandríam perréxit, ubi cum a Rauciáno Júdice sacrificáre cogerétur, et contémneret, percússus gládio, Christi martyr efféctus est. Apud Berœam, etc.

27 Officium sancti Guliélmi Confessóris, cujus memória séptimo Kaléndas Júlii appónitur. In Galátia, etc.

Romæ et in ejus Districtu.

29 Romæ natális sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, principálium Urbis Patronórum, qui eódem anno, etc.

## MENSE JULIO.

3 Officium sancti Pauli Papæ et Confessóris, de quo quarto Kaléndas Júlii. Alexandríæ, etc.

4 Officium sancti Irænéi Epíscopi et Mártyris, cujus Festum quarto Kaléndas Júlii institúitur. Oséæ, etc.

Romæ et in ejus Districtu.

6 Octáva sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, principálium Urbis Patronórum. In Judæa, etc.

7 Perúsii beáti Benedícti Undécimi Tarvisíni ex Ordine Prædicatórum, qui brevi Pontificátus sui spátio, Ecclésiæ pacem, disciplínæ restaurationem, religiónis increméntum mirífice promóvit. Romæ, etc.

Sabbato ante Dominicam, quæ prima libera occurrit post Festum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

Commemorátio ómnium sanctórum Románæ Ecclésiæ Pontíficum.

9 Festum Prodigiórum beátæ Maríæ Vírginis. Romæ ad Guttam, etc.

17 Romæ deposítio sancti Leónis Papæ Quarti. Item Romæ, etc.

19 Romæ sancti Symmachi Papæ, qui schismaticórum factióne diútius fatigátus, demum sanctitáte conspicuus migrávit ad Dóminum. Sancti Vincéntii a Paulo, etc.

21 Officium sancti Aléxii Confessóris, cujus festívitas sextodécimo Kaléndas Augústi celebrátur. Romæ, etc.

24 Vigília sancti Jacóbi Apóstoli, Officium sancti Vincéntii a Paulo Confessóris, de quo quartodécimo Kaléndas Augústi. Tyri in Túscia, etc.

27 Officium sanctæ Verónicæ de Juliánis Vírginis, cujus memória sexto Idus Júlii inscríbitur. Nicomédiæ, etc.

29 Romæ via Aurélia sancti Felícis Secúndi Papæ et Mártyris, etc. sequitur ut in ipso Martyrologio, ac deinde secundo loco. Tarásci in Gállia, etc.

30 Officium sanctæ Marthæ Vírginis, cujus memória quarto Kaléndas Augústi recólitur. Romæ, etc.

## MENSE AUGUSTO.

2 Romæ in cœmetério Callísti sancti Stéphani Papæ et Mártyris, qui in persecutióne Valeriáni dum Missæ sacrum perágeret,

superveniéntibus milítibus, ante altáre intrépidus, et immóbilis cœpta Mystéria perfíciens, in sede sua decollátus est. Nucériæ, etc.

9 Vigília sancti Lauréntii. Offícium sancti Emygdii Epíscopi et Mártyris, de quo Nonis Augústi. Romæ, etc.

11 Offícium sancti Xysti Secúndi Papæ et Mártyris, cujus dies natális octávo Idus Augústi ágitur. Romæ, etc.

13 Dies octáva Transfiguratiónis Dómini nostri Jesu Christi. Romæ, etc.

14 Vigília Assumptiónis beátæ Maríæ Vírginis. Offícium sancti Hormísdæ Papæ et Confessóris, de quo octávo Idus Augústi. Romæ natális, etc.

16 In Gállia Narbonénsi apud montem Pessulánum depositio beáti Rochi Confessóris, qui multas Itáliæ urbes a morbo epidémiæ signo crucis liberávit : cujus corpus Venétias póstea translátum, et in Ecclésia ejus nómine consecráta honorificentíssime cónditum fuit. Cracóviæ in Polónia, etc.

18 Offícium sancti Hyacínthi Confessóris, cujus Festum decimoséptimo Kaléndas Septémbris ágitur. Prænéste, etc.

19 Festum sanctæ Philuménæ Vírginis et Mártyris. Romæ, etc.

24 Vigília sancti Bartholomæi Apóstoli. Offícium sancti Alphónsi Maríæ de Ligório Epíscopi Confessóris, cujus natális dies quarto Nonas Augústi inscríbitur. Carthágine, etc.

## MENSE SEPTEMBRI.

1 OFFICIUM sancti Ludovíci Regis Confessóris, de quo octávo Kaléndas Septémbris. In Província Narbonénsi, etc.

In Statu ecclesiastico et alibi.

4 Vitérbii beátæ Rosæ Vírginis. In monte Nebo, etc.

Romæ et alibi.

9 Romæ sancti Sérgii Papæ et Confessóris. Nicomédiæ, etc.

10 Romæ beáti Hilárii Papæ et Confessóris. Tolentíni, etc.

11 Offícium sancti Nicolái Confessóris, cujus deposítio quarto Idus Septémbris commemorátur. Romæ, etc.

20 Vigília sancti Matthæi Apóstoli et Evangelístæ. Sancti Agapíti Papæ, cujus sanctitátem beátus Gregórius Magnus commémorat. Romæ pássio, etc.

25 Offícium sanctórum Mártyrum Eustáchii et Sociórum, quorum pássio duodécimo Kaléndas Octóbris commemorátur. In castéllo Emmaus, etc.

26 Romæ sancti Eusébii Papæ. Nicomédiæ natális, etc.

1 Officium sancti Gregórii Episcopi Mártyris, de quo prídie Kaléndas Octóbris. Rhemis in Gállia, etc.

5 Romæ sanctæ Gallæ víduæ, fíliæ Symmachi Cónsulis, quæ, viro suo defúncto, apud Ecclésiam beáti Petri multis annis oratióni, eleemósynis, jejúniis, aliísque sanctis opéribus inténta permánsit: cujus felicíssimum tránsitum sanctus Gregórius Papa descrípsit. Messánæ in Sicília, etc.

Sabbato ante Dominicam secundam Octobris.

Festum Maternitátis beátæ Maríæ Vírginis.

Sabbato ante Dominicam tertiam Octobris.

Festum Puritátis beátæ Maríæ Vírginis.

23 Festum sanctíssimi Redemptóris Jesu. In Hispánia, etc.

24 Festum sancti Raphaélis Archángeli. Venúsiæ, etc.

25 Romæ sancti Bonifácii Papæ et Confessóris. Item Romæ, etc.

31 Vigília ómnium Sanctórum. Officium sancti Sirícii Papæ et Confessóris, cujus memória sexto Kaléndas Decémbris recólitur. Romæ, etc.

## MENSE NOVEMBRI.

In Statu ecclesiastico et alibi.

Sabbato ante Dominicam secundam Novembris.

Festum Patrocínii beátæ Maríæ Vírginis.

Romæ et alibi.

13 Romæ sancti Nicolái Papæ, vigóre apostólico præstántis. Sancti Dídaci Confessóris, etc.

14 Officium sancti Deúsdedit Papæ, cujus memória sexto Idus Novémbris habétur. Heráclеæ in Trácia, etc.

16 Octáva Dedicatiónis Basílicæ sanctíssimi Salvatóris. In Africa, etc.

19 Natális sancti Pontiáni Papæ et Mártyris, qui ab Alexándro Imperatóre cum Hippólyto Presbytero in Sardíniam deportátus, ibíque fústibus mactátus, martyrium consummávit: corpus vero ejus a beáto Fabiáno Papa Romam delátum, atque in cœmetério Callisti sepúltum est. In óppido Marpurg, etc.

In Statu ecclesiastico et alibi.

26 Apud Fabriánum in Picéno beáti Silvéstri Abbátis, institutóris Congregatiónis Monachórum Silvestrinórum. Alexandríæ, etc.

Romæ et alibi.

27 Officium sanctæ Elísabeth Regínæ víduæ, cujus depositio celebrátur tertiodécimo Kaléndas Decémbris. Antiochíæ, etc.

28 Romæ beáti Gregórii Papæ Tértii, qui sanctitáte, meritisque præclárus migrávit in cœlum. Item Romæ, etc.

29 Vigília sancti Andréæ Apóstoli. Officium sancti Gelásii Papæ et Confessóris, de quo undécimo Kaléndas Decémbris. Item Romæ via Salária, etc.

MENSE DECEMBRI.

1 Officium sancti Dídaci Confessóris, cujus natális dies prídie Idus Novémbris occúrrit. Nahum Prophétæ, etc.

9 Officium sancti Eutychiáni Papæ et Mártyris, de quo sexto Idus Decémbris. Toléti in Hispánia, etc.

In Statu ecclesiastico et alibi.

10 Lauréti in Picéno Translátio sacræ Domus Dei Genitrícis Maríæ, in qua Verbum caro factum est. Romæ, etc.

Romæ et alibi.

12 Officium sancti Melchíadis Papæ et Mártyris, de quo ágitur quarto Idus Decémbris. Romæ, etc.

In Statu ecclesiastico et alibi.

18 Festum Expectatiónis Partus beátæ Maríæ Virginis. Philíppis in Macedónia, etc.

# LECTIONES AD ABSOLUTIONEM CAPITULI

DESUMUNTUR EX LECTIONIBUS IN PRINCIPIO MARTYROLOGII, QUÆ CUIQUE FESTO RESPONDENT, EXCEPTIS SEQUENTIBUS LECTIONIBUS PROPRIIS.

In Festo Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti.

Lectio.

ORATE pro persequéntibus, et calumniántibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.

In Festo Commemorationis Passionis D. N. J. C.

Lectio.

GENERATIONEM ejus quis enarrábit? Quia abscissus est de terra viventium, propter scelus pópuli mei percússi eum.

In Festo sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C.

Lectio.

IN die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, et sertum exultatiónis resíduo pópuli sui.

In Festo Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.

Lectio.

QUI peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus :- cujus livóre sanáti estis.

In Festo sacratissimæ Sindonis D. N. J. C.

Lectio.

CIRCUMSPEXI, et non erat auxiliátor, quæsívi et non fuit, qui adjuváret : et salvávit mihi bráchium meum, et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi.

In Festo sacrorum quinque Vulnerum D. N. J. C.

Lectio.

TRADIDIT Christus in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est : et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

In Festo pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

Lectio.

ACCIPIENS Moyses sánguinem vitulórum, et hircórum cum aqua, et lana coccínea, et hyssópo, ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit dicens : Hic Sanguis Testaménti, quod mandávit ad vos Deus.

In Festo sancti Gabrielis Archangeli.
Lectio.

SCITO ergo, et animadvérte : Ab éxitu sermónis ut iterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem hebdómades septem, et hebdómades sexagintadúæ erunt.

In Festo Patrocinii S. Joseph Sponsi B. M. V.
Lectio.

FILIUS accréscens Joseph, filius accréscens, et decórus aspéctu : filiæ discurrérunt super murum.

In Festo sacratissimi Cordis Jesu.
Lectio.

CANTATE Dómino, quóniam mirífice fecit, annuntiáte hoc in univérsa terra. Exúlta et lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tui sanctus Israel.

In Festo Commemorationis omnium sanctorum Romanæ Ecclesiæ Pontificum. Lectio.

OBEDITE Præpósitis vestris, et subjacéte eis : ipsi enim pervígilant, quasi rationém pro animábus vestris redditúri.

In Festo sanctissimi Redemptoris Jesu.
Lectio.

DIGNUS es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, et honórem, et virtútem : quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne, et fecisti nos Deo nostro regnum.

In Festo sancti Raphaelis Archangeli.
Lectio.

TEMPUS est, ut revértar ad eum, qui me misit : vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabilia ejus.

In Festis Desponsationis beatæ Mariæ Virginis, ejusdem Virginis titulo Auxilium Christianorum, Prodigiorum, Maternitatis, Puritatis, Patrocinii, ac Translationis almæ Domus Lauretanæ.
Lectio.

IN platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatizans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

In Festo Expectationis Partus B. M. V.
Lectio.

RORATE cœli désuper, et nubes pluant justum, aperiátur terra, et gérminet Salvatórem, et justítia oriátur simul : ego Dóminus creávi eum.

# MONITUM.

Quamvis *ex Gregorii XIII. Constitutione, quæ post Martyrologii Romani emendationem elucubrata est, atque sub hujusce Martyrologii initium integra exscribitur, vetitum omnino sit, alia Sanctorum nomina in Romanum Martyrologium privata auctoritate inferre, cum quævis nominum accessio, vel immutatio, a Sacra Rituum Congregatione, atque Summi Pontificis Decreto petenda sit; nihilominus idem Gregorius in præcitata Constitutione benigne annuit, ut, si quæ sint Sanctorum nomina, quæ peculiari quodam Ritu in privatis Ecclesiis, aut locis celebrantur, separatim, atque extra Romani Martyrologii tabulas describantur; ea lege tamen, ut quæ in Romano Martyrologio præscribuntur regulæ, accurate serventur. Gregorianæ sanctionis verba sic habent :* Si quos alios habuerint Sanctos in suis Ecclesiis, aut locis celebrari solitos, eos in hunc librum inserant, sed separatim descriptos habeant, cumque illis locum atque ordinem tribuant, qui regulis hic descriptis traditur. *Ex hac pontificia concessione factum est, ut post absolutam Romani Martyrologii novam hanc editionem, privata quædam Regularium quorumdam Ordinum Martyrologia hic assuantur. Ne tamen a præstitutis in Gregoriana Constitutione regulis quis recedat, cuique peculiari Martyrologio Rubricæ aliquot, ex eodem Martyrologio Romano, aut e Sacræ Congregationis Rituum Decretis petitæ, præmittuntur; ut nimirum cum in describendis, tum in recitandis peculiarium Sanctorum nominibus, omnia rite, atque ex ordine fiant. Præterea ea duntaxat inscribuntur nomina Sanctorum, de quorum cultus approbatione, atque officii concessione, a Sacræ Rituum Congregationis, Summorumque Pontificum Decretis plane pleneque constat.*

Epíscopi, qui cathólicæ Fídei præclaríssimus propugnátor, doctrína, et sanctitáte illústris, quiévit in pace. Romæ sanctæ Agnétis secúndo, etc.

29 Romæ sancti Zósimi Papæ et Confessóris Ordinis sancti Basilii, cujus natális dies celebrátur séptimo Kaléndas Januárii. Lugdúni, etc.

30 Constantinópoli sanctórum Confessórum Theodóri, et Theóphanis fratrum ex Ordine sancti Basilii, qui a puerítia in monastério sancti Sabbæ nutríti, cum póstea pro sanctárum Imáginum cultu advérsus Leónem Arménum strénue decertárent, ejus jussu verbéribus affécti, exílio relegántur: sed eo mórtuo, rursus Theóphilo Imperatóri, qui eádem impietáte detinebátur, constánter resisténtes, verbéribus íterum cæsi, in exílium pulsi sunt, ubi Theodórus in cárcere expirávit: Theóphanes vero, pace demum Ecclésiæ réddita, factus Nicænus Episcopus, quiévit in Dómino. Eórum dies natális fuit sexto Kaléndas Januárii. Romæ sanctæ Martínæ, etc.

# FEBRUARIO.

1 Edessæ in Syria sancti Ephrem Ordinis sancti Basilii, ejúsdem Ecclésiæ Diáconi, qui post multos labóres pro fide Christi suscéptos, sub Valénte Imperatóre sanctitáte et doctrína conspícuus quiévit in Dómino. Natális sancti Ignátii Epíscopi, etc.

4 Pelúsii in Ægypto sancti Isidóri Mónachi Ordinis sancti Basilii, méritis et doctrína conspícui. Floréntiæ sancti Andréæ, etc.

6 Sebáste in Arménia sancti Petri Epíscopi, vitæ sanctitáte conspícui, fratris sancti Patris nostri Basilii. Ejus natális dies celebrátur quinto Idus Januárii. Cæsaréæ in Cappadócia natális, etc.

9 Troynæ in Sicília sancti Silvéstri Mónachi Ordinis sancti Basilii, miráculis clari, qui eámdem urbem a gravi peste sæpius liberávit. Ejus natális dies quarto Nonas Januárii celebrátur, magno hóminum concúrsu ac devotióne. Alexandríæ natális, etc.

10 In Sicília apud óppidum Fraxanónem sancti Lauréntii Mónachi Ordinis sancti Basilii, ejúsdem óppidi civis, et præcípui Patróni, vitæ asperitáte, apostólica prædicatióne, ac glória miraculórum insígnis, in quem moriéntem Imágo Jesu Christi e Cruce pendéntis, quasi ad se vocántis caput inclinávit. Ejus natális dies tértio Kaléndas Januárii celebrátur. Apud montem Cassínum, etc.

11 Antiochíæ sancti Simeónis Mónachi Ordinis sancti Basilii, qui in colúmna stans, multos annos vixit, unde et Stylitæ cognómen accépit, cujus vita, et conversátio éxtitit admirábilis. Ejus natális celebrátur tértio Idus Januárii. In Africa natális, etc.

12 Antiochíæ sancti Melétii Epíscopi Ordinis sancti Basilii, qui pro fide cathólica sæpe exílium passus, demum Constantinópoli migrávit ad Dóminum, cujus virtútes sancti Patres Joánnes Chrysóstomus, et Gregórius Nyssénus summis laúdibus celebrárunt. Barcinóne in Hispánia, etc.

13 In Cappadócia in vico Magariásso sancti Theodósii Cœnobiárchæ Ordinis sancti Basilii, qui multa pro fide cathólica passus, in pace tandem quiévit. Ejus natális celebrátur tértio Idus Januárii. Antiochíæ natális, etc.

14 In Bithínia sancti Auxéntii Abbátis Ordinis sancti Basilii. Romæ via Flamínia, etc.

15 Alexandríæ sancti Joánnis Eleemosynárii Ordinis sancti Basilii, ejúsdem urbis Epíscopi, misericórdia in paúperes celebérrimi, de quo ágitur décimo Kaléndas Februárii. Bríxiæ natális, etc.

16 Alexandríæ sanctæ Euphrósinæ Vírginis Ordinis sancti Basilii, cujus dies natális fuit Kaléndis Januárii. Natális beáti Onésimi, etc.

17 Romæ sancti Agathónis Papæ Ordinis sancti Basilii, qui sanctitáte et doctrína conspícuus quiévit in pace quarto Idus Januárii. Item Romæ pássio sancti Faustíni, etc.

18 Constantinópoli sancti Flaviáni Epíscopi Ordinis sancti Basilii, qui cum fidem cathólicam Ephesi propugnáret, ab ímpii Dióscori factióne pugnis et cálcibus percússus, atque in exílium actus, ibídem post tríduum vitam finívit. Jerosólymis natális, etc.

20 Constantinópoli sancti Antónii Epíscopi Ordinis sancti Basilii, témpore Leónis Sexti Imperatóris, cujus natále prídie Idus Februárii. Tyri, etc.

21 Panórmi sancti Convúldii Ordinis sancti Basilii, qui una cum Eustóchio, Infánte et áliis Mónachis ex eódem órdine sub Genscríco Rege Ariáno, multa passus, tandem in senectúte bona quiévit. Horum Sanctórum córpora apud Ægílium ínsulam Thyrréni maris honorífice cóndita fuérunt. In Sicília natális, etc.

25 Constantinópoli sancti Tarásii Epíscopi Ordinis sancti Basilii, eruditióne, et pietáte insígnis, ad quem extat Hadriáni Papæ Primi epístola pro defensióne sanctárum Imáginum. In Ægypto natális, etc.

27 Messánæ in Sicília sancti Lucæ Abbátis Ordinis sancti Basilii, primi ejúsdem civitátis Archimandrítæ. Romæ natális, etc.

28 Constantinópoli sanctórum Confessórum Basilii, et Procópii Ordinis sancti Basilii, qui témpore Leónis Imperatóris pro cultu sanctárum Imáginum strénue decertárunt. Romæ natális, etc.

# MARTIO.

1 Corilione in Sicília sancti Leolúcæ Abbátis ex Ordine sancti Basilii, fundatóris monastérii Montisleónis, ejusdémque civitátis Tuteláris, ac speciális Patróni, vitæ asperitáte, prophetíæ dono, ac miraculórum glória illústris. Romæ sanctórum, etc.

2 Sancti Eustóchii Mónachi ex Ordine sancti Basilii, de quo ágitur una cum sancto Convúldio, et áliis Sóciis nono Kaléndas Mártii. Romæ via Latína, etc.

5 In Palæstína ad ripam Jordánis sancti Gerásimi Abbátis Ordinis sancti Basilii, qui témpore Zenónis Imperatóris flóruit. Antiochíæ, etc.

8 Castronóvo in Sicília sancti Vitális Abbátis Ordinis sancti Basilii. Granátæ in Hispánia, etc.

9 Nyssæ depósitio sancti Gregórii Epíscopi, fratris sancti Patris nostri Basilii, vita et eruditióne clarissimi, qui ob fidei cathólicæ defensiónem sub Valénte Imperatóre Ariáno civitáte sua pulsus est. Romæ sanctæ Francíscæ, etc.

11 Jerosólymis sancti Sophrónii Epíscopi Ordinis sancti Basilii. Carthágine sanctórum Mártyrum, etc.

12 Romæ sancti Gregórii Papæ, et Ecclésiæ Doctóris exímii Ordinis sancti Basilii, qui ob res præclâre gestas, atque Anglos ad Christi fidem convérsos magnus est dictus, et Anglórum Apóstolus est appellátus.

13 Constantinópoli sancti Nicéphori Epíscopi Ordinis sancti Basilii, qui paternárum traditiónum propugnátor acérrimus, Leóni Arméno Imperatóri Iconoclástæ pro cultu sanctárum Imáginum se constánter oppósuit, a quo mulctátus exílio, ibídem quatuórdecim annis longum ducens martyrium migrávit ad Dóminum. Nicomédiæ natális, etc.

14 In Morávia sanctórum Episcopórum Cyrilli, et Methódii Ordinis sancti Basilii, qui multas illárum regiónum gentes cum eárum Régibus ad fidem Christi perduxérunt.

Panórmi sancti Infántis Mónachi Ordinis sancti Basilii, de quo ágitur una cum sancto Convúldio et áliis Sóciis nono Kaléndas Mártii. Romæ, etc.

15 Romæ natális sancti Zacharíæ Papæ Ordinis sancti Basilii, qui Dei Ecclésiam summa vigilántia gubernávit, et clarus méritis quiévit in pace. Cæsaréæ in Cappadócia, etc.

16 Constantinópoli sancti Theóphanis, qui ex ditíssimo pauper Mónachus Ordinis sancti Basilii efféctus, ab ímpio Leóne Arméno pro cultu sacrárum Imáginum biénnio deténtus in cárcere, inde in Samothráciam

deportátus, ibídem ærúmnis conféctus réddidit spíritum, multísque miráculis cláruit, ejus autem natále quarto Idus Mártii commemorátur. Romæ pássio, etc.

18 Jerosólymis sancti Cyrílli Epíscopi Ordinis sancti Basilíi, qui ab Ariánis multas fídei causa perpéssus injúrias, et ab Ecclésia sua sæpe pulsus, tandem sanctitátis glória clarus in pace quiévit, cujus intemerátæ fídei Synodus OEcuménica Dámaso scribens, præclárum testimónium dedit. Cæsaréæ in Palæstina, etc.

20 Hierácii in Calábria sancti Nicodémi Abbátis Ordinis sancti Basilíi, fundatóris monastérii Mámmulæ, ejusdémque óppidi Tuteláris, et præcípui Patróni, miraculórum glória illústris.

In Palæstina pássio sanctórum Monachórum Ordinis sancti Basilíi a Sarracénis in Laura sancti Sabbæ interfectórum. In Judæa sancti Jóachim, etc.

22 In Thebáide sanctæ Euphrásiæ Vírginis Ordinis sancti Basilíi, cujus natális dies tértio Idus Mártii celebrátur. Narbóne in Gállia, etc.

23 Cæsaréæ in Palestína sanctórum Mártyrum Nicónis et aliórum nonagintanóvem Monachórum Ordinis sancti Basilíi, qui várie necáti, martyrii palmam adépti sunt. In Africa sanctórum, etc.

26 Festum sancti Gabriélis Archángeli, qui beátæ Vírgini Maríæ Incarnatiónis domínicæ Mystérium nuntiávit. Romæ via Lavicána, etc.

28 Nesi in Sicília sancti Conónis Mónachi Ordinis sancti Basilíi, innúmeris miráculis clari. Cæsaréæ in Palæstina, etc.

30 In monte Sina sancti Joánnis Clímaci Abbátis Ordinis sancti Basilíi, pietáte et doctrína insígnis. Romæ via Appia, etc.

# APRILI.

1 Constantinopoli sancti Macárii Confessóris Ordinis sancti Basilíi, qui sub Leóne Imperatóre pro assertióne sanctárum Imáginum, in exílio vitam finívit. Romæ pássio sanctæ Theodóræ, etc.

2 In Palæstina depositio sanctæ Maríæ Ægyptíacæ, quæ Peccátrix appellátur. Sancti Francisci de Paula, etc.

3 Constantinópoli sancti Joseph civis Syracusáni Ordinis sancti Basilíi, qui multos sacros hymnos compósuit, unde Hymnógraphus dictus est, cujus corpus in dicta urbe requiéscit. Tauroménii in Sicília, etc.

4 Constantinópoli sancti Platónis Abbátis Ordinis sancti Basilíi, qui plúribus annis advérsus hæréticos sanctárum Imáginum effractóres invícto ánimo decertávit. Hispali in Hispánia, etc.

5 In monastério Medítii in Oriénte sancti Nicétæ Abbátis Ordinis sancti Basilii, qui ob cultum sanctárum Imáginum sub Leóne Arméno multa passus est. Ejus dies natális ágitur tértio Nonas Aprílis. Venétiæ in Británnia, etc.

6 Panórmi sancti Philaréti Confessóris Mónachi Ordinis sancti Basilii, cujus vita apud Deum éxtitit gloriósa. Romæ natális, etc.

8 Panórmi sancti Philaréti Mártyris Mónachi Ordinis sancti Basilii, qui a Bárbaris multa torménta passus, plúrimos, et acerbíssimos pro Christo cruciátus fórtiter ferens, in vera fídei confessióne vitam conclúsit. Alexandríæ sancti Ædésii, etc.

10 Sancti Macárii Epíscopi Antiochéni Ordinis sancti Basilii, virtútibus et miráculis clari. Ezechiélis Prophétæ, etc.

18 In Palæstína sancti Joánnis Mónachi Ordinis sancti Basilii, discípuli sancti Gregórii Decapolítæ. Romæ sancti Apollónii, etc.

21 Antiochiæ sancti Anastásii Sinaitæ Epíscopi Ordinis sancti Basilii, doctrína célebris. Cantuáriæ in Anglia, etc.

## MAJO.

4 Panormi Translátio reliquiárum sancti Joánnis Therístæ Abbátis Ordinis sancti Basilii, de quo ágitur in nostro Ordine séptimo Kaléndas Július. Apud óstia Tiberína, etc.

5 Bovæ in Calábria sancti Leónis Mónachi Ordinis sancti Basilii. Romæ sancti Pii, etc.

7 Damásci natális sancti Joánnis Damascéni Ordinis sancti Basilii, sanctitáte et doctrína célebris, qui pro cultu sacrárum Imáginum verbo, et scriptis advérsus Leónem Isáuricum strénue decertávit; cujus jussu cum ei déxtera manus amputáta fuisset, Imágini beátæ Maríæ Vírginis, quam defénderat, seípsum comméndans, prótinus déxteram íntegram, sanámque recépit. Cujus memória die præcedénti recólitur. Cracóviæ in Polónia, etc.

9 Naziánzi natális sancti Gregórii Epíscopi et Ecclésiæ Doctóris, ob singulárem rerum doctrínam cognoménto Theólogi, qui collápsam Constantinópoli cathólicam fidem restítuit, hæresésque insurgéntes una cum sancto Patre nostro Basilío compréssit.

12 Salamínæ in Cypro sancti Epiphánii Epíscopi Ordinis sancti Basilii, qui multíplici eruditióne, et sacrárum litterárum sciéntia excéllens, vitæ quoque sanctitáte, zelo cathólicæ fídei, munificéntia in paúperes, et virtúte miraculórum éxtitit admirándus. Romæ, etc.

13 Constantinópoli sancti Germáni Epíscopi Ordinis sancti Basilii, virtútibus, et doctrina insígnis, qui Leónem Isaúricum, advérsus sacras Imágines edíctum promulgántem, magna fidúcia redárguit. Ejus natális die præcedénti recólitur. Romæ Dedicátio, etc.

14 In óppido sancti Lauréntii in Calábria sancti Gerásimi Mónachi Ordinis sancti Basilii. Natális sancti Bonifácii, etc.

18 Rhégii in Brútiis sancti Arsénii Junióris Abbátis Ordinis sancti Basilii. Cameríni sancti Venántii, etc.

22 In pago Antisiodorénsi sancti Románi Abbátis Ordinis sancti Basilii, qui sancto Benedícto ministrávit in specu, eúmque veste monástica induit; inde in Gálliam profíciscens, ædificáto monastério, relictísque multis sanctitátis alúmnis, quiévit in Dómino. Romæ sanctórum Mártyrum, etc.

25 Locris in Magna Græcia sancti Jejúnii Mónachi Ordinis sancti Basilii. Salérni depositio, etc.

30 Cæsaréæ in Cappadócia sanctórum Basilii, et Euméliæ cónjugis ejus, paréntum sancti Patris nostri Basílii, qui témpore Galérii Maximiáni extórres facti, Pónticas solitúdines incoluére una cum áliis ejúsdem famíliæ, et post persecutiónem, fíliis suárum virtútum relictis hærédibus, in pace quievérunt. Romæ via Aurélia, etc.

## JUNIO.

1 Treviris sancti Simeónis Syracusáni Mónachi Ordinis sancti Basilii, qui a Benedícto Papa Nono in Sanctórum númerum relátus est. Romæ sancti Juvéntii, etc.

12 In Ægypto sancti Onúphrii anachorétæ, qui in vasta erémo sexaginta annis vitam religióse perégit, et magnis virtútibus ac méritis clarus migrávit in cœlum : cujus insígnia gesta Paphnútius Abbas conscripsit. Salmánticæ, etc.

13 Vigília sancti Patris nostri Basílii Magni, Epíscopi et Ecclésiæ Doctóris. Patávii sancti Antónii Lusitáni, etc.

14 Cæsaréæ in Cappadócia Ordinátio sancti Patris nostri Basílii Magni, Epíscopi et Ecclésiæ Doctóris, qui témpore Valéntis Imperatóris doctrína, et sapiéntia insígnis, omnibúsque virtútibus ornátus, mirabíliter effúlsit, et Ecclésiam advérsus Ariános, et Macedoniános mira constántia deféndit.

21 Octáva sancti Patris nostri Basílii Magni. Romæ sancti Aloysii, etc.

25 Apud Stylum in Calábria sancti Joánnis cognoménto Therísti

Abbátis Ordinis sancti Basilii, monásticæ vitæ laude, sanctitáte, ac miraculórum grátia insignis. Ejus memória die præcedénti recólitur. Apud Berœam natális sancti Sosipatris, etc.

28 Sancti Geórgii Limniótæ Mónachi Ordinis sancti Basilii, qui cum ímpium Leónem Imperatórem reprehendísset, quod sacras Imágines frángeret, Sanctorúmque reliquias combúreret, ejus jussu mánibus abscissis, et cápite incénso, martyr migrávit ad Dóminum. Ejus autem memória nono Kaléndas Septémbris recólitur. Romæ, etc.

# JULIO.

4 Apud Mitylénem sancti Andréæ Epíscopi Creténsis Ordinis sancti Basilii. Oséæ et Aggæi Prophetárum, etc.

7 Apud Emesam sancti Simeónis Mónachi Ordinis sancti Basilii, cognoménto Sali, qui stultus propter Christum factus est, sed altam ejus sapiéntiam Deus magnis miráculis declarávit. Ejus festum celebrátur Kaléndis Júlii. Romæ sanctórum, etc.

15 Panórmi Invéntio córporis sanctæ Rosáliæ Vírginis Ordinis sancti Basilii, ejúsdem urbis civis, et præcípuæ tuteláris, quando scílicet idem sacrum corpus e montis Peregrini látebris érutum, ad públici cultus lucem edúctum fuit. In cujus inventióne fámulam suam Deus multis miráculis illustrávit.

Thessalonicæ sancti Joseph Epíscopi Ordinis sancti Basilii, pro cultu sanctárum Imáginum sub Theóphilo Imperatóre vexáti. Bambérgæ, etc.

19 In Cappadócia sanctæ Macrínæ Vírginis Abbatíssæ, soróris sanctórum Patrum Basilii Magni, et Gregórii Nysséni, de qua extat præclárum encómium apud eúmdem Gregórium. Sancti Vincéntii, etc.

21 Apud Scetim Ægypti montem sancti Arsénii Ordinis sancti Basilii, Románæ Ecclésiæ Diáconi, qui Theodósii témpore in solitúdinem secédens, virtútibus ómnibus consummátus, et jugi lacrymárum imbre perfúsus, spíritum Deo réddidit.

In Syria sancti Joánnis Mónachi Ordinis sancti Basilii, collégæ sancti Simeónis Sali. Romæ sanctæ Praxédis, etc.

26 Octáva sanctæ Macrínæ Vírginis. Dormítio sanctæ Annæ, etc.

28 Romæ sancti Innocéntii Papæ et Confessóris Ordinis sancti Basilii, eruditióne et sanctitáte célebris. Romæ pássio, etc.

31 Tauriáni in Calábria sancti Fantini Abbátis Ordinis sancti Basilii. Romæ natális, etc.

# AUGUSTO.

5 Sanctæ Nonnæ matris sancti Patris Gregórii Nazianzéni Ordinis sancti Basilii. Romæ in Exquíliis, etc.

6 In monte Thabor Transfigurátio Dómini nostri Jesu Christi.

Eódem die. Apud Castrum Leónis in Sicilia sancti Chremétis Abbátis Ordinis sancti Basilii. Romæ via Appia, etc.

11 Sanctæ Philuménæ Vírginis et Mártyris. Romæ inter duas, etc.

17 Constantinópoli sancti Máximi Mónachi Ordinis sancti Basilii, doctrina et zelo cathólicæ veritátis insignis : qui cum advérsus Monothelitas strénue decertáret, a Constánte Imperatóre hærético, præcísis mánibus ac lingua, in Chersonésum relegátus, réddidit spíritum. Tunc étiam duo Anastásii ejus discípuli, aliíque plures divérsa torménta, et dura exília sunt expérti, qui omnes fuérunt dicti Ordinis sancti Basilii.

Ennæ in Sicília sancti Helíæ Mónachi Ordinis sancti Basilii. Carthágine in Africa, etc.

19 Prope Messánam sancti Bartholomæi Abbátis Ordinis sancti Basilii, fundatóris magni monastérii sancti Salvatóris, admirábili pœniténtia et sanctitáte célebris. Romæ sancti Július, etc.

21 In Ægina ínsula sanctæ Athanásiæ víduæ Ordinis sancti Basilii, monástica observántia et grátia miraculórum illústris. Annécii in Sabaúdia, etc.

23 Hierácii in Calábria sancti Antónii Mónachi Ordinis sancti Basilii. Tudérti sancti Philíppi, etc.

26 Neápoli in Campánia sanctæ Patrítiæ Vírginis Ordinis sancti Basilii, miráculis claræ, cujus sanguis vítreo in vase concrétus, e regióne virgínei dentis expósiti, ebullíre ad hoc usque tempus cérnitur. Ejus memória die præcedénti recólitur. Romæ sancti Zephyríni, etc.

# SEPTEMBRI.

3 Sancti Simeónis Stylítæ Junióris Ordinis sancti Basilii, mira abstinéntia et patiéntia viri. Romæ sanctæ Serápiæ, etc.

4 Panórmi natális sanctæ Rosáliæ Vírginis Panormitánæ Ordínis sancti Basilii, ex régio Cároli Magni sánguine ortæ, quæ pro Christi amóre patérnum principátum aulámque profúgiens, in móntibus ac spelúncis solitária, cœléstem vitam duxit. In monte Nebo, etc.

6 Thessalonícæ sancti Fantíni Ordinis sancti Basilii, qui multa a

Surracénis perpéssus, atque a monastério, in quo mira abstinéntia vixerat, expúlsus, cum plúrimos ad viam salútis perduxísset, demum in senectúte bona quiévit. Ejus memória tértio Kaléndas Septémbris recólitur. Zacharíæ Prophétæ, etc.

10 Romæ beáti Hilárii Papæ et Confessóris Ordinis sancti Basilii. Tolentini in Picéno, etc.

11 Alexandríæ sanctæ Theodóræ, quæ cum incaúte deliquísset, facti pœnitens, mira abstinéntia et patiéntia in hábitu sancto sub régula sancti Basilii, incógnita perseverávit usque ad mortem. Romæ via Salária, etc.

12 Bovæ in Calábria sancti Heliæ Abbátis Ordinis sancti Basilii, fundatóris monastérii Melicúccæ. Alexandríæ, etc.

19 Messánæ sanctórum Nicándri Abbátis, Gregórii, Petri, Demétrii, et Elísabeth Vírginis Ordinis sancti Basilii. Putéolis in Campánia, etc.

22 Romæ sancti Sérgii Papæ et Confessóris Ordinis sancti Basilii. Ejus dies natális ágitur quinto Idus Septémbris. Item Romæ, etc.

26 In agro Tusculáno sancti Nili Abbátis Ordinis sancti Basilii, fundatóris monastérii Cryptæ Ferrátæ, magnæ sanctitátis viri. Nicomédiæ, etc.

29 In monte Gargáno venerábilis memória beáti Michaélis Archángeli quando ipsíus nómini ibi consecráta fuit Ecclésia, vili quidem facta schémate, sed cœlésti prædita virtúte. Ejus festum in toto nostro Ordine ex decréto Sacræ Rituum Congregatiónis altióri ritu, et cum octáva celebrátur, cum idem Ordo eúmdem gloriósum Príncipem in sui Tutelárem, et speciálem Patrónum elegísset.

## OCTOBRI.

2 Constantinopoli sancti Theóphili Mónachi Ordinis sancti Basilii, qui pro defensióne sanctárum Imáginum a Leóne Isaúrico sævíssime cæsus, et in exílium pulsus, migrávit ad Dóminum. Festum sanctórum Angelórum, etc.

5 Romæ sanctæ Gallæ víduæ, fíliæ Symmachi Cónsulis, quæ, viro suo defúncto, apud Ecclésiam beáti Petri in monastério sub régula sancti Basilii. multis annis oratióni, eleemósynis, jejúniis, alíisque sanctis opéribus inténta permánsit; cujus felicíssimum tránsitum sanctus Gregórius Papa descrípsit. Messánæ in Sicilia, etc.

6 Octáva sancti Michaélis Archángeli.

In Palæstína sancti Quiríaci anachorétæ Ordinis sancti Basilii. In Calábria sancti Brunónis, etc.

8 Jerosólymis sanctæ Pelágiæ cognoménto Pœniténtis Ordinis sancti Basilíi. Sanctæ Birgíttæ, etc.

9 Antiochíæ sanctæ Públiæ Abbatíssæ Ordinis sancti Basilíi, quæ, transeúnte Juliáno apóstata, Davídicum illud cum suis Virgínibus canens : Simulácra Géntium argéntum et aurum, et, Símiles illis fiant, qui fáciunt ea : Imperatóris jussu álapis cæsa est, et gráviter objurgáta. Lutétiæ Parisiórum, etc.

13 Arménti in Lucánia sancti Lucæ Abbátis Ordinis sancti Basilíi, monastérii Carbonénsis fundatóris, vitæ sanctitáte, ac virtútum glória insignis; ejusdémque óppidi in Lucánia Tuteláris, ac speciális Patróni. In Anglia sancti Eduárdi, etc.

17 Constantinópoli sancti Andréæ Creténsis Mónachi Ordinis sancti Basilíi, qui ob cultum sacrárum Imáginum sub Constantino Coprónymo sæpius verberátus, tandem amputáto áltero pede, réddidit spíritum. Sanctæ Hedwígis víduæ, etc.

19 In Æthiópia sancti Elésbaan Regis, qui Christi hóstibus expugnátis, misso régio diadémate Jerosólymam témpore Justíni Imperatóris, monásticam vitam sub régula sancti Basilíi, ut vóverat, agens, migrávit ad Dóminum. Arénis in Hispánia, etc.

23 Constantinópoli sancti Ignátii Epíscopi Ordinis sancti Basilíi, qui cum Bardam Cæsarem ob repudiátam uxórem arguísset, ab eo multis injúriis afféctus, in exílium pulsus est. Sed a Nicoláo Románo Pontífice restitútus, tandem in pace quiévit. In Hispánia, etc.

24 Constantinópoli sancti Procli Epíscopi Ordinis sancti Basilíi Magni. Venúsiæ in Apúlia, etc.

30 Neápoli sancti Gaudiósi Epíscopi Africáni Ordinis sancti Basilíi, qui ob persecutiónem Wandalórum in Campániam véniens, in monastério apud eam urbem sancto fine quiévit. Cujus memória quinto Kaléndas Novémbris recólitur. In Africa, etc.

31 Constantinópoli sanctárum Vírginum Eustóliæ Románæ, Matrónæ, et Sópatræ fíliæ Mauritii Imperatóris Ordinis sancti Basilíi. Romæ, etc.

## NOVEMBRI.

1 In Bithynia sancti Joannícii Abbátis Ordinis sancti Basilíi. Medioláni sancti Cároli, etc.

5 Constantinópoli sancti Nili Senióris Abbátis Ordinis sancti Basilíi, qui ex Præfécto urbis factus Mónachus, sub Theodósio Junióre doctrína et sanctitáte cláruit. Sancti Zacharíæ, etc.

11 In monastério Cryptæ Ferrátæ in agro Tusculáno sancti Bartholomæi Abbátis Ordinis sancti Basilii, sócii beáti Nili, cujus vitam ipse conscripsit.

In província Sámnii beáti Mennæ Solitárii Ordinis sancti Basilii, cujus virtútes, et mirácula sanctus Gregórius Papa commémorat. Turónis, etc.

12 Vitépsei in Polónia pássio beáti Josapháti Ordinis sancti Basilii, Archiepiscopi Polocénsis, qui a schismáticis in ódium cathólicæ unitátis, et veritátis crudéliter interféctus est. Natális sancti Martíni, etc.

13 Festum ómnium sanctórum Monachórum Ordinis sancti Patris nostri Basilii Magni, a Benedicto Papa Decimoquárto institútum. Sancti Didaci Confessóris, etc.

14 Commemorátio ómnium defunctórum nostri Ordinis.

Turónis in Gállia beáti Martini Episcopi et Confessóris, cujus vita tantis éxtitit miráculis gloriósa, ut trium mortuórum merúerit esse suscitátor. Ejus dies natális celebrátur tértio Idus Novémbris. Heracleæ, etc.

19 Constantinópoli sancti Theodóri Studítæ Ordinis sancti Basilii, qui pro fide cathólica advérsus Iconoclástas strénue pugnans, factus est in univérsa Ecclésia cathólica célebris. Ejus festum recólitur prídie Idus Novémbris. In óppido, etc.

23 Icónii in Lycaónia sancti Amphilóchii Episcopi, qui sanctórum Patrum nostrórum Basilii Magni, et Gregórii Nazianzéni in erémo sócius, et in Episcopátu colléga, post multa certámina pro cathólica fide suscépta, sanctitáte et doctrina clarus quiévit in pace. Natális, etc.

27 Constantinópoli sancti Gregórii Decapolítæ Ordinis sancti Basilii, qui ob cultum sanctárum Imáginum multa passus est. Ejus memória recólitur duodécimo Kaléndas Decémbris. Antiochiæ, etc.

28 Constantinópoli sanctórum Mártyrum Stéphani Junióris, Basilii, Petri, Andréæ, et sociórum trecentórum et trigintanóvem Monachórum Ordinis sancti Basilii, qui sub Constantíno Coprónymo pro sanctárum Imáginum cultu váriis excruciáti suppliciis, veritátem cathólicam effúso sánguine confirmárunt. Romæ, etc.

29 Agrigénti sancti Gregórii Epíscopi Ordinis sancti Basilii, cujus natális nono Kaléndas Decémbris recólitur. Romæ via Salária, etc.

## DECEMBRI.

1 ROMÆ beáti Gregórii Papæ Tértii Ordinis sancti Basilii, qui sanctitáte meritisque præclárus migrávit in cœlum quarto Kaléndas Decémbris. Nahum Prophétæ, etc.

5 Mútalæ in Cappadócia sancti Sabbæ Abbátis ex Ordine sancti Basilíi, qui in Palæstina miro sanctitátis exémplo refúlsit, et pro fide cathólica advérsus impugnántes sanctam Synodum Chalcedonénsem strénue laborávit.

9 Naziánzi sanctæ Gorgóniæ viduæ Ordinis sancti Basilíi, soróris beáti Gregórii theólogi, cujus ipse virtútes et mirácula conscrípsit. Toléti in Hispánia, etc.

11 Constantinópoli sancti Daniélis Stylítæ Ordinis sancti Basilíi. Romæ sancti Dámasi, etc.

14 Neápoli in Campánia sancti Agnélli Abbátis Ordinis sancti Basilíi, grátia miraculórum illústris, qui obséssam urbem sæpe visus est Crucis vexíllo ab hóstibus liberáre. Alexandríæ sanctórum, etc.

19 Sanctæ Meláníæ Junióris, quæ cum viro suo Piniáno Roma abscédens, et Jerosólymam proficíscens, ipsa inter fœminas Deo sacras sub régula sancti Basilíi Magni; vir inter Mónachos ejúsdem Ordinis religiósam vitam exércuit, et ambo sancto fine quievérunt. Alexandríæ in Ægypto, etc.

29 Constantinópoli sancti Marcélli Abbátis Ordinis sancti Basilíi. Cantuáriæ in Anglia, etc.

# LECTIONES PROPRIÆ

## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In festo sancti Patris nostri Basilii Magni.

Adhuc doctrinam quasi prophetiam effúndam, et relinquam illam quæréntibus sapiéntiam, et non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum : vidéte, quóniam non soli mihi laborávi, sed ómnibus exquiréntibus veritátem. Tu autem Dómine miserére nobis.

℟. Deo grátias.

In festo omnium sanctorum Monachorum Ordinis nostri.

Filii eórum propter illos usque in ætérnum manent : semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Tu autem Dómine.

# INDEX SANCTORUM

## ORDINIS SANCTI BASILII.

Agathonis Papæ 17. Februarii.
Agnelli Abbatis 14. Decembris.
Amphilochii Episcopi 23. Novembris.
Anastasii Persæ Martyris 22. Januarii.
Anastasii Sinaitæ 21. Aprilis.
Andreæ Episcopi Cretensis 4. Julii.
Andreæ Cretensis Monachi Mart. 17. Octob.
Antonii Episcopi 20. Februarii.
Antonii Monachi 23. Augusti.
Arsenii Junioris Abbatis 18. Maji.
Arsenii Diaconi 21. Julii.
Athanasiæ viduæ 21. Augusti.
Auxentii Abbatis 14. Februarii.

Bartholomæi Abbatis Messanensis 19. Aug.
Bartholomæi Rosanensis Abbatis 11. Nov.
Basilii Magni Episcopi Confess. Doctoris 1. Januarii, et 14. Junii.
Basilii et Procopii Monachorum 28. Febr.
Basilii et Eumeliæ parentum S. Basilii 30. Maji.

Chremetis Abbatis 6. Augusti.
Cononis Monachi 28. Martii.
Convuldii Monachi et Sociorum 21. Febr.
Cyrilli Episcopi Alexandrini 28. Januarii.
Cyrilli Episc. Hierosolymitani 18. Martii.
Cyrilli et Methodii Episcoporum 14. Martii.

Danielis Stylitæ 11. Decembris.

Elesbaan Regis 19. Octobris.
Ephrem Diaconi 1. Februarii.
Epiphanii Episcopi 12. Maji.
Euphrasiæ Virginis 22. Martii.
Euphrosinæ Virginis 16. Februarii.
Eustochii Monachi 2. Martii.
Eustoliæ, Matronæ, et Sopatræ Virginum 31. Octobris.
Euthimii Abbatis 20. Januarii.

Fantini Abbatis 31. Julii.
Fantini Monachi 6. Septembris.
Flaviani Episcopi 18. Februarii.

Gabrielis Archangeli 26. Martii.
Gallæ viduæ 5. Octobris.
Gaudiosi Episcopi 30. Octobris.
Georgii Limniotæ Monachi Mart. 28. Junii.
Gerasimi Abbatis 5. Martii.
Gerasimi Monachi 14. Maji.
Germani Episcopi 13. Maji.
Gorgoniæ viduæ 9. Decembris.
Gregorii Episcopi Nysseni 9. Martii.
Gregorii Papæ Conf. Doct. 12. Martii.
Gregorii Nazianzeni Episc. Conf. Doct. 9. Maji.
Gregorii Decapolitæ 27. Novembris.
Gregorii Episcopi Agrigentini 29. Novembr.
Gregorii III. Papæ Confess. 1 Decembris.

Heliæ Ennensis Monachi 17. Augusti.
Heliæ Abbatis 12. Septembris.
Hilarii Papæ Confessoris 10. Septembris.

Ignatii Episcopi 23. Octobris.
Infantis Monachi 14. Martii.
Innocentii Papæ Confessoris 28. Julii.
Isidori Monachi 4. Februarii.

Jejunii Monachi 23. Maji.
Joannicii Abbatis 4. Novembris.
Joannis Calybitæ 15. Januarii.
Joannis Chrysostomi Episc. Conf. Doct. 27. Januarii.
Joannis Eleemosynarii 13. Februarii.
Joannis Climaci Abbatis 30. Martii.
Joannis Monachi 18. Aprilis.
Joannis Theristæ Abbatis 4. Maji et 25. Jun.
Joannis Damasceni 7. Maji.
Josaphati Ep. Martyris 12. Novembris.
Josephi Hymnographi 3. Aprilis.
Josephi Episcopi 15. Julii.

Laurentii Monachi 10. Februarii.
Leolucæ Abbatis 1. Martii.
Leonis Monachi 5. Maji.
Lucæ Abbatis Messanensis 27. Februarii.
Lucæ Abbatis Carbonensis 13. Octobris.

Macarii Confessoris 1. Aprilis.
Macarii Episcopi 10. Aprilis.
Macrinæ aviæ S. Basilii 14. Januarii.
Macrinæ Virginis 19. Julii.
Marcelli Abbatis 29. Decembris.
Mariæ Ægyptiacæ 2. Aprilis.

# MARTYROLOGIUM SANCTORUM

PRO

## CANONICIS REGULARIBUS

### AC MONIALIBUS SEU CANONISSIS

EJUSDEM ORDINIS.

Ordo *Canonicorum Regularium, qui in primævis Ecclesiæ sæculis clerici nominabantur, utque ait S. Pius V. in Bulla :* Cum ex Ordinum *14. Kal. Januarii* 1570. ab Apostolis originem traxerunt, quique a S. Augustino eorum reformatore iterum per reformationis viam mundo geniti fuere, *per universum orbem diffusus, innumerabilium Sanctorum agmine fulget, et in quamplures utriusque sexus congregationes divisus, quæ triginta tres et ultra annumerantur, a suo Capite seorsim dependentes, cum omnes fere ritu latino utantur, ex apostolico Indulto peculiaria suorum Sanctorum Officia recitat. Hæc ab eodem S. Pio V. post correctionem Breviarii Romani anno* 1568., *in motu proprio,* Licet Ecclesia Dei Sponsa *die* 18. *Decembris* 1570. *concessa primum fuere Congregationi Lateranensi, ab antiquo apud sacrosanctam Romanam Lateranensem Basilicam incolatu sic appellatæ, indulto facto iis, seorsim ac separatim a Breviario Romano utendi, atque ubilibet ea imprimendi. Successu temporis idem privilegium ad alias congregationes, Rhenanam potissimum sub titulo Sanctissimi Salvatoris, extensum quoad aliquot dumtaxat Sanctos præfati Ordinis, prout ex Decreto S. R. C. die* 22. *Decembris* 1612., *rursus posteriori Decreto sub die* 9. *Augusti* 1681., *ad Sanctos omnes, ad instar Lateranensium, favore Rhenanæ congregationis est ampliatum. Præterea ejusdem S. R. C. Decreto* 16. *Decembris* 1679. *Canonicis Regularibus congregationis Lateranensis concessum est, ut Officia Sanctorum Romanæ Basilicæ Lateranensis recitare possint; quod privilegium etiam ad Moniales ejusdem congregationis extensum est in vim Decreti* 24. *Februarii* 1680. *Quum autem sub auspiciis sa. me. Pii Papæ VII. e duabus congregationibus Rhenana, et Lateranensi una formata sit congregatio Sanctissimi Salvatoris Lateranensis, et quum per decreta unionis sancitum sit unum e duobus formandum esse Kalendarium; illud rite confectum sacra Rituum Congregatio approbavit decreto lato die* 18. *Novembris* 1823. *quo præcipitur ut singuli utriusque congregationis alumni eo deinceps uterentur.*

*Notandum vero quod aliquæ congregationes Canonicorum Regularium ejusdem S. Augustini, non omnia eorum Sanctorum Officia recitant; sicut nec alia quidem Officia ipsis tantum Lateranensibus eorumque Monialibus concessa; neque eodem semper die, ob ritu seu classis inæqualitatem, aliasque ob causas (quamvis omnibus Canonicis, modo sint regulares S. Augustini, licitum sit Officia Sanctorum ejusdem Ordinis recitare, juxta declarationem S. R. C. in Augustana provinciæ Moguntinæ die* 11. *Septembris* 1660.) *ex quo fit, ut quælibet congregatio insuper habeat Officia quædam particularia, ideoque cum aliis, quoad ipsum recitationis ritum, non semper conveniat. Quod vero ad Canonicos Regulares Præmonstratenses eorumque Moniales attinet (quorum Ordo a S. Norberto institutus est, accepta divinitus a S. Augustino per visum regula) alia Officia non celebrant nisi utriusque festi S. Augustini, hoc est Natalis ac Translationis cum Octava, necnon Conversionis, ac S. Monicæ; præter ea quæ Præmonstratensium Ordini peculiaria sunt.*

*Quia tamen in lectione Martyrologii Romani pronunciari debent primo loco festa de quibus die sequenti fit Officium, et Gregorius XIII. in ejusdem approbatione suo Brevi* 14. *Januarii* 1584. *:* Emendato : *pro particularibus Ecclesiis, monasteriis, conventibus, sive Ordinibus, inter alia demandavit, ea separatim descripta habere : idcirco in hoc Martyrologio describuntur illorum duntaxat Sanctorum utriusque sexus Ordinis Canonicorum Regularium nomina cum elogiis, de quibus in omnibus respective ejusdem Ordinis congregationibus, ex approbata consuetudine, vel Indulto apostolico recitatur Officium, vel fit commemoratio, ut de iisdem in propriis locis vel assignatis diebus, primo vel secundo loco legatur, ut in hoc Martyrologio : quod similiter servandum est in Officiis votivis respective celebrandis, hac methodo, videlicet : quæ eodem die celebrantur ab omnibus Canonicis Regularibus, indicantur hoc signo ✠. Quæ vero a Canonicis S. Augustini, exceptis Præmonstratensibus, absque signo. Quæ alio die a Lateranensibus cum nonnullis aliis, vel Viennensibus, vel S. Spiritus in Saxia, vel Præmonstratensibus, etc. cum propria denominatione. Quæ tandem a Lateranensibus tantum, uti Basilicæ Lateranensi annexis, cum signo †. Aliorum vero, de quibus Officium in omnibus respective utriusque Ordinis congregationibus non celebratur, memoria tamen celebris in aliquibus Ecclesiis, et locis habetur, juxta præscriptam regulam, seu rubricam, nomina pronuncientur suo loco et ordine in lectione Martyrologii Romani.*

# JANUARIO.

† 3 Octava sancti Joánnis Apóstoli et Evangelístæ Contituláris Basílicæ Lateranénsis. Romæ, etc.

16 Apud Præmonstratenses. Ilbenstádii in Germánia beáti Godefrídi Confessóris, qui ex régia stirpe Canónicus Præmonstraténsis factus, trium monasteriórum fundátor, ac sui in primis contémptor, virtútibus ac miráculis clarus obdormívit in Dómino Idibus Januárii. Romæ, etc.

† 17 Sanctórum Diodóri Presbyteri, Mariáni Diáconi, et Sociórum Mártyrum promíscui órdinis, et sexus, quorum córpora sextodécimo Kaléndas Februárii témpore Stéphani Papæ Sexti invénta sunt, et ad Sancta Sanctórum asservántur. In Thebáide, etc.

19 Apud Lateranenses, etc. Sancti Melánii Confessóris, Rhedonénsis Epíscopi, qui canónici Ordinis decus adaúxit, et virtútum ac miraculórum glória célebris octávo Idus Januárii migrávit in cœlum. Sancti Canúti, etc.

22 Novániæ sancti Gaudéntii Confessóris, ac primi ejúsdem civitátis Epíscopi, qui et clericórum Regulárium institútum in Occidénte dilatávit, et Novariénsem clerum órdine ac número insignem constítuit, Ecclesiámque sibi créditam sanctíssime administrávit. Valéntiæ, etc.

† 22 Eódem die. Sancti Anastásii Persæ Mónachi, qui undécimo Kaléndas Februárii martyrii corónam accépit, cujus corpus ad Sancta Sanctórum asservátur. Ebredúni in Gállia, etc.

23 Toléti sancti Ildefónsi sive Alfónsi, primo cleri Reguláris in Agaliénsi monastério Præpósiti, mox ejúsdem civitátis Epíscopi : qui ob singulárem vitæ integritátem, susceptámque defensiónem advérsus hæréticos, Dei Genitrícis virginitátem impugnántes, etc. ut in Martyrologio Romano. Barcinóne, etc.

† 28 Romæ sanctæ Agnétis secúndo. Ibidem, etc.

29 Medioláni sancti Aquilíni Presbyteri, qui Coloniénsis Ecclésiæ Canónicus Reguláris in Epíscopum eléctus, atque ab episcopáli dignitáte prorsus aliénus, fugam arrípiens, et in monastério cleri Reguláris sancti Lauréntii Medioláni commorátus, contra Ariános declamatiónibus ac disputatiónibus insúrgens, ab iisdem gládio in gútture transverberátus, martyrio coronátur. Lugdúni, etc.

# FEBRUARIO.

1 In Scótia sanctæ Brígidæ Vírginis, quæ sacrum canónicæ professiónis velámen accipiens, cum lignum altáris tetigísset, in testimónium virginitátis suæ statim víride factum est; cujus corpus in civitáte Duno in sepúlchro sancti Patrítii Epíscopi cónditum fuit. Natális, etc.

3 Apud Lateranenses, etc. Sebáste, etc.

4 Apud Lateranenses, etc. In monastério Sempingámiæ Lincolniénsis diœcésis in Anglia sancti Gilbérti Confessóris, qui canónicæ disciplínæ sédulus observátor, ac strénuus propugnátor, humilitáte ceterísque virtútibus clarus migrávit ad Dóminum. Floréntiæ, etc.

6 Bonóniæ sancti Guaríni Confessóris, qui, constrúcto ibídem xenodóchio sancti Job, ex Canónico Reguläri Episcopus Cardinális Prænestínus, vitæ sanctitáte conspícuus in extréma senectúte obdormívit in Dómino, et in Ecclésia sancti Agapíti Prænéste sepúltus est. Cæsaréæ, etc.

8 Apud Lateranenses, etc. Papíæ sancti Invéntii, sive Juvéntii Epíscopi, qui vetus institútum Canonicórum Regulárium suæ sanctitátis fulgóre illustrávit, ac strénue in Evangélio laborávit. Sancti Joánnis, etc.

9 Atrébati in Gállia sancti Vedásti Confessóris, ejúsdem civitátis Epíscopi, qui Clodovéo Francórum Regi ad Christi fidem suscipiéndam adjútor, et clero suo ad vitæ reguláris institútum servandum auctor fuit; cujus vita et mors plúrimis miráculis éxtitit gloriósa; óbiit autem octávo Idus Februárii. Alexandríæ, etc.

Apud Viennenses, ut 29 Januárii, deinde : Alexandríæ, etc.

11 Apud Viennenses, ut 4 hujus, deinde : In Africa, etc.

12 Apud Viennenses, ut 9 hujus, deinde : Barcinóne, etc.

13 Romæ sancti Gregórii Papæ Secúndi, inter cléricos Lateranénsis Ecclésiæ olim adscrípti, qui Leónis Isáurici impietáti acérrime réstitit, et sanctum Bonifácium ad prædicándum Evangélium in Germániam misit. Antiochíæ, etc.

† 14 Sancti Vincéntii Levítæ, qui undécimo Kaléndas Februárii martyrio coronátus est. Romæ via Flaminia, etc.

Apud Viennenses, ut 8 hujus, deinde : Romæ, etc.

17 Apud Lateranenses. Sancti Daniélis cleri Reguláris Levítæ, qui ob Christiánæ fídei prædicatiónem comprehénsus, et inter duas tábulas médius clavis confíxus, martyrii corónam accépit, cujus corpus diu occúltum, cœlésti revelatióne, et cæci illuminatióne Patávii detéctum, tértio Nonas Januárii repértum est. Romæ, etc.

Apud Præmonstratenses. Raceburgi sancti Evermódi, qui una cum sancto Norbérto Thanchelinam hæresim Antvérpiæ profligávit; factúsque Episcopus Raceburgénsis, virtútibus, linguárum dono, ac miráculis clarus migrávit ad Dóminum. Romæ, etc.

18 Conímbriæ in monastério sanctæ Crucis sancti Theotónii Confessóris, qui post iterátam ad sacra Jerosolymórum loca peregrinatiónem præfátum sanctæ Crucis monastérium fundávit, ac disciplínam regulárem Canonicórum Lateranénsium in Lusitánia restituit; tandémque méritis ac virtútibus insígnis evolávit in cœlum. Jerosólymis, etc.

23 Vigília sancti Matthíæ Apóstoli.

Sancti Abílii Confessóris, qui ex clero Alexandríno, reguláris vitæ observántia celebérrimo, ad ejúsdem civitátis Episcopátum assúmptus, octávo Kaléndas Mártii sancto fine quiévit. Faventiæ sancti Petri, etc.

In anno Bissextili. 24 Vigília sancti Matthíæ Apóstoli. Item commemorátio, etc.

25 Et in Bissextili 26 Romæ natális sancti Felícis Papæ Tértii, qui et Reguláris cléricus Lateranénsis, et sancti Gregórii Magni átavus fuit; de quo is refert, quod sanctæ Tharsíllæ nepti appárens, illam ad cœléstia regna vocávit. In Ægypto, etc.

27 vel 28 Híspali in Hispánia sancti Leándri Canónici Reguláris, ac ejúsdem civitátis Episcopi, cujus prædicatióne et doctrína Visigothórum gens, adjuvánte Reccarédo eórum Rege, ab Ariána impietáte ad cathólicam fidem convérsa est. Romæ, etc.

28 Et in Bissextili 29 Papíæ Translátio córporis sancti Patris Augustíni, quod e Sardínia ínsula delátum, in Ecclésia sancti Petri in cœlo aúreo, plúribus Epíscopis, ipsóque Luitprándo Rege Longobardórum, comitántibus, honorificentíssime cónditum fuit; quo témpore plura a Deo mirácula patráta sunt. Romæ, etc.

## MARTIO.

1 PERUSIÆ Translátio sancti Herculáni Epíscopi, qui Canonicórum Regulárium Institútum ibídem proféssus, et ad Episcopátus dignitátem evéctus, primævam vitæ disciplínam cléricos suos edócuit, ac jussu, etc. Romæ, etc.

Apud Præmonstratenses, ut infra, deinde: Romæ sanctórum, etc.

2 Andegávi in Gállia sancti Albíni Confessóris, qui cum Canonicórum Regulárium in monastério Cincillacénsi regímini præfuísset, ejúsdem civitátis factus Epíscopus, virtútum, ac miraculórum glória

conspicuus, sub Childebérto Rege Kaléndis Mártii migrávit in cœlum. Romæ, etc.

Apud Viennenses, ut 1 hujus, deinde : Romæ, etc.

Apud Viennenses, ut 2 hujus, deinde : Cæsaréæ, etc.

Apud Præmonstratenses. In Frísia beáti Friderici Confessóris, et primi Abbátis ac fundatóris monastérii Horti beátæ Maríæ Canonicórum Ordinis Præmonstraténsis, qui ab eádem Vírgine Matre infánti absque baptísmate defúncto vitam impetrávit, ac virtútibus et méritis cumulátus, plúrimis miráculis coruscat. Cæsaréæ, etc.

5 Festívitas ómnium Sanctórum Ordinis Canonicórum Regulárium sancti Augustíni. Antiochíæ, etc.

6 Barcinóne in Hispánia sancti Ollegárii sive Ildegárii, primum Canónici Reguláris, póstea ejúsdem civitátis Epíscopi, et Archiepíscopi Tarraconénsis, cleri reformatióne, Synodórum celebratióne, suscéptis contra schismáticos labóribus, omníque virtútum génere illústris, quem sanctus Bernárdus Abbas Claræválléusis summis laúdibus celebrávit. Nicomédiæ, etc.

13 Apud Camerínum sancti Ansovíni Confessóris, qui ex Canónico Regulári factus ejúsdem civitátis Epíscopus, Ecclésiam ita administrávit, ut Deo charus, et homínibus fúerit accéptus. Nicomédiæ, etc.

15 Romæ natális sancti Zacharíæ Confessóris, qui clero Regulári adscríptus, et póstea Románus Póntifex creátus, Dei Ecclésiam summa vigilántia gubernávit, et clarus méritis quiévit in pace. Cæsaréæ, etc.

16 Apud Lateranenses. Sanctæ Fuscæ Vírginis et Mártyris, quæ, Décio imperánte, cum Maura ejus nutríce multa sub Quinctiáno Præside perpéssa, demum gládio transfíxa, Ravénnæ Idibus Februárii martyrium consummávit. Romæ, etc.

✠ 17 In Hibérnia natális sancti Patrítii Epíscopi et Confessóris, qui primus ibídem Christum evangelizávit, atque clero per omnem ínsulam diffúso regulárem vitæ normam servándam propósuit, ac máximis miráculis et virtútibus cláruit. Jerosólymis, etc.

18 Sanctæ Gertrúdis Vírginis, quæ in monastério Nivelléusi Virgínibus Reguláribus præfuit, ac sextodécimo Kaléndas Aprílis migrávit ad Sponsum. Cæsaréæ, etc.

Apud Viennenses, ut 17 hujus, deinde : Cæsaréæ, etc.

23 Apud Viennenses, ut 18 hujus, deinde : In Africa, etc.

Quando Annuntiatio beatæ Virginis Mariæ occurrit in Dominica, tunc Feria secunda die 26 legitur : Festum Annuntiatiónis beatíssimæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ. Romæ via Lavicána, etc.

26 vel 27 In Germánia sancti Ludgéri Confessóris, monastérii Lutosáni

Canonicórum Regulárium Præsidis, et póstea primi Epíscopi Monasterién sis, qui Saxónibus Evangélium prædicávit. Romæ, etc. sive Drizíparæ, etc.

27 vel 28 Pictávis in Gállia sancti Guillélmi Confessóris, cognoménto Tempérii, qui post præpositúram monastérii Canonicórum Regulárium sancti Hilárii de Cella, ejúsdem civitátis Epíscopus, in tuéndis Ecclésiæ júribus emícuit, ac virtútibus et méritis abúnde cumulátus obdormívit in Dómino. Drizíparæ, etc. sive Cæsaréæ, etc.

29 Apud Præmonstratenses. Vismáriæ sancti Ludólphi, qui ex Canónico Camerário Raceburgénsi Ordinis Præmonstraténsis ad Episcopátum ejúsdem Ecclésiæ unánimi fratrum suffrágio eléctus, ob defénsa Ecclésiæ jura, váriis ab Albérto Saxóniæ Duce cruciátibus affectus, martyrio coronátur. In Pérsia, etc.

# APRILI.

1 VALDEMUZÆ in ínsula majóri Baleárica beátæ Catharinæ Thomas Vírginis Canoníssæ Reguláris in monastério Palménsi, quam virtútibus conspícuam, et signis fulgéntem Pius Sextus Póntifex Máximus in Beatárum númerum rétulit.

✣ Romæ sancti Venántii Epíscopi et Mártyris, cujus corpus in oratório beátæ Vírginis Maríæ ad Fontes Basílicæ Lateranénsis servátur. Item Romæ pássio, etc.

✠ 4 Híspali in Hispánia sancti Isidóri Conſessóris, qui inter Canónicos Reguláres adscríptus, ac illíus civitátis Epíscopus consecrátus, sanctitáte et doctrína conspícuus, zelo cathólicæ fídei, et observántia ecclesiásticæ disciplínæ Hispánias illustrávit. Thessaloníeæ, etc.

6 In Dánia sancti Guliélmi sive Wilhélmi Abbátis monastérii Eschilléensis Canonicórum Regulárium, vita et miráculis clari, quem Honórius Tértius inter Sanctos rétulit. Romæ, etc.

7 Apud Præmonstratenses. Steinféldi beáti Hermánni Confessóris, quem Deípara Virgo sibi per Angelum desponsári, ac Joséphum denominári vóluit. Is crebérrimis revelatiónibus prophético spíritu, ac virtútibus illústris, féria quinta Páschatis in mánibus Christi Jesu trádidit spíritum, ac post mortem miráculis cláruit. In Africa, etc.

8 Jerosólymis sancti Albérti Confessóris, qui in Domínici sepúlchri claustro, Canonicórum Regulárium institútum proféssus, póstea Mortariénsis monastérii Præses, ac Vercellénsis Ecclésiæ Episcopus, tandem Patriárcha Jerosolymitánus, post tráditam Carmelitánæ famíliæ régulam, virtútibus illústris migrávit ad Dóminum. Alexandríæ, etc.

9 Romæ Translátio córporis sanctæ Mónicæ matris beáti Patris Augustíni Epíscopi, quod ex óstiis Tiberínis, Martíno Quinto summo Pontífice, in urbem delátum, in Ecclésia eídem sancto Augustíno dicáta honorífice cónditum fuit. Antiochíæ, etc.

10 Apud Lateranenses, etc. In sylva Aurélia prope Lemovícum in Gállia sancti Gauchérii Confessóris canónici Reguláris, sanctitáte celebérrimi, quem Cœlestínus Tértius Sanctórum catálogo adscripsit. Antiochíæ, etc.

✠ 11 Romæ sancti Leónis, olim Lateranénsis Ecclésiæ clérici Reguláris, póstea Papæ et Confessóris, qui, etc.

† 12 Sanctórum Mártyrum Domniónis Epíscopi cum milítibus octo, qui prídie hujus diéi passi sunt, eorúmque córpora in oratório beátæ Vírginis Maríæ ad Fontes Basilícæ Lateranénsis asservántur. Verónæ, etc.

Apud Lateranenses. Prima die non impedita post Dominicam tertiam post Pascha: Festum Patrocínii Patriárchæ sancti Joseph Sponsi beatíssimæ Vírginis Maríæ.

† 16 Romæ Translátio cápitum sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, ex oratório ad Sancta Sanctórum, intra Basilicam Lateranénsem, quæ Urbánus Papa Quintus, extrúcta insígni ápside, argénteis gemmatisque thecis inclúsit. Corínthi, etc.

17 Apud Lateranenses. Eugúbii in Umbria beáti Archángeli Confessóris canónici Reguláris, vitæ innocéntia, charitáte erga próximos, et prophetíæ dono illústris: cujus corpus in Ecclésia sancti Ambrósii religióse cólitur. Romæ, etc.

# MAJO.

Apud Præmonstratenses. Domínica infra Octavam Ascensiónis. In diœcési Ruremundénsi provínciæ Falcobúrgii, sancti Gerláci Confessóris, qui sub Præmonstraténsium hábitu, annos quatuórdecim, quercus, quam excavándam curáverat, viscéribus inclúsus, ásperam vitam duxit, tandémque virtútibus ac miráculis cumulátus óbiit in Dómino Nonis Januárii.

✠ 4 Apud óstia Tiberína natális sanctæ Mónicæ matris beáti Patris Augustíni, cujus ille præcláram vitam in libro Confessiónum testátam relíquit. In Metállo, etc.

✠ 5 Medioláni Convérsio sancti Patris Augustíni Epíscopi et Ecclésiæ Doctóris, quem beátus Ambrósius fidei cathólicæ veritátem dócuit, et hac die baptizávit. Romæ, etc.

† 6 Romæ sancti Joánnis ante Portam Latínam, etc.

7 Apud Lateranenses, etc. Romæ sancti Benedícti Secúndi, qui pridem canónicus Lateranénsis, mox Summus Póntifex renunciátus, antíquam Románæ Ecclésiæ libertátem restituit, ac méritis et miráculis clarus obdormívit in Dómino. Cracóviæ, etc.

10 Forosemprónii in Æmília sancti Aldobrándi Confessóris, qui in monastério clericórum Regulárium Ariminénsium invícti ánimi Præses, et in Episcopátu Forosemproniénsi factus forma gregis, post édita virtútum ac miraculórum exémpla quamplúrima, Kaléndis Maji evolávit ad Dóminum. Sancti Antoníni, etc.

† Eódem die sanctórum Mártyrum Gordiáni, et Epímachi, qui sexto Idus Maji pro Christo necáti sunt : eórum córpora in Basílicam Lateranénsem transláta ibídem colúntur. In terra Hus, etc.

11 Apud Lateranenses, etc. Sancti Gualtérii Abbátis, qui in monastérii Stirpénsis regímine, religiónis stúdio, ac virtútum exémplo conspícuus, plenus diérum ac meritórum migrávit in cœlum. Romæ, etc.

† 12 Romæ via Ardeatína sancti Pancrátii Mártyris, qui cum esset annórum quatuórdecim, sub Diocletiáno martyrium cápitis obtruncatióne complévit; cujus caput in Lateranénsi Basílica asservátur. Item Romæ via Ardeatína, etc.

13 Apud Viennenses, ut 7 hujus, deinde : Romæ, etc.

14 Apud Lateranenses. Cantuáriæ in Anglia pássio plurimórum Mártyrum ex Ordine canonicórum Regulárium, qui pro Christi fide sánguinem fudérunt. Natális sancti Bonifácii, etc.

† 15 Sanctórum Nérei, et Achíllei Mártyrum quarto Idus Maji coronatórum, quorum córpora in Basílica Lateranénsi requiéscunt. In Hispánia, etc.

✠ 16 Eugúbii sancti Ubáldi Episcopi et Confessóris, miráculis clari, qui canonicórum Regulárium disciplínam scriptis ac exémplo instaurávit. In Isaúria, etc.

17 Mirándulæ in Æmília sancti Possídii Confessóris, Episcopi Calaménsis, discípuli beáti Patris Augustíni, ejúsque præcláræ vitæ scriptóris, qui decimoséptimo Kaléndas Júnii sancto fine quiévit. Apud Villam, etc.

19 Apud Lateranenses, etc. Cantuáriæ sancti Dunstáni Episcopi, qui clericórum Regulárium Institútum, cui pridem nomen déderat, vitæ exémplo, multísque ædificátis monastériis instaurávit, ac dilatávit. Natális, etc.

20 Carnúti sancti Ivónis Episcopi, ántea Præpósiti Bellovacénsis, reguláris vitæ servándæ stúdio præclári, a quo sanctórum Patrum decréta in unum volúmen redácta sunt. Aquilæ, etc.

21 Apud Viennenses, ut 19 hujus, deinde : In Mauritánia, etc.

☨ 23 Pragæ in Bohémia sancti Joánnis Nepomucéni Mártyris metropolitánæ Ecclésiæ canónici, qui frustra tentátus ut sigilli sacramentális fidem próderet, in flumen Moldávam dejéctus martyrii palmam eméruit. Apud Língonas, etc.

28 Apud Lateranenses. Sanctórum Secúndi, Secundíni, et Agábii, quorum primus Amériæ sexto Idus Maji, réliqui ex Ordine episcopáli, Cirthæ in Numídia tértio Nonas ipsíus martyrium consummárunt. In Sardínia, etc.

Apud Præmonstratenses. Dominica tertia post Pentecosten : Festum Triúmphi sancti Patris Norbérti de hæresi Tanchelíni in civitáte Antvérpiæ.

## JUNIO.

☨ 2 Romæ natális sanctórum Mártyrum Marcellini et Petri exorcístæ, etc.

✠ 6 Sancti Norbérti Episcopi Magdeburgénsis, fundatóris Ordinis Præmonstraténsis, cujus festívitas apud Præmonstraténses quinto Idus Júlii celebrátur ; hódie vero, Translatiónis ejus córporis ex monastério Magdeburgénsi ad Ecclésiam montis Sion in urbe Pragénsi, memória recólitur. Cæsaréæ, etc.

12 Apud Lateranenses, etc. Sancti Odúlphi Confessóris ex Ordine canonicórum Regulárium, qui et Frisónibus Evangélium prædicávit, et Cathólicos verbo ac exémplo ad recte vivéndi normam redúxit. Salmánticæ, etc.

✠ 13 Patávii sancti Antónii Lusitáni Confessóris, qui canonicórum Regulárium Institútum proféssus, ad Ordinem Minórum, martyrii cúpidus, tránsiit, et vita, miráculis, ac prædicatióne fuit illústris. Romæ, etc.

15 Valésiæ in monte Jovis sancti Bernárdi, qui ibídem canonicórum Regulárium, quorum Ordini Augústæ Vindelicórum nomen déderat, monastérium extrúxit; tandémque Nováriæ in monastério sancti Lauréntii migrávit ad Dóminum, ibíque sepúltus est, ejus cápite in montem Jovis póstea transláto. In Lucánia, etc.

Apud Præmonstratenses. Sancti Isfrídi Confessóris, qui ex Præpositúra Jerichoviénsis monastérii Præmonstraténsium, ad Episcopátum Raceburgénsem promótus, zelo fídei, in qua Wándalos confirmávit, multísque miráculis, quibus et cæcum illuminávit, conspícuus, evolávit in cœlum. In Lucánia, etc.

16 Misnæ in Germánia sancti Bennónis Confessóris ex Ordine canonicórum Regulárium, ac ejúsdem civitátis Episcopi, qui sancto Gregório Séptimo in tuénda ecclesiástica libertáte Invictus adhæsit. Vesontióne, etc.

21 Barbáste in Arragónia sancti Raymúndi Ordinis clericórum Regulárium, ac ejúsdem civitátis Epíscopi, qui pro Ecclésia Dei multa passus, sancto fine quiévit, ejúsque sepúlchrum multis ibi patrátis miráculis Deus illustrávit. Romæ, etc.

✠ 22 Festívitas ómnium sacrárum Reliquiárum, quæ in sacrosáncta Lateranénsi Basílica asservántur. Apud Nolam, ut infra.

✠ 23 Apud Nolam Campániæ urbem natális beáti Paulíni Epíscopi et Confessóris ex Ordine canonicórum Regulárium, qui ex nobilissimo, etc.

✠ 24 Natívitas sancti Joánnis Baptístæ, etc.

Quando Nativitas sancti Joannis Baptistæ occurrit in Festo SS. Corporis Christi, tunc die 25 tanquam propria, primo loco legitur: Festum Nativitátis sancti Joánnis Baptístæ Præcursóris Dómini.

✠ 28 Vigília sanctórum Apostolórum Petri et Pauli.

Romæ sancti Leónis Papæ Secúndi, qui canónicis Reguláribus ante Pontificátum adscríptus fuit. Lugdúni, etc.

# JULIO.

✠ 1 OCTAVA Nativitátis sancti Joánnis Baptístæ, Contituláris Basílicæ Lateranénsis. In monte Hor, etc.

3 Mechlíniæ sancti Rumóldi Mártyris, Scotórum Regis filii, et Episcopi Dublinénsis, qui, Episcopátu abdicáto, extructóque canonicórum Regulárium monastério, insídiis improbórum, quorum vítia reprehénderat, occísus est. Alexandríæ, etc.

4 In território Rheménsi sancti Theodoríci Presbyteri, discipuli beáti Remígii Epíscopi, sanctitáte ac miraculórum glória celebérrimi, qui clericórum Regulárium cœnóbium prope Rhemos extrúxit, et Kaléndis Júlii quiévit in Dómino. Osée, etc.

7 Gráii in Burgúndia beáti Petri Forérii canónici Reguláris sanctíssimi Salvatóris, qui virtútibus ac miráculis clarus quinto Idus Decémbris migrávit ad Dóminum. Romæ, etc.

8 Tolósæ sancti Raymúndi Confessóris, qui Ordinem clericórum Regulárium, extrúcto apud eámdem urbem monastério, ampliávit, ac mónitis, et vitæ exémplo instaurávit. Sanctæ Elísabeth, etc.

✠ 9 Briélæ in Hollándia pássio novémdecim Mártyrum Gorcomiénsium

nuncupatórum, e quibus tres, nimírum Joánnes Hostervicánus, Hadriánus Pekan, et Jacóbus Lacob, canónicis Reguláribus accenséntur; qui ob tuéndam Ecclésiæ Románæ auctoritátem, et reálem Christi in Eucharistia præséntiam, a Calviniánis hæréticis vária ludíbria et torménta perpéssi, extrémo supplício martyrium consummárunt. Romæ, etc.

✝ 10 Primo loco legitur: Romæ sanctárum Vírginum et Mártyrum Rufínæ et Secúndæ sorórum, quæ, etc.

✝ 11 Sanctórum Septem Fratrum filiórum sanctæ Felicitátis, qui sexto Idus Júlii martyrio coronáti sunt. Romæ, etc.

Apud Præmonstratenses. Festum sancti Patris Norbérti Confessóris, Archiepiscopi Magdeburgénsis, ac Ordinis Præmonstraténsis canonicórum Regulárium institutóris, qui octávo Idus Júnii migrávit in cœlum. Romæ, etc.

15 Daventriæ in Bélgio sancti Marcellíni Presbyteri, in Trajecténsi monastério canónici Reguláris, qui evangélica prædicatióne magnam Frisónum partem ad Christum convértit, ac prídie Idus Júlii ánimam Deo réddidit. Bambérgæ, etc.

17 Romæ sancti Leónis Papæ Quarti, olim canónici Reguláris, deinde Cassinénsis mónachi, cujus sanctitáte commótus Arnúlphus Rex Angliæ, regnum suum Ecclésiæ Románæ tributárium constítuit. Romæ, etc.

Apud Viennenses, ut 17 hujus, deinde: Tíbure, etc.

Apud Præmonstratenses. Octáva sancti Patris Norbérti Epíscopi et Confessóris. Tíbure, etc.

✝ 21 Romæ sanctæ Praxédis Vírginis, quæ in omni castitáte et lege divína crudíta, vigíliis et oratiónibus atque jejúniis assídue vacans, quiévit in Dómino, sepúltaque est juxta sorórem suam Pudentiánam via Salária; ejus vero caput ad Sancta Sanctórum asservátur. Babylóne, etc.

# AUGUSTO.

✠ 4 Bononiæ sancti Domínici Confessóris, jam Oxoménsis Ecclésiæ canónici Reguláris, deínde fundatóris Ordinis Fratrum Prædicatórum, viri, etc.

5 Apud Præmonstratenses. Romæ in Exquíliis Dedicátio Basílicæ sanctæ Maríæ ad Nives.

Eódem die Apparítio ejúsdem beatíssimæ Vírginis, quæ sancto Patri Norbérto cándidum Institúti hábitum in capélla sancti Joánnis Baptístæ Præmonstráti osténdit. Item Romæ, etc.

✠ 6 In monte Thabor Transfigurátio Dómini nostri Jesu Christi, ex qua præcípuus sacrosánctæ Basílicæ Lateranénsis Títulus. Romæ, etc.

✠ 13 Octáva Transfiguratiónis Dómini nostri Jesu Christi, ex qua præcípuus Lateranénsis Basílicæ Títulus. Romæ, etc.

Eódem die sancti Simpliciáni Confessóris Epíscopi Mediolanénsis, sanctórum Ambrósii et Augustíni testimónio célebris. Tudérti, etc.

Apud Præmonstratenses. Aldenbúrgi beátæ Gertrúdis Vírginis, fíliæ sanctæ Elisabeth víduæ, quæ canonicórum Præmonstraténsium Institútum proféssa, ejúsdem civitátis monastério annis quamplúribus præfuit, virtútum, ac potíssimum humilitátis, exémplo conspícua. Romæ, etc.

16 Apud Lateranenses, etc. Tagáste in Africa sancti Alípii ejúsdem civitátis Epíscopi, qui beáti Augustíni olim discípulus, póstea in conversióne sócius, in múnere pastorâli colléga, et in certamínibus advérsus hæréticos commílito strénuus, ac demum in cœlésti glória, ad quam decimooctávo Kaléndas Septémbris evolávit, consors fuit. Cracóviæ, etc.

✠ 18 Romæ via Lavicána sanctæ Hélenæ matris Constantíni Magni piíssimi Imperatóris, qui primus Ecclésiæ tuéndæ atque amplificándæ exémplum céteris princípibus præbuit. Prænéste, etc.

19 Apud Lateranenses. Sancti Rufíni Marsórum Epíscopi, qui tértio Idus Augústi sub Maximíno Imperatóre martyrio coronátus est. Romæ, etc.

24 Apud Viennenses. Ubi festum S. Bartholomæi celebratur die 25, primo loco legitur: Vigília sancti Bartholomæi Apóstoli, deinde: Tagáste in Africa, etc. ut 16 hujus; postea: Carthágine, etc. Ubi vero celebratur die 24 tunc die 26 primo loco legitur: Tagáste, etc. deinde: Romæ, etc.

25 vel 27 Trajécti sancti Gregórii Confessóris, beáti Bonifácii Mártyris in clericórum Regulárium Institúto capesséndo discípuli, ac in ejúsdem urbis Episcopátu successóris, qui Sáxones Transinsulános ad Christi fidem convértit. deinde: Lutétiæ, etc. vel Cápuæ, etc.

27 Primo loco legitur: Vigília sancti Patris Augustíni.

Apud Viennenses, secundo loco: Trajécti, etc. ut 25 hujus, deinde: Cápuæ, etc.

✠ 28 Hippóne Régio in Africa natális sancti Patris Augustíni Epíscopi et Ecclésiæ Doctóris exímii, qui, etc.

✠ 29 Festum Decollatiónis sancti Joánnis Baptístæ, etc.

# SEPTEMBRI.

† 1 Romæ in monte Aventino natális sanctæ Sabínæ Mártyris, quæ sub Hadriáno Imperatóre gládio percússa martyrii palmam adépta est. In província Narbonénsi, etc.

✠ 4 Octáva sancti Patris Augustini Episcopi et Confessóris, atque Ecclésiæ Doctóris. In monte Nebo, etc.

✠ 5 Sancti Lauréntii Justiniáni, ex Ordine canonicórum Regulárium, primi Venetiárum Patriárchæ, etc.

6 In Africa sanctórum Episcopórum Læti, Donatiáni, Præsídii, Mansuéti, Germáni, et Fúsculi sive Flósculi, ex Ordine canonicórum Regulárium, quorum primus Lepticénsis Antístes, strénuus atque doctíssimus vir, in persecutióne Wandálica jussu Hunneríci Regis Ariáni pro assertióne cathólicæ veritátis, post diutúrnos cárceris squalóres, incéndio concremátus est; réliqui vero fústibus diríssime cæsi, exílio elimináti sunt. Zacharíæ Prophétæ, etc.

7 Sancti Evórtii sive Emírtii Confessóris, canónici Reguláris in monastério Lateranénsi, ac sanctæ Románæ Ecclésiæ Subdiáconi, qui indicio colúmbæ super caput illius semel et iterum considéntis, Epíscopus Aurelianénsis in Gállia factus, clarus virtútibus, ac cathólicæ Religiónis zelo, quo trídui spátio fere septem Paganórum míllia ad Christi fidem convértit, in cœlum convolávit. Nicomédiæ, etc.

9 Romæ sancti Sérgii Papæ et Confessóris, pridem Ecclésiæ Lateranénsis clérici Reguláris, cujus sanctitáte (ut fertur) Sáxones ad Christi fidem primum convérsi sunt. Nicomédiæ, etc.

✠ 10 Tolentíni in Picéno deposítio sancti Nicolái Confessóris primo canónici Reguláris, póstea Ordinis Eremitárum sancti Augustini. In Africa, etc.

11 Piperáci sancti Petri Confessóris, in monastério, quod ibídem extrúxerat, canonicórum Regulárium Præsidis, qui perfécta reguláris vitæ observántia discípulos informávit, ac sanctitátis fama clarus sexto Idus Septémbris migrávit ad Dóminum. Romæ, etc.

† 16 Primo loco legitur : Chalcédone natális sanctæ Euphémiæ, etc. et in fine elogii additur : Cujus caput ad Sancta Sanctórum asservátur.

17 Cæsaraugústæ in Hispánia beáti Petri de Arbues canónici Reguláris, ac primi in Arragóniæ regno Fídei Quæsitóris, qui a relápsis Judæis ob eámdem, quam pro múnere suo strénue tuebátur, cathólicam Fidem immániter trucidátus, martyrii palmam accépit. Commemorátio Impressiónis, etc.

✠ 25 Ambiáni in Gállia sancti Firmíni Epíscopi, pridem canónici Reguláris, qui in persecutióne Diocletiáni sub Rictiováro Præside, post vária torménta, cápitis decollatióne martyrium sumpsit. In castéllo Emmaus, etc.

✝ 26 Nicomédiæ natális sanctórum Mártyrum Cypriáni et Justínæ Vírginis, quæ, etc.

# OCTOBRI.

✠ 1 Rhemis in Gállia sancti Remígii, ex canónico Regulári Epíscopi et Confessóris, qui, etc.

3 Andaini in saltu Arduennénsi sancti Beregísi, qui monastérium clericórum Regulárium ibídem fundávit, ac in Abbátem eléctus, vitæ reguláris sédulus vindex sexto Nonas Octóbris evolávit in cœlum. Romæ, etc.

Apud Viennenses. Herfórdii in Anglia sancti Thomæ Epíscopi et Confessóris, pridem canónici Reguláris, qui pro Ecclésiæ suæ júribus tuéndis multa passus, óbiit sexto Nonas Octóbris, ac multis post óbitum miráculis cláruit. Romæ, etc.

5 Herfórdii, etc. ut 3 hujus, deinde : Messánæ, etc.

✠ 6 In Calábria sancti Brunónis Confessóris, in Ecclésia Rheménsi canónici Reguláris, deínde Ordinis Carthusianórum institutóris. Laodicéæ, etc.

✝ 9 Sancti Dionysii Areopagítæ Epíscopi et Mártyris, qui ab Apóstolo Paulo baptizátus, ac primus Atheniénsium Episcopus ordinátus, Romam véniens, a beáto Cleménte Románo Pontífice in Gállias prædicándi grátia diréctus est : deínde Lutétiam Parisiórum accédens, cum ibi per áliquot annos commissum sibi opus fidéliter prosequerétur, tandem a Præfécto Fescennino post gravíssima tormentórum génera gládio animadvérsus, una cum Rústico Presbytero, ac Eleuthério Diácono martyrium consummávit; cujus húmerus ad Sancta Sanctórum asservátur. Eódem die, etc.

10 In monastério Bridlingtoniénsi sancti Joánnis Confessóris, inter cléricos Reguláres admirándæ virtútis viri, atque in ejúsdem monastérii Præfectúra, vigilántia ac mansuetúdine célebris. Romæ, etc.

✠ 11 Translátio córporis sancti Patris Augustíni, ex Hippóne Régio in Cálarim Sardíniæ ínsulam, ópera in primis sancti Fulgéntii Ruspénsis Episcopi; qua occasióne multa a Deo mirácula patráta sunt. Tharsi, etc.

12 Populónii in Túscia sancti Cerbónii Epíscopi et Confessóris, pridem canónici Reguláris, qui (ut sanctus Gregórius refert) in vita et post mortem miráculis cláruit, atque sexto Idus Octóbris ánimam Deo réddidit. Romæ, etc.

14 Arímini sancti Gaudéntii, ex canónico Regulári ejúsdem civitátis Epíscopi, qui ab Ariánis, quorum hæresim insectabátur, interémptus, martyrii corónam adéptus est. Romæ, etc.

✠ 16 Sanctórum Rústici Presbyteri, et Eleuthérii Diáconi, qui Lutétiæ Parisiórum cum beáto Dionysio Epíscopo séptimo Idus Octóbris martyrium consummárunt. In Africa, etc.

18 Apud Præmonstratenses. Octáva Translatiónis sancti Patris Augustíni. Natális beáti Lucæ, etc.

20 Apud Viennenses, ut 12 hujus, deinde : In Aviénsi, etc.

21 Apud Lateranenses, Præmonstratenses, etc. primo loco legitur : Apud Colóniam, etc. deinde : In Cypro, etc.

✠ 22 Jerosólymis sanctæ Maríæ Salóme, quæ in Evangélio légitur circa Dómini sepultúram sollícita. Item Jerosólymis, etc.

24 Apud Præmonstratenses. In Frísia sancti Gilbérti Confessóris, qui Præmonstraténsium monastério Novem Fóntium nuncupáto, ibidem extrúcto, ac illíus Præfectúra summa cum laude, ac virtútum exémplo administráta, octávo Idus Júnii obdormívit in Dómino. Venúsiæ, etc.

✠ 25 Romæ sanctórum Mártyrum Chrysánthi et Daríæ uxóris ejus, qui post multas, quas sub Celeríno Præfécto pro Christo sustinuérunt, passiónes, jussi sunt a Numeriáno Imperatóre via Salária in Arenário depóni, atque illic vivéntes terra et lapídibus óbrui. Horum sacra pígnora in Basílica Lateranénsi honorántur. Item Romæ, etc.

26 Papiæ sancti Fulci pridem canónici Reguláris, atque monastério sanctæ Euphémiæ Placéntiæ Præpósiti, deinde Epíscopi Placentíni, ac demum ad Papiénsis Ecclésiæ régimen transláti, assídua pastorális offícii cura, ac virtútum exémplo conspícui. Romæ, etc.

## NOVEMBRI.

✠ 2 SANCTI Cæsárii Diáconi, Kaléndis Novémbris martyrio coronáti; cujus bráchium in Basílica Lateranénsi asservátur. Patávii, etc.

3 In monastério Claræfallénsi deposítio sancti Malachíæ, ex Ordine clericórum Regulárium, Epíscopi Connerthénsis in Hibérnia, qui multis virtútibus suo témpore cláruit, ejúsque vitam sanctus Bernárdus Abbas conscrípsit. Natális, etc.

5 Bitérris sancti Guiraúdi canónici Reguláris, ac ejúsdem civitátis Antístitis, qui ad Episcopátum relúctans ac invítus assúmptus, Ecclésiam sibi concréditam díu sanctéque administrávit. Sancti Zacharíæ, etc.

† 6 Sancti Zacharíæ Sacerdótis et Prophétæ, patris beáti Joánnis Baptístæ, de quo prídie hujus diéi occúrrit memória; ejus vero caput in Basílica Lateranénsi honorífice asservátur. Thinissæ, etc.

† 9 Romæ Dedicátio Basílicæ sanctissimi Salvatóris. Amaséæ in Ponto natális, etc.

10 Apud Lateranenses. Festum Imáginis sanctíssimi Salvatóris, quæ Beryti in Syria a Judæis crucifíxa, tam copiósum emísit sánguinem, ut Orientáles et Occidentáles Ecclésiæ ex eo ubértim accéperint. Neápoli, etc.

12 Avenióne sancti Rufi primi ejúsdem urbis Epíscopi, a quo clericórum Regulárium in Gálliis initia petúntur; cujus corpus Valéntiam in Delphinátu translátum, ibi honorífice cólitur. Natális, etc.

13 Tiphérni in Umbria sancti Flóridi ejúsdem urbis Epíscopi, qui Ecclésiam, in qua clericórum Regulárium Institútum pridem suscéperat, multa cum laude administrávit; cujus sanctitátem beátus Gregórius Papa comméndat. Sancti Dídaci, etc.

Apud Præmonstratenses. Festívitas ómnium Sanctórum Ordinis canonicórum Regulárium Præmonstraténsium. Sancti Dídaci, etc.

14 Sancti Lauréntii Epíscopi Dublinénsis, qui pridem canónicus Reguláris, eámdem, quam ante Episcopátum proféssus fúerat, vitæ ratiónem perpétuo servávit, atque áliis suæ diœcésis clléricis seculáribus servándam propósuit; multisque virtútibus ac miráculis clarus ab Honório Tértio inter Sanctos relátus est. Heracleæ, etc.

Apud Præmonstratenses. Festívitas ómnium sacrárum Reliquiárum, quæ in Ecclésiis Ordinis Præmonstraténsis venerántur. Heracleæ, etc.

† 16 Octáva Dedicatiónis Basílicæ sanctíssimi Salvatóris. In Africa, etc.

Apud Lateranenses. Octáva Crucifixiónis Imáginis sanctíssimi Salvatóris. In Africa, etc.

Apud Viennenses. Lugdúni sancti Euchérii Epíscopi et Confessóris, viri admirándæ fídei et doctrínæ, qui ex nobilíssimo senatórum Ordine ad religiósam clericórum Regulárium vitam habitúmque convérsus, díu intra septa spelúncæ sponte conclúsus, in oratiónibus et jejúniis Christo servívit; ac multo stúdio et solicitúdine concréditam sibi Ecclésiam administrávit. In Africa, etc.

17 Apud Præmonstratenses. In Frísia sancti Siárdi canonicórum Præmonstraténsium Abbátis, exímia humilitáte, charitáte ac miraculórum

glória conspícui, qui Idibus Novémbris migrávit ad Dóminum. Neocæsaréæ, etc.

19 Apud Lateranenses, etc. Lucæ in Túscia sancti Frigdiáni Regis Ultóniæ filii, qui canonicórum Regulárium Institútum, cui nomen déderat, in pátriam invéxit, factúsque Lucénsis Episcopus, paræcias quamplúrimas ædificávit, atque in Ecclésia sancti Vincéntii ejus póstea nómini dicáta, sepúltus est. In óppido, etc.

20 Apud Lateranenses, etc. Romæ sancti Gelásii Papæ et Confessóris, sanctitáte et doctrína conspícui, cui Ordo canonicórum Regulárium, quem in Africa sub sancti Patris Augustíni disciplina ampléxus fúerat, et in Lateranénsi Ecclésia instauráverat, suam debet reformatiónem, ac increméntum; migrávit in cœlum undécimo Kaléndas Decémbris. Sancti Felícis, etc.

23 In óppido Hasbániæ sancti Trudónis Presbyteri, et Confessóris, qui ex patérnis bonis monastérium extrúxit, et cum cléricis reguláriter vivéntibus, populórum salúti insérviens, miráculis cláruit. Natális sancti Cleméntis, etc.

24 Apud Régium in Æmília translátio sancti Prósperi Aquitáni, discípuli beáti Patris Augustíni, ac ejúsdem urbis Episcopi eruditióne ac pietáte insígnis, qui advérsus Pelagiános pro fide cathólica strénue decertávit. Sancti Joánnis a Cruce, etc.

✠ 26 Alexandríæ natális sancti Petri, ejúsdem Ecclésiæ clérici Reguláris, moxque ejúsdem urbis Epíscopi, qui, etc.

27 Lugdúni sancti Euchérii, etc. ut 16 hujus, deinde: Antiochíæ, etc. Apud Viennenses, ut 19 hujus, deinde: Antiochíæ, etc.

28 In Africa sanctórum Mártyrum Papiniáni et Mansuéti, ex Ordine canonicórum Regulárium, quorum primus Epíscopus Uticénsis, alter Uritánus, témpore Wandálicæ persecutiónis sub Genserico Rege Ariáno, pro fídei cathólicæ defensióne candéntibus ferri láminis toto córpore adústi, gloriósum agónem consummárunt. Quo étiam témpore álii sancti Epíscopi ex eódem Ordine, Valeriánus, Urbánus, Crescens, Eustáchius, Crescónius, Crescentiánus, Felix, Hortulánus, et Florentiánus damnáti exílio, cursum vitæ suæ implevérunt. Romæ, etc.

29 Vigília sancti Andréæ Apóstoli.

Sancti Románi Ecclésiæ Cæsariénsis clérici Reguláris, ac Diáconi, qui quartodécimo Kaléndas Decémbris célebri martyrio coronátus est. Romæ, etc.

# DECEMBRI.

† 1 ROMÆ sanctórum Mártyrum Diodóri Presbyteri, et Mariáni Diáconi, cum áliis plúribus, qui, jubénte Numeriáno Príncipe, martyrii glóriam meruérunt, corúmque córpora ad Sancta Sanctórum asservántur.

Nahum Prophétæ in Bégabar quiescéntis. Item Romæ pássio, etc.

Apud Viennenses, ut 20 Novémbris, deinde : Nahum Prophétæ, etc.

2 Alexandríæ sancti Aniáni Confessóris, inter clericos Reguláres religiósæ vitæ observántia, ac miraculórum dono celebérrimi, qui beáti Marci discípulus, et in Episcopátu succéssor, Christi Evangélium nullis parcens labóribus disseminávit. Obiit séptimo Kaléndas Maji ; ejúsque corpus Venétiis in Ecclésia sanctæ Maríæ Charitátis quiéscit. Romæ, etc.

3 Apud Lateranenses, etc. Sancti Petri cognoménto Chrysólogi canónici Reguláris, ac Episcopi Ravennátis, qui vitæ sanctitáte, doctrínæ præstántia, et miraculórum glória illústris, quarto Nonas Decémbris migrávit in cœlum. In Sanciáno Sinárum ínsula, etc.

† 4 Primo loco legitur : Nicomédiæ pássio sanctæ Bárbaræ Vírginis, et Mártyris, quæ, etc. et in fine elogii additur : cujus caput ad Sancta Sanctórum honorífice servátur.

Apud Viennenses, Sancti Petri cognoménto Chrysólogi, etc. ut 3 hujus, deinde : Nicomédiæ, etc.

14 Apud Lateranenses. Neápoli in Campánia sancti Agnélli Abbátis, grátia miraculórum illústris, qui obséssam urbem sæpe visus est Crucis vexíllo ab hóstibus liberáre. Alexandríæ, etc.

✠ 16 Sancti Eusébii Epíscopi Vercellénsis, et Mártyris, a quo clericórum Regulárium Ordo auctus est, ac longe latéque propagátus ; ejus ordinátio decimooctávo Kaléndas Januárii, natális vero dies Kaléndis Augústi recensétur. Trium Puerórum, etc.

23 Apud Lateranenses. Fani in Picéno sancti Paterniáni Epíscopi et Confessóris, qui post édita quamplúra pastorális solicitúdinis arguménta, virtútibus ac miráculis clarus Idibus Novémbris óbiit in Dómino ; cujus corpus in æde sancti Martíni extra mœnia tumulátum, ad celebérrimam intra urbem Ecclésiam suo nómini dicátam, canónici Reguláres sanctíssimi Salvatóris sexto Idus Július, sedénte Július Tértio, honorífice translulérunt, ubi multis coruscat miráculis. Romæ, etc.

† 27 Apud Ephesum natális sancti Joánnis Apóstoli, etc.

✠ 29 Cantuáriæ in Anglia sancti Thomæ Epíscopi et Mártyris, qui,

ut Deo libérius ac secúrius vacáret, canonicórum Regulárium Institútum proféssus, ob defensiónem justítiæ et ecclesiásticæ immunitátis, impiórum hóminum factióne, in Basílica sua gládio percússus migrávit ad Christum. Jerosólymis, etc.

Ubi Officia votiva semel in mense, vel hebdomada respective celebrantur, primo loco legitur, ut infra :

**Officium Commemoratiónis sancti Patris Augustini Epíscopi et Confessóris, atque Ecclésiæ Doctóris.**

Apud Præmonstratenses. **Officium sancti Patris Norbérti Epíscopi et Confessóris.**

Apud Viennenses, Præmonstratenses, etc. **Officium sanctissimi Córporis Christi.**

Apud Præmonstratenses, etc. **Officium beatíssimæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ.**

# LECTIONES PROPRIÆ
## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In Officio commemorationis sancti Patris Augustini.
Lectio.

FUNGI sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis. Tu autem Dómine, etc.

In Festivitate omnium Sanctorum Ordinis Canonicorum Regularium sancti Augustini.
Lectio.

HI sunt viri misericórdiæ, quorum pietátes non defuérunt : cum sémine eórum pérmanent bona : hæréditas sancta nepótes eórum. Tu autem Dómine, etc.

In Festivitatibus sancti Patris Augustini.
Lectio.

QUASI stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet, et quasi sol refúlgens, sic iste refúlsit in templo Dei. Tu autem Dómine, etc.

In Festo Patrocinii Patriarchæ S. Joseph.
Lectio.

FILIUS accréscens Joseph, fílius accréscens, et decórus aspéctu : fíliæ discurrérunt super murum. Tu autem Dómine, etc.

In Festo Imaginis sanctissimi Salvatoris a Judæis crucifixæ.
Lectio.

UT justificáti grátia ipsíus, hærédes simus secúndum spem vitæ ætérnæ in Christo Jesu Dómino nostro. Tu autem Dómine, etc.

# INDEX SANCTORUM

## ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM.

# MARTYROLOGIUM SANCTORUM

### ORDINIS

## S. P. N. BENEDICTI.

*Longum esset Sanctorum Ordinis Benedictini nomina omnia seorsim a Romano Martyrologio ad usum nostrarum Ecclesiarum recensere ea methodo, quam sa. me. Gregorius XIII. suis Litteris, sub datum Romæ die 14. Januarii anno 1584. præscripsit; operæ tamen pretium erit illorum tantum memoriam recolere, dum quotidiana Martyrologii lectio pronuntiatur; quorum Officia ex Summorum Pontificum clementia Sacra Rituum Congregatio nobis celebranda concessit. Sanctorum autem elogia, vel ipsa eadem sunt, quæ in Martyrologio Romano leguntur, vel ex Lectionibus ab eadem Sacra Congregatione approbatis, sunt deprompta, ut primo loco recitentur, nisi de alio Sancto ea die festum sit celebrandum, et idcirco oportuit Sanctorum nomina, qui nostri Ordinis non fuerunt, quandoque Sanctis Benedictinis præponere, ut Martyrologii Rubrica servetur.*

## JANUARIO.

10 In monastério Cuxanénsi natális sancti Petri Urséoli Confessóris, ántea Venetiárum Ducis, et deinde Mónachi Ordinis sancti Benedícti, pietáte et virtútibus clari, cujus festum recólitur decimonóno Kaléndas Februárii. In Cypro beáti Nicánoris, etc.

12 In Anglia sancti Benedícti Abbátis cognoménto Biscópii. Romæ, etc.

14 Sancti Petri Urséoli Confessóris Ordinis nostri, et Ducis Venetiárum, de quo ágitur quarto Idus Februárii. Item sancti Hilárii, etc.

15 In território Andegavénsi beáti Mauri Abbátis discípuli sancti Benedícti, cujus disciplinis ab infántia erudítus, quantum in eis profécerit, inter ália, quæ apud eum pósitus gessit (res nova, et post Petrum pene inusitáta) pédibus super aquas incédens patefécit. In Gállias inde ab eo diréctus, constrúcto ibi célebri monastério, cui quadragínta annis præfuit, miraculórum glória clarus in pace quiévit. Eódem die sancti Pauli, etc.

18 Cáthedra sancti Petri Apóstoli, qua primum Romæ sedit.

Ferráriæ natális beátæ Beatrícis secúndæ Esténsis, quæ, abdicáto sæculi principátu, régulam sancti Patris Benedícti ampléxa, virtúte, et miráculis éxtitit gloriósa. Romæ pássio sanctæ Priscæ, etc.

19 Romæ sancti Agathónis Papæ, qui tantæ sanctitátis et mansuetúdinis fuísse perhibétur, ut leprósum óbvium sibi factum a morbo liberáverit, et néminem a se umquam tristem dimíserit; de eo autem ágitur quarto Idus Januárii. Eódem die sancti Canúti, etc.

23 Jerosólymis Desponsátio beátæ Vírginis Maríæ.

Toléti sancti Ildefónsi Epíscopi, qui ob singulárem vitæ integritátem, susceptámque defensiónem advérsus hæréticos, Dei Genitrícis virginitátem impugnántes, ab eádem candidissima veste donátus est, ac demum sanctitáte célebris in cœlum vocátus. Barcinóne, etc.

28 Sancti Pauli primi Eremítæ, de quo ágitur decimooctávo Kaléndas Februárii. Romæ, etc.

30 Burgis in Hispánia sancti Adelélmi Abbátis, discípuli sancti Robérti Abbátis Casæ-Dei, qui multos languóres signo crucis et Dei grátia curávit. Romæ, etc.

# FEBRUARIO.

2 PURIFICATIO beátæ Maríæ Vírginis, quæ a Græcis Hypapánte Dómini appellátur.

Cantuáriæ in Anglia natális sancti Lauréntii Epíscopi, qui post sanctum Augustínum eam Ecclésiam gubernávit, et Regem ipsum ad fidem convértit. Romæ in via Salária, etc.

3 Sancti Ildefónsi Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur décimo Kaléndas Februárii. Sebáste, etc.

6 Sancti Lauréntii Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur quarto Nonas Februárii. Cæsaréæ, etc.

7 Sancti Romuáldi Abbátis Monachórum Camalduléusium sub régula sancti Patris nostri Benedícti institutóris, cujus dies natális ágitur tertiodécimo Kaléndas Július. Augústæ in Británnia, etc.

9 Sancti Hilárii Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur nono Kaléndas Februárii. Alexandríæ, etc.

10 Apud montem Cassínum sanctæ Scholásticæ Vírginis, soróris sancti Patris nostri Benedícti, qui ejus ánimam instar colúmbæ migrántem e córpore in cœlum ascéndere vidit. Romæ, etc.

13 Romæ sancti Gregórii Papæ Secúndi, qui Leónis Isáurici impietáti

acérrime réstitit, et sanctum Bonifácium ad prædicándum Evangélium in Germániam misit. Antiochíæ, etc.

17 Octáva sanctæ Scholásticæ Vírginis, soróris sancti Patris nostri Benedícti. Romæ, etc.

18 Toléti in Hispánia sancti Helládii Epíscopi et Confessóris, qui ad Pontificátus ápicem evéctus, majórum virtútum exémpla præstitit, quam Mónachus edíderat. Jerosólymis, etc.

20 Sancti Canúti Regis et Mártyris, de quo ágitur séptimo Idus Januárii, et quartodécimo Kaléndas Februárii. Tyri, etc.

21 Sancti Raymúndi de Pénnafort Confessóris, de quo ágitur décimo Kaléndas Februárii. In Sicília, etc.

22 Antiochíæ Cáthedra sancti Petri Apóstoli, ubi primum discípuli cognomináti sunt Christiáni.

Favéntiæ sancti Petri Damiáni Cardinális, et Epíscopi Ostiénsis, qui pro Dei Ecclésia multis perfúnctus labóribus, sanctitáte, doctrína, et miráculis clarus in pace quiévit; quem Leo Papa Duodécimus universális Ecclésiæ Doctórem declarávit. Hierápoli in Phrygia, etc.

23 Vigília sancti Matthíæ Apóstoli. (In anno bissextili hæc verba omittuntur).

Eódem die sancti Petri Damiáni Cardinális, Epíscopi Ostiénsis, et Ecclésiæ Doctóris, de quo ágitur octávo Kaléndas Mártii. Apud Syrmium, etc.

25 In Italia tantum. Sanctæ Margarítæ Cortonénsis, de qua ágitur octávo Kaléndas Mártii. In Ægypto, etc.

26 Sanctæ Martínæ Vírginis et Mártyris, de quo ágitur tértio Kaléndas Februárii. Perge, etc.

27 Híspali in Hispánia natális sancti Leándri ejúsdem civitátis Epíscopi, cujus prædicatióne et indústria. Visigothórum gens, adjuvánte Reccarédo eórum Rege, ab Ariána impietáte ad cathólicam fidem convérsa est. Romæ, etc.

28 Beátæ Beatrícis secúndæ Esténsis Vírginis, de qua ágitur decimoquínto Kaléndas Februárii. Romæ, etc.

# MARTIO.

1 In monastério Cellæ-Novæ apud Galláicos sancti Rudesíndi Epíscopi, sanctitáte et miraculórum glória conspícui.

Apud civitátem Werdam sancti Suitbérti Epíscopi, qui témpore Sérgii Papæ apud Frisónes, Bátavos, et álios Germániæ pópulos Evangélium prædicávit.

Bassáni in monastério Ordinis sancti Benedícti, natális beátæ Joánnæ Maríæ Bonómo, humilitáte et miráculis claræ. Romæ, etc.

2 Sancti Suitbérti Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur Kaléndis Mártii. Romæ, etc.

3 Nonántulæ in fínibus Æmíliæ sancti Ansélmi illíus monastérii fundatóris, qui monásticam disciplínam non tam reguláribus præcéptis, quam virtútum exercitatióne promóvit.

Bambérgæ sanctæ Chunegúndis Augústæ, quæ Henríco primo Imperatóri nupta, cum virginitátem, ipso annuénte, servásset, bonórum óperum méritis cumuláta, sancto fine quiévit, et post mortem miráculis cláruit. Cæsaréæ in Palæstína, etc.

5 Sanctæ Chunegúndis Vírginis, de qua ágitur quinto Nonas Mártii. Antiochíæ, etc.

6 Beátæ Joánnæ Maríæ Bonómo Vírginis, de qua ágitur Kaléndis Mártii. Nicomédiæ, etc.

8 In Navárra sancti Veremúndi Abbátis, qui inter ália mirácula ab eo, Dei grátia, patráta, messes monastérii in área ardéntes, sola oratióne extínxit. Apud Antínoum Ægypti urbem, etc.

9 Romæ sanctæ Francíscæ víduæ fundatrícis Domus Turris speculórum sub Ordine sancti Patris Benedícti, nobilitáte géneris, vitæ sanctitáte, et miraculórum grátia célebris. Apud Sebásten, etc.

11 Legióne in Hispánia sancti Vincéntii Abbátis et Mártyris, qui pro fídei confessióne ab Ariánis morti addíctus, et pro persecutóribus orans, gládio percússus occúbuit.

Córdubæ sancti Eulógii Presbyteri, qui ejúsdem urbis martyribus in persecutióne Sarracenórum adjúngi méruit, quorum pro fide certámina scribéndo fúerat æmulátus. Carthágine, etc.

12 Romæ sancti Gregórii Papæ, et Ecclésiæ Doctóris exímii, qui ob res præcláre gestas, atque Anglos ad Christi fidem convérsos, magnus est dictus, et Anglórum Apóstolus appellátus. Item Romæ, etc.

13 Legióne in Hispánia sancti Ramíri, et duódecim Monachórum Mártyrum, qui Sýmbolum fídei canéntes, ab Ariánis cæsi, læto ánimo, parátam sibi corónam accepérunt. Nicomédiæ, etc.

14 Sancti Joánnis de Deo Confessóris, de quo ágitur octávo Idus Mártii. Romæ, etc.

16 Apud Sublácum beáti Lauréntii a Fanéllo Eremítæ cognoménto Loricáti de quo ágitur étiam decimoséptimo Kaléndas Septémbris. Romæ, etc.

21 In monte Cassíno natális sancti Patris nostri Benedícti Abbátis, qui Monachórum disciplínam in Occidénte pene collápsam restítuit, ac

mirífice propagávit, cujus vitam virtútibus et miráculis gloriósam beátus Gregórius Papa conscripsit. Alexandríæ, etc.

28 Octáva sancti Patris nostri Benedícti Abbátis. Cæsaréæ in Palæstína, etc.

# APRILI.

13 In monastério Vallis Rosárum prope Mechlíniam beátæ Idæ Vírginis, quæ Christi passiónem méditans, quinque vúlnerum stigmátibus, ad instar circulórum divérsi colóris, ígneo amóris stylo impréssis, méruit insigníri. Híspali in Hispánia, etc.

14 Sancti Hermenegíldi Regis et Mártyris, de quo ágitur Idibus Aprílis. Romæ, etc.

16 Paléntiæ sancti Turíbii Epíscopi Asturicénsis, qui ope sancti Leónis Papæ hæresim Priscilliáni ex Hispánia pénitus profligávit, clarúsque miráculis in pace quiévit, cujus corpus modo in cœnóbio Ordinis nostri, ejus nómini dicáto, cólitur. Corínthi, etc.

17 Vicéntiæ beáti Joánnis de Surdis ex Mónacho Ordinis sancti Benedícti, ejúsdem civitátis Epíscopi, qui gládio vulnerátus, pro justítia expirávit; cujus corpus ibídem magna veneratióne cólitur. Romæ, etc.

21 Cantuáriæ in Anglia sancti Anselmi Epíscopi, sanctitáte et doctrína conspícui, quam ad defensiónem fidei, ad animárum proféctum, et ad ómnium Theologórum, qui sacras litteras scholástica méthodo tradidérunt, normam cœlitus hausísse ex ejus libris ómnibus appáret. In Pérside, etc.

24 In Anglia depositio sancti Melliti Epíscopi, qui a sancto Gregório in Angliam missus, Orientáles Sáxones, et Regem ipsórum ad fidem convértit. Sevísii, etc.

27 Sancti Fidélis a Sigmaringa Mártyris, de quo ágitur octávo Kaléndas Maji. Nicomédiæ, etc.

29 In monastério Molisménsi sancti Robérti primi Cistércii Abbátis, et Cisterciénsis Ordinis sub régula sancti Patris nostri Benedícti fundatóris. Medioláni, etc.

# MAJO.

11 Sancti Petri Mártyris, de quo ágitur tértio Kaléndas Maji. Romæ, etc.

21 In tota Italia tantum. Festum sancti Felícis Confessóris, de quo ágitur quintodécimo Kaléndas Júnii. In Mauritánia, etc.

22 In pago Autisiodorénsi beáti Románi Abbátis, qui sancto Patri Benedícto ministrávit in specu, indéque in Gállias proficíscens, ædificáto monastério, relictísque multis sanctitátis alúmnis, quiévit in Dómino. Romæ, etc.

25 Salérni depositio beáti Gregórii Papæ Séptimi, ecclesiásticæ libertátis propugnatóris, ac defensóris acérrimi.

Romæ sancti Bonifácii Papæ Quarti, qui Pántheon in honórem beátæ Maríæ ad Mártyres dedicávit.

In Hispánia sancti Gennádii Asturicénsium Epíscopi, qui præsulátu se ábdicans, ad monastérium rédiit, et bonórum óperum plenus, ex hac vita migrávit. Floréntiæ, etc.

26 Cantuáriæ in Anglia sancti Augustíni Epíscopi, qui illuc una cum áliis a beáto Gregório Papa missus, genti Anglórum Christi Evangélium prædicávit, ibíque virtútibus et miráculis gloriósus obdormívit in Dómino. Romæ, etc.

27 In Anglia depositio venerábilis Bedæ Presbyteri, sanctitáte et eruditióne celebérrimi. Eódem die natális sancti Joánnis, etc.

28 Sancti Bonifácii Papæ et Confessóris, de quo ágitur octávo Kaléndas Júnii. In Sardínia, etc.

29 Sancti Gennádii Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur octávo Kaléndas Júnii. Romæ, etc.

30 Sanctæ Maríæ Magdalénæ de Pazzis Vírginis, de qua ágitur octávo Kaléndas Júnii. Romæ, etc.

31 Sancti Philíppi Nérii Confessóris, de quo ágitur séptimo Kaléndas Júnii. Romæ, etc.

## JUNIO.

1 In monastério Onniénsi in Hispánia sancti Ennecónis Abbátis, cujus vitæ sanctitátem Deus plúribus miráculis illustrávit. Romæ sancti Juvéntii Mártyris, etc.

2 Sanctæ Angelæ Meríciæ Vírginis, de qua ágitur prídie Kaléndas Júnii. Romæ, etc.

5 In cœnóbio Fuldénsi sancti Bonifácii Epíscopi Moguntini, qui de Anglia Romam véniens, et a Gregório Secúndo in Germániam missus, ut Fidem Christi illis géntibus evangelizáret, cum máximam multitúdinem, præsértim Frisónum christiánæ religióni subjugásset, Germanórum Apóstolus méruit appellári : novíssime in Frísia a furéntibus Gentílibus gládio perémptus, martyrium consummávit, cum Eóbano, et quibúsdam áliis servis Dei. In Ægypto, etc.

12 Romæ in Basílica Vaticána sancti Leónis Papæ Tértii, cui érutos

ab ímpiis óculos, et præcisam linguam, Deus mirabiliter restituit. Item Romæ, etc.

14 Córdubæ sanctórum Mártyrum Felicis Mónachi, Anastásii Presbyteri, et Dignæ Vírginis, qui in Arábica persecutióne passi sunt. Cæsaréæ in Cappadócia, etc.

15 Sancti Joánnis a sancto Facúndo Confessóris, de quo ágitur pridie Idus Júnii. In Lucánia, etc.

16 Sancti Basilii Epíscopi et Confessóris, atque Ecclésiæ Doctóris, de quo ágitur decimooctávo Kaléndas Július. Vesontióne, etc.

20 Híspali in Hispánia sanctæ Floréntiæ Vírginis, soróris sanctórum Leándri et Isidóri Episcopórum. Eódem die natális, etc.

23 Vigília sancti Joánnis Baptistæ.

In Británnia sanctæ Ediltrúdis Regínæ et Vírginis, quæ sanctitáte et miráculis clara, migrávit ad Dóminum, cujus corpus úndecim post annis invéntum est incorrúptum. Romæ, etc.

25 In território Guléti prope Nuscum sancti Guliélmi Confessóris Patris Monachórum Montis Vírginis sub régula sancti Patris nostri Benedicti. Apud Berœam, etc.

28 Vigília sanctórum Apostolórum Petri et Pauli.

Romæ sancti Leónis Papæ Secúndi. Lugdúni, etc.

## JULIO.

7 In Saxónia sancti Willebáldi primi Eisteténsis Epíscopi, qui una cum sancto Bonifácio labórans in Evangélio, multas gentes convértit ad Christum. Romæ, etc.

8 Herbípoli in Germánia sancti Chiliáni Epíscopi, qui a Románo Pontífice ad prædicándum Evangélium missus, cum multos ad Christum perduxísset, una cum sóciis Colománno Presbytero, et Totnáno Diácono trucidátus est. Eódem die sanctæ Elisabeth, etc.

9 Sanctæ Elisabeth, Regínæ Portugálliæ víduæ, de qua ágitur octávo Idus Július. Romæ, etc.

11 In statu ecclesiastico. Sanctæ Verónicæ de Juliánis Vírginis Abbatissæ, de qua ágitur séptimo Idus Július. Romæ, etc.

12 In monastério Passiniáno prope Floréntiam sancti Joánnis Gualbérti Abbátis, institutóris Ordinis Vallis-Umbrósæ sub régula sancti Patris Benedicti. Medioláni, etc.

17 Romæ depositio sancti Leónis Papæ Quarti, cujus sanctitáte motus Arnúlphus Rex Angliæ, regnum Románæ Ecclésiæ ánnuo censu indicto tributárium fecit. tem Romæ, etc.

18 Sancti Aléxii Confessóris, de quo ágitur sextodécimo Kaléndas Augústi. Tibure, etc.

## AUGUSTO.

6 Burgis in Hispánia in monastério sancti Petri de Charadigna ducentórum Monachórum cum Stéphano Abbáte, qui a Sarracénis pro fide Jesu Christi interfécti sunt, atque ibidem in claustro a Christiánis sepúlti. In monte Thabor, etc.

9 Vigília sancti Lauréntii Mártyris.

Eódem die sancti Stéphani Abbátis, et sociórum Monachórum Mártyrum, de quibus ágitur octávo Idus Augústi. Romæ sancti Románi, etc.

16 Cracóviæ in Polónia sancti Hyacínthi Confessóris Ordinis Prædicatórum, quem Clemens Papa Octávus in Sanctórum númerum rétulit, et hac die festum illius celebrári præcépit.

Apud Sublácum natális beáti Lauréntii a Fanéllo Eremítæ, cognoménto Loricáti, cujus corpus a monte Morrebóttis, ubi eremíticam vitam duxit, ad Ecclésiam sancti Benedícti prope specus ipsíus sancti Patris translátum fuit : de quo étiam ágitur decimoséptimo Kaléndas Aprilis. Romæ, etc.

20 In território Lingoniénsi depositio sancti Bernárdi primi Claræ-vallénsis Abbátis, vita, doctrina, et miráculis gloriósi, quem Pius Octávus Póntifex Máximus universális Ecclésiæ Doctórem declarávit, et confirmávit. In Judæa, etc.

21 Senis in Túscia beáti Bernárdi Ptolomæi Abbátis Congregatiónis Olivetánæ sub régula sancti Patris Benedícti fundatóris. Romæ in agro Veráno, etc.

24 (Ubi celebratur Festum S. Bartholomæi die 25) Vigília sancti Bartholomæi Apóstoli.

Eódem die sanctæ Joánnæ Francíscæ Frémiot de Chantal víduæ, de qua ágitur duodécimo Kaléndas Septémbris. Carthágine, etc.

26 (Ubi celebratur Festum S. Bartholomæi die 24) Sanctæ Joánnæ Francíscæ, ut in præcedenti Lectione, et prosequitur : Romæ, etc.

## SEPTEMBRI.

2 In monte Sorácte sancti Nonnósi Abbátis, qui oratióne sua ingéntis molis saxum tránstulit, aliísque miráculis coruscávit. Albæ in Pannónia, etc.

3 Sancti Stéphani Hungáriæ Regis Confessóris, de quo ágitur quarto Nonas Septémbris. Romæ, etc.

16 Sanctórum Cornélii et Cypriáni Pontíficum et Mártyrum, quorum natális decimoctávo Kaléndas Octóbris recólitur.

In Anglia sanctæ Edithæ Vírginis, Edgari Anglórum Regis fíliæ, quæ in monastério a téneris annis Deo dicáta, sæculum hoc ignorávit pótius, quam relíquit. Chalcédone, etc.

17 Córdubæ sanctæ Colúmbæ Vírginis, quæ oratiónis stúdio júgiter inténta, martyrii corónam méruit adipísci. Eódem die commemorátio, etc.

19 Putéolis in Campánia sanctórum Mártyrum Januárii Beneventánæ civitátis Epíscopi, Festi ejus Diáconi, et Desidérii Lectóris, Sósii Diáconi Ecclésiæ Misenátis, Próculi Diáconi Puteoláni, Eutychii et Acútii : qui post víncula, et cárceres cápite cæsi sunt sub Diocletiáno Príncipe. Corpus sancti Januárii Neápolim fuit delátum, atque honorífice in Ecclésia tumulátum : ubi étiam beatíssimi Mártyris sanguis in ampúlla vítrea adhuc servátur, qui in conspéctu cápitis illius pósitus, velut recens liquéscere, et ebullíre conspícitur.

Cantuáriæ sancti Theodóri Epíscopi, qui a Vitaliáno Papa in Angliam missus, doctrina et sanctitáte refúlsit. Nucériæ, etc.

22 Festum sacrórum Stigmatum sancti Francísci Confessóris, de quibus ágitur quintodécimo Kaléndas Octóbris. Valéntiæ, etc.

24 Festum beátæ Maríæ Vírginis de Mercéde.

In Pannónia sancti Gerárdi Epíscopi et Mártyris, Hungarórum Apóstoli nuncupáti, Patrícii Véneti, qui primus pátriam nóbili martyrio illustrávit. Augustodúni, etc.

25 Sancti Gerárdi Sagrédo Epíscopi et Mártyris, de quo ágitur octávo Kaléndas Octóbris. In Castéllo, etc.

26 Sancti Thomæ a Villanóva Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur quartodécimo Kaléndas Octóbris, et sexto Idus Septémbris. Nicomédiæ, etc.

## OCTOBRI.

5 MESSANÆ in Sicília natális sanctórum Mártyrum Plácidi Mónachi, discípuli beáti Benedícti Abbátis et fratrum ejus Eutychii, et Victoríni, ac Fláviæ Vírginis, eórum soróris; item Donáti, Firmáti Diáconi, Fausti, aliorúmque trigínta Monachórum, qui a Manúcha piráta pro Christi fide necáti sunt.

Eódem die sancti Attiláni Epíscopi Zamorénsis, quem Urbánus Secúndus in Sanctórum númerum rétulit. Item natális beáti Thraséæ, etc.

7 Patávii sanctæ Justínæ Vírginis et Mártyris, quæ a beáto Prosdócimo, sancti Petri discípulo baptizáta, cum in fide Christi constánter persísteret, Máximi Præsidis jussu gládio transverberáta migrávit ad Dóminum, ejus autem sacrum corpus in insígni nostri Ordinis monastério, in eádem civitáte excitáto, quiéscit. Romæ via Ardeatína, etc.

10 Eboráci in Anglia sancti Paulíni Epíscopi, discípuli beáti Gregórii Papæ, qui cum áliis ad prædicándum Evangélium illuc ab eo missus, Eduvínum Regem, ejúsque pópulum ad fidem Christi convértit. Romæ, etc.

11 Sancti Francísci Bórgiæ Confessóris, de quo ágitur sexto Idus Octóbris. Tharsi in Cilícia, etc.

15 Abulæ in Hispánia sanctæ Terésiæ Vírginis, fratrum ac sorórum Ordinis Carmelitárum arctióris observántiæ matris, et magístræ.

In Prússia sancti Brunónis Epíscopi Ruthenórum, et Mártyris, qui Evangélium in ea regióne prædicans, ab ímpiis tentus, mánibus, pedibúsque præcísis, cápite truncátus est.

In Germánia sanctæ Theclæ Abbatíssæ, quæ plures ad monásticam vitam suo exémplo provocávit. Romæ via Aurélia, etc.

16 Apud Arbónam in Germánia sancti Galli Abbátis discípuli beáti Columbáni, quem in Itália beáta morte donátum, ipse per visiónem in Alemánnia consístens agnóvit. In Africa, etc.

17 Cracóviæ sanctæ Hedwígis Ducíssæ Polóniæ, quæ viro suo defúncto, Cisterciénsem hábitum índuens, religiósæ pietátis exémplar evásit, et Idibus Octóbris obdormívit in Dómino. Antiochíæ, etc.

30 Commemorátio sanctórum Mártyrum, et aliórum Sanctórum, quorum sacræ relíquiæ in Ecclésiis Ordinis nostri asservántur. In Africa, etc.

## NOVEMBRI.

10 NEAPOLI in Campánia natális sancti Andréæ Avellíni clérici reguláris, sanctitáte et stúdio procurándæ proximórum salútis præcélebris, quem miráculis clarum Clemens Undécimus Sanctórum catálogo adscrípsit.

In Anglia sancti Justi Epíscopi, qui una cum Augustíno, Mellito, et áliis a beáto Gregório Papa in eam ínsulam missus ad prædicándum Evangélium, ibídem sanctitáte célebris obdormívit in Dómino. Eódem die natális sanctórum Mártyrum Tryphónis, etc.

12 Turiasóne in Hispánia Tarraconénsi beáti Æmiliáni Abbátis, qui innúmeris miráculis cláruit; cujus admirábilem vitam sanctus Braúlio Cæsaraugustánus Epíscopus descrípsit. Eódem die natális, etc.

13 Festum ómnium sanctórum Monachórum Ordinis sancti Patris nostri Benedícti a Paulo Papa Quinto institútum. Eódem die sancti Dídaci, etc.

14 Commemorátio ómnium Defunctórum Ordinis nostri.

Eódem die sancti Justi Epíscopi Confessóris, de quo ágitur quarto Idus Novémbris. Heráclea in Thrácia, etc.

15 Sancti Martíni Papæ et Mártyris, de quo ágitur prídie Idus Novémbris. Eódem die natális sancti Eugénii, etc.

16 Sancti Dídaci Confessóris, de quo ágitur Idibus Novémbris. In África, etc.

17 In Germánia sanctæ Gertrúdis Vírginis, et Abbatíssæ, quæ dono revelatiónum clara éxtitit, et miraculórum grátia fuit illústris. Neocæsaréæ in Ponto, etc.

18 Romæ Dedicátio Basilicárum sanctórum Apostolórum Petri et Pauli. Quarum primam in ampliórem formam restitútam Urbánus Octávus hac ipsa recurrénte die ritu solémni consecrávit.

Turónis tránsitus beáti Oddónis Abbátis, qui regulárem disciplínam restítuit, eámque longe, latéque propagávit. Antiochíæ, etc.

24 In monastério Bobiénsi sancti Columbáni Abbátis, cujus natális dies ágitur undécimo Kaléndas Decémbris.

Ubédæ in Hispánia sancti Joánnis a Cruce Confessóris, cujus natális dies decimonóno Kaléndas Januárii recensétur : ejus autem Festum, jussu Cleméntis Papæ Duodécimi, hac die celebrátur. Eódem die natális sancti Chrysógoni, etc.

26 Apud Fabriánum in Picéno beáti Silvéstri Abbátis, institutóris Congregatiónis Monachórum Silvestrinórum sub régula sancti Benedícti. Alexandríæ, etc.

27 Sancti Oddónis Abbátis, de quo ágitur quartodécimo Kaléndas Decémbris. Antiochíæ, etc.

28 Sancti Gregórii Thaumatúrgi Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur quintodécimo Kaléndas Decémbris. Romæ sancti Rufi, etc.

29 Vigília sancti Andréæ Apóstoli.

Eódem die sancti Joánnis a Cruce Confessóris, de quo ágitur octávo Kaléndas Decémbris, et decimonóno Kaléndas Januárii. Romæ via Salária, etc.

# DECEMBRI.

14 In Hispánia sancti Domínici Abbátis Silénsis, de quo ágitur tertiodécimo Kaléndas Januárii. Alexandríæ, etc.

In Commemoratione S. P. N. Benedicti semel in hebdomada.

**Commemorátio sancti Patris nostri Benedícti Abbátis.**

In Commemoratione sanctæ Scholasticæ semel in mense.

**Commemorátio sanctæ Scholásticæ Vírginis, soróris sancti Patris nostri Benedícti.**

# LECTIONES PROPRIÆ

## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In Festo sancti Patris nostri Benedicti.

**Quasi vas auri sólidum ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens. Et circa illum coróna fratrum, quasi plantátio cedri in monte Líbano : sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, et omnes fílii Aaron in glória sua.** Tu autem, **Dómine, miserére nobis.** ℟. **Deo grátias.**

In Festo Sanctorum, quorum reliquiæ sunt in nostris Ecclesiis.

**Quis est, qui vobis nóceat; si boni æmulatóres fuéritis? Sed, et si quid patímini propter justítiam, beáti.** Tu autem, **Dómine**, etc.

In Festo omnium sanctorum Monachorum.

**Filii eórum propter illos usque in ætérnum manent : semen eórum, et glória eórum non derelinquétur.** Tu autem, **Dómine**, etc.

In Festo sanctæ Gertrudis Virginis.

**Surge amíca mea, speciósa mea, et veni, colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ : osténde mihi fáciem tuam; sonet vox tua in áuribus meis; vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.** Tu **autem, Dómine, miserére nobis, etc.**

# INDEX MARTYROLOGII

## ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

# MARTYROLOGIUM SANCTORUM

TOTIUS ORDINIS

## CAMALDULENSIS.

## JANUARIO.

10 In monastério Cuxanénsi, etc. in Martyrologio Benedictino pag. 305.

12 In Anglia sancti Benedícti cognoménto Biscópii. Romæ, etc.

14 Sancti Petri Urséoli Confessóris, de quo ágitur quarto Idus Januárii. Item sancti Hilárii, etc.

15 In território Andegavénsi, etc. in M. B. pag. 305.

19 Romæ sancti Agathónis, etc. in M. B. pag. 306.

23 Jerosólymis, etc. in M. B. pag. 306.

28 Sancti Pauli primi Eremitæ, de quo ágitur décimo octávo Kaléndas Februárii. Romæ, etc.

30 Burgis in Hispánia etc. in M. B. pag. 306.

## FEBRUARIO.

2 Purificatio, etc. in M. B. pag. 306.

3 Sancti Ildefónsi Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur décimo Kaléndas Februárii. Sebáste, etc.

6 Sancti Lauréntii Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur quarto Nonas Februárii. Cæsaréæ, etc.

7 Fabriáni in Picéno Translátio córporis sancti Patris nostri Romuáldi Abbátis. Augústæ, etc.

9 Nucériæ in Umbria sancti Raynáldi Episcopi et Confessóris, qui ex Mónacho Avellanénsis cœnóbii ad regéndam Nucérinam Ecclésiam assúmptus, ibídem sanctíssime óbiit; cujus corpus in cathedráli Ecclésia incorrúptum, et fulgens miráculis honorífice asservátur, et cólitur. Alexandríæ, etc.

10 Apud montem Cassinum, etc. in M. B. pag. 306.

12 Bálneis in Etrúria beátæ Joánnæ Vírginis sanctimoniális Camaldulénsis, génere et virtúte illústris. Barcinóne, etc.

13 Romæ sancti Gregórii, etc. in M. B. pag. 306.

14 Válidi in Umbria beáti Angeli Confessóris Ordinis Camaldulénsis, qui signis et virtútibus clarus decimooctávo Kaléndas Februárii migrávit ad Dóminum. Romæ via Flamínia, etc.

17 Octáva sanctæ Scholásticæ Vírginis. Romæ, etc.

18 Toléti in Hispánia, etc. in M. B. pag. 307.

19 Sancti Hilárii Episcopi et Confessóris, de quo ágitur decimonóno Kaléndas Februárii. Romæ, etc.

20 Sancti Canúti Regis et Mártyris, de quo ágitur séptimo Idus Januárii, et quartodécimo Kaléndas Februárii. Tyri, etc.

21 Sancti Raymúndi de Pénnafort Confessóris, de quo ágitur décimo Kaléndas Februárii. In Sicília, etc.

23 Vigília sancti Matthíæ Apóstoli.

Faventiæ sancti Petri Damiáni, qui monástico institúto in Avellanénsi cœnóbio suscépto, ac mirifice propagáto, admirándæ doctrinæ, et pœniténtiæ exémplar fuit, ac póstmodum a Stéphano Papa Nono Cardinális ac Epíscopus Ostiénsis renuntiátus, multis apostólicis legatiónibus functis decéssit e vita : quem Leo Papa Duodécimus universális Ecclésiæ Doctórem declarávit. Apud Syrmium, etc.

25 Sanctæ Margarítæ Cortonénsis, de qua ágitur octávo Kaléndas Mártii. In Ægypto, etc.

26 Sanctæ Martínæ Vírginis et Mártyris, de qua ágitur tértio Kaléndas Februárii. Perge, etc.

27 Híspali in Hispánia, etc. in M. B. pag. 307.

Feria quinta post Cineres.

Festum Commemoratiónis Passiónis Dómini nostri Jesu Christi.

Feria quinta post Dominicam primam Quadragesimæ.

Festum sacræ Spíneæ Corónæ Dómini nostri Jesu Christi.

Feria quinta post Dominicam secundam Quadragesimæ.

Festum pretiosíssimi Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi.

Feria quinta post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

Festum Lánceæ et Clavórum Dómini nostri Jesu Christi.

Feria quinta post Dominicam quartam Quadragesimæ.

Festum sacrórum quinque Vúlnerum Dómini nostri Jesu Christi.

# MARTIO.

1 In monastério Cellæ Novæ, etc. in M. B. pag. 307.

2 Sancti Suitbérti Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur prídie hujus diéi. Romæ, etc.

3 Nonántulæ, etc. in M. B. pag. 308.

5 Sanctæ Chunegúndis Vírginis, de qua ágitur quinto Nonas Mártii. Antiochíæ, etc.

6 Beátæ Joánnæ Maríæ Bonómo Vírginis, de qua ágitur Kaléndis Mártii. Nicomédiæ, etc.

8 In Navárra, etc. in M. B. pag. 308.

9 Romæ sanctæ Francíscæ, etc. in M. B. pag. 308.

11 Legióne in Hispánia, etc. In M. B. pag. 308.

13 Legióne in Hispánia sancti Ramíri, etc. in M. B. pag. 308.

14 Sancti Joánnis de Deo Confessóris, de quo ágitur octávo Idus Mártii. Romæ, etc.

18 Festum sancti Gabriélis Archángeli. Cæsaréæ, etc.

21 In monte Cassíno, etc. in M. B. pag. 308.

28 Octáva sancti Patris nostri Benedícti Abbátis. Cæsaréæ, etc.

30 Costacciárii in Umbria beáti Thomæ Eremítæ Camaldulénsis et Confessóris, qui vitæ sanctitáte fulsit, et austeritátibus conféctus octávo Kaléndas Aprílis obdormívit in Dómino. Romæ, etc.

31 Verónæ sancti Gualfárdi Confessóris Ordinis Camaldulénsis, qui in summa rerum abdicatióne, et egestáte plures annos vitam solitáriam ducens, sanctíssime óbiit. Thécuæ, etc.

# APRILI.

1 In óppido Serræ Cómitum Senogalliénsis diœcésis beáti Gerárdi Confessóris, qui jugi monásticæ régulæ observatióne, assíduis oratiónibus, ómnium virtútum laude insígnis quartodécimo Kaléndas Decémbris in cœlum evolávit. Romæ, etc.

13 In monastério Vallis Rosárum, etc. in M. B. pag. 309.

14 Sancti Hermenegíldi Regis et Mártyris; de quo ágitur Idibus Aprílis. Romæ, etc.

16 Paléntiæ sancti Turíbii, etc. in M. B. pag. 309.

21 Cantuáriæ in Anglia, etc. in M. B. pag. 309.

24 In Anglia depositio, etc. in M. B. pag. 309.
26 Festum Apparitiónis speciósæ imáginis beátæ Maríæ Vírginis de Bono Consílio nuncupátæ. Romæ, etc.
27 Sancti Fidélis a Sygmaringa Mártyris, de quo ágitur octávo Kaléndas Maji. Nicomédiæ, etc.
28 Sanctórum Cleti et Marcellini Pontíficum et Mártyrum, quorum natális dies recólitur sexto Kaléndas Maji. Ravénnæ, etc.
29 In monastério Molisménsi, etc. in M. B. pag. 309.

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pascha.
Festum Patrocínii sancti Joseph Sponsi beátæ Maríæ Vírginis, et nostræ Congregatiónis protectóris.

## MAJO.

11 Sancti Petri Mártyris, de quo ágitur tértio Kaléndas Maji. Romæ, etc.
13 Eugúbii beáti Fortis de Gabriéllibus, Avellanénsis monastérii Mónachi et Eremítæ, qui splendórem géneris sui nobilitáte ánimi súperans, mundi illécebras, et oblectaménta abhórrens, vitæ solitáriæ, et cœléstium rerum meditatióni júgiter incúbuit usque ad suum ad cœlum tránsitum, qui fuit quinto Idus Augústi. Romæ, etc.
20 Pisis beáti Guidi ex Comítibus de Gherardésca Confessóris Mónachi Camaldulénsis cœnóbii sancti Michaélis in Burgo, ac deinde Eremítæ, qui ex magna vitæ asperitáte ad sempitérnas delícias festinávit. Aquilæ, etc.
21 Sancti Felícis a Cantalício Confessóris, de quo ágitur quintódécimo Kaléndas Júnii. In Mauritánia, etc.
22 In pago Antisiodorénsi, etc. in M. B. pag. 310.
23 Sancti Joánnis Nepomucéni Mártyris, cujus festum decimoséptimo Kaléndas Júnii recólitur. Apud Língonas, etc.
24 In Statu ecclesiastico. Festum beátæ Maríæ Vírginis sub título Auxílium Christianórum. Antiochíæ, etc.
25 Salérni depositio, etc. in M. B. pag. 310.
26 Cantuáriæ in Anglia, etc. in M. B. pag. 310.
27 In Anglia depositio, etc. in M. B. pag. 310.
28 Sancti Bonifácii Papæ et Confessóris, de quo ágitur octávo Kaléndas Júnii. In Sardínia, etc.
29 Sancti Gennádii Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur octávo Kaléndas Júnii. Romæ, etc.

30 Sanctæ Maríæ Magdalénæ de Pazzis Vírginis, de qua ágitur octávo Kaléndas Júnii. Romæ, etc.

31 Sancti Philíppi Nérii Confessóris, de quo ágitur séptimo Kaléndas Júnii. Romæ, etc.

Feria quinta in Octava Corporis Christi.

Festum sacratíssimi Cordis Jesu.

## JUNIO.

1 In monastério Onniénsi, etc. in M. B. pag. 310.

2 In Statu ecclesiastico. Sanctæ Angelæ Meríci Vírginis, de qua ágitur prídie Kaléndas Júnii. Romæ, etc.

3 Sancti Bernardíni Senénsis Confessóris, de quo ágitur tertiodécimo Kaléndas Júnii. Arétii, etc.

5 In cœnóbio Fuldénsi, etc. in M. B. pag. 310.

12 Sancti Parísii Confessóris Ordinis Camalduléusis, qui admirábili continéntia, virtútibus máximis, innumerisque miráculis cláruit, cujus memória tértio Idus Júnii recólitur.

Romæ in Basílica Vaticána sancti Leónis Papæ Tértii, cui érutos ab ímpiis óculos, et præcísam linguam Deus mirabíliter restítuit. Salmánticæ, etc.

14 Córdubæ, etc. in M. B. pag. 311.

15 Sancti Joánnis a sancto Facúndo Confessóris, de quo ágitur prídie Idus Júnii. In Lucánia, etc.

16 Sancti Basílii Episcopi et Confessóris, atque Ecclésiæ Doctóris, de quo ágitur decimooctávo Kaléndas Júlii. Vesontióne, etc.

17 Sancti Leónis Papæ Tértii et Confessóris, de quo ágitur prídie Idus Júnii. Romæ, etc.

19 Ravénnæ natális sancti Patris nostri Romuáldi Abbátis, qui collápsam in Itália eremíticam disciplinam restítuit, ac mirífice propagávit.

Eódem die sancti Bonifácii Episcopi et Mártyris discípuli ejúsdem sancti Patris nostri Romuáldi, qui a Románo Pontífice ad prædicándum Evangélium in Rússiam missus, cum per ignem transísset illæsus, Regémque, ac pópulum baptizásset, a furénte Regis fratre necátus, optátam martyrii corónam accépit. Floréntiæ, etc.

20 Sancti Bonifácii Episcopi Ruthenórum, et Mártyris, discípuli sancti Patris nostri Romuáldi, cujus gloriósi martyrii memória prídie hujus diéi venerátur.

21.

Híspali in Hispánia sanctæ Florentínæ Vírginis, soróris sanctórum Leándri et Isidóri Episcopórum. Eódem die natális, etc.

22 Sanctæ Juliánæ Falconériæ Vírginis, de qua ágitur tertiodécimo Kaléndas Júlii. Apud Nolam, etc.

23 Vigília sancti Joánnis, etc. in M. B. pag. 511.

25 In território Guléti, etc. in M. B. pag. 511.

26 Octáva sancti Patris nostri Romuáldi Abbátis. Romæ, etc.

27 Sanctórum Joánnis et Pauli fratrum Mártyrum, de quorum glorióso martyrio ágitur prídie hujus diéi. In Galátia, etc.

# JULIO.

3 Apud Vicéntiam in monastério sanctæ Maríæ de Vangatícia sancti Theobáldi Confessóris Camaldulénsis, miraculórum glória illústris, qui Kaléndis Júlii ad cœléstia regna migrávit. Alexandríæ, etc.

5 In monastério sanctæ Maríæ de Serra prope Massátium Æsínæ diœcésis beáti Angeli Mónachi Camaldulénsis ab hæréticis interémpti. Romæ, etc.

7 In Saxónia, etc. in M. B. pag. 511.

8 Herbípoli in Germánia, etc. in M. B. pag. 511.

9 Sanctæ Elísabeth Regínæ Portugálliæ víduæ, de qua ágitur octávo Idus Július. Romæ, etc.

12 In monastério Passiniáno, etc. in M. B. pag. 511.

16 In cœnóbio Zobor apud Nítriam civitátem sanctórum Andréæ et Benedícti Confessórum Camaldulénsium. Eódem die festum, etc.

17 Romæ depositio, etc. in M. B. pag. 511.

20 Festum beátæ Maríæ Vírginis de monte Carmélo, de qua ágitur decimoséptimo Kaléndas Augústi. Eódem die sancti Hierónymi, etc.

21 Sancti Aléxii Confessóris, de quo ágitur sextodécimo Kaléndas Augústi. Romæ, etc.

24 Vigília sancti Jacóbi Apóstoli.

Eódem die sancti Hierónymi Æmiliáni Confessóris, de quo ágitur tertiodécimo Kaléndas Augústi. Tyri in Túscia, etc.

27 Faventiæ beáti Nevolóni Confessóris Abbátis Obláti Camaldulénsis, qui devotiónis stúdio aspérrimas peregrinatiónes non semel suscépit, ac tandem vigíliis, et labóribus fractus sancto fine quiévit. Nicomédiæ, etc.

30 Octáva sancti Apollináris Epíscopi et Mártyris. Romæ, etc.

# AUGUSTO.

4 Spalati in Dalmátia sancti Raynérii Archiepíscopi et Mártyris, Mónachi nostri ascetérii sanctæ Crucis Fontis Avellánæ, jamprídem Epíscopi Calliénsis, exinde ad Metropolitánam Ecclésiam Spalaténsem transláti, qui pro Ecclésiæ suæ bonórum defensióne a Sclavis lapídibus óbrutus est. Bonóniæ, etc.

6 In monte Thabor Transfigurátio Dómini nostri Jesu Christi.

Burgis in Hispánia, etc. in M. B. pag. 312.

9 Vigília sancti Lauréntii, etc. in M. B. pag. 312.

11 Sancti Domínici Confessóris fundatóris Ordinis Prædicatórum, cujus festum ágitur prídie Nonas Augústi. Romæ, etc.

13 Sancti Emídii Epíscopi et Mártyris, de quo Nonis Augústi. Romæ, etc.

16 In Gállia Narbonénsi apud montem Pessulánum depositio beáti Rochi Confessóris, qui multas Itáliæ urbes a morbo epidémiæ signo crucis liberávit: cujus corpus Venétias póstea translátum, et in Ecclésia ejus nómini consecráta honorificentíssime cónditum fuit. Cracóviæ, etc.

18 Sancti Hyacínthi Confessóris, cujus festum decimoséptimo Kaléndas Septémbris ágitur. Prænéste, etc.

19 In monastério sanctíssimi Salvatóris de Aquapagána Camerinénsis diœcésis beáti Angeli Confessóris Camalduléusis, qui morbi cruciátibus, diráque carnis maceratióne conféctus, pretiósam in conspéctu Dómini mortem oppétiit. Romæ, etc.

21 Senis in Túscia, etc. in M. B. pag. 312.

24 (Ubi celebratur Festum S. Bartholomæi die 25) Vigília sancti Bartholomæi Apóstoli.

Eódem die sanctæ Joánnæ Franciscæ Frémiot de Chantal víduæ, de qua ágitur duodécimo Kaléndas Septémbris. Carthágine, etc.

26 (Ubi celebratur Festum S. Bartholomæi die 24) Sanctæ Joánnæ Franciscæ Frémiot de Chantal víduæ, de qua ágitur duodécimo Kaléndas Septémbris. Romæ, etc.

30 Bonóniæ sancti Bonónii Abbátis, sancti Patris nostri Romuáldi discípuli. Romæ, etc.

# SEPTEMBRI.

1 Sanctæ Rosæ a sancta María Vírginis, cujus dies natális séptimo Kaléndas Septémbris recensétur. In província Narbonénsi, etc.

2 In monte Sorácte, etc. in M. B. pag. 312.

3 In monastério Avellanénsi sancti Albertíni Confessóris, ejúsdem cœnóbii Prióris, cujus sanctitátis famam plúribus sæculis a fidélium pietáte venerátam Pius Sextus Póntifex Máximus approbávit. Romæ, etc.

4 Vitérbii beátæ Rosæ Vírginis. In monte Nebo, etc.

6 Sancti Stéphani Hungáriæ Regis Confessóris, de quo ágitur quarto Nonas Septémbris. Eódem die Zacharíæ, etc.

7 Eugúbii sancti Joánnis a Laude ejúsdem urbis Epíscopi et Confessóris, ántea Avellanénsis monastérii Prióris, qui jejúniis, vigíliis, et omni vitæ austeritáte conféctus, ac miráculis clarus ad cœléstem pátriam migrávit. Nicomédiæ, etc.

16 Sanctórum Cornélii, etc. in M. B. pag. 313.

17 Córdubæ, etc. in M. B. pag. 313.

19 Putéolis in Campánia, etc. in M. B. pag. 313.

22 Festum sacrórum Stígmatum, etc. in M. B. pag. 313.

24 Festum beátæ Maríæ, etc. in M. B. pag. 313.

25 Sancti Gerárdi Sagrédo Epíscopi et Mártyris, de quo ágitur octávo Kaléndas Octóbris. In Castéllo, etc.

26 Sancti Thomæ a Villanóva, etc. in M. B. pag. 313.

# OCTOBRI.

5 MESSANÆ in Sicília, etc. in M. B. pag. 313.

7 Patávii sanctæ Justínæ, etc. in M. B. pag. 314.

Sabbato ante Dominicam secundam Octobris.

Festum sacratíssimi Cordis beátæ Maríæ Vírginis.

10 Ebóraci in Anglia, etc. in M. B. pag. 314.

11 Sancti Francísci Bórgiæ Confessóris, de quo ágitur sexto Idus Octóbris. Tharsi, etc.

15 Abulæ in Hispánia, etc. in M. B. pag. 314.

16 Apud Arbónam, etc. in M. B. pag. 314.

17 Prope castrum Frontális ad radíces montis Suavicini sancti Domínici Loricáti Confessóris Camalduiénsis, cujus vitam virtútibus gloriósam, et austeríssimo inaudítæ pœniténtiæ rigóre admirábilem sanctus Petrus Damiáni luculénter conscrípsit; ejus autem dies natális prídie Idus Octóbris recensétur. Antiochíæ, etc.

21 Sanctæ Hedwígis ducíssæ Polóniæ, de qua ágitur Idibus Octóbris. In Cypro, etc.

24 Festum sancti Raphaélis Archángeli. Venúsiæ, etc.

25 Saxoferráti depositio beáti Albérti Confessóris, qui collápsam regulárem disciplínam in monastério sanctæ Crucis de Tripúdio mirífice reparávit, cujus sacrum corpus in Ecclésia ejúsdem monastérii quiéscit, et venerátur. Romæ, etc.

30 Commemorátio, etc. in M. B. pag. 314.

## NOVEMBRI.

7 Bononiæ apud Septem Fontes beátæ Lúciæ Vírginis moniális Camalduléensis, quæ formam córporis ánimæ pulchritúdine longe súperans, sanctitátis laude, et miraculórum glória máxime fulsit, eíque cultum ab immemorábili témpore delátum Pius Sextus Póntifex Máximus rite probávit. Patávii, etc.

Sabbato ante Dominicam secundam Novembris.

Festum Patrocínii beátæ Maríæ Vírginis.

10 Neápoli in Campánia etc. in M. B. pag. 314.

12 Turiásone in Hispánia, etc. in M. B. pag. 314.

13 Festum ómnium Sanctórum, etc. in M. B. pag. 315.

14 Commemorátio, etc. in M. B. pag. 315.

15 In Polónia sanctórum Matthæi, Isaac et Christíni Mártyrum Ordinis Camalduléensis, quorum natális dies ágitur prídie Idus Novémbris. Eódem die natális sancti Eugénii, etc.

16 In Polónia sanctórum Joánnis et Benedicti Mártyrum Ordinis Camalduléensis, qui prídie Idus Novémbris martyrio coronáti sunt. In Africa, etc.

17 In Germánia, etc. in M. B. pag. 315.

18 Romæ dedicátio, etc. in M. B. pag. 315.

24 In monastério Bobiénsi, etc. in M. B. pag. 315.

26 Apud Fabriánum, etc. in M. B. pag. 315.

27 Sancti Oddónis Abbátis, de quo ágitur quartodécimo Kaléndas Decémbris. Antiochíæ, etc.

28 Sancti Gregórii Thaumatúrgi Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur quintodécimo Kaléndas Decémbris. Romæ, etc.

29 Vigília sancti Andréæ, etc. in M. B. pag. 315.

## DECEMBRI.

1 Sancti Martíni Papæ et Mártyris, de quo ágitur prídie Idus Novémbris. Eódem die Nahum, etc.

# INDEX

## SANCTORUM CAMALDULENSIUM

QUI IN MARTYROLOGIO ORDINIS CONTINENTUR.

# MARTYROLOGIUM SANCTORUM

CONGREGATIONIS

## VALLISUMBROSÆ

### ORDINIS S. BENEDICTI,

JUXTA DECR. S. R. C. 22. MARTII 1778, ET 12 SEPT. 1840

## JANUARIO.

10 In monastério Cuxanénsi natális sancti Petri Urséoli, etc. in Martyrologio Benedictino pag. 305.

12 In Anglia sancti Benedícti Abbátis cognoménto Biscópii. Romæ, etc.

14 Sancti Petri Urséoli Confessóris, de quo quarto Idus Januárii. Eódem die sancti Hilárii Epíscopi, etc.

15 In território Andegavénsi beáti Mauri, etc. in M. B. pag. 305.

19 Romæ sancti Agathónis Papæ, etc. in M. B. pag. 306.

20 Romæ ad catacúmbas, sancti Sebastiáni Mártyris, qui Diocletiáno Imperatóre, cum habéret principátum primæ cohórtis sub título Christianitátis, jussus est ligári in médio campo, et sagittári a milítibus atque ad últimum fústibus cædi, donec defíceret.

Ibídem natális sancti Fabiáni Papæ, qui témpore Décii martyrium passus, in cœmetério Callísti sepúltus est. Nicéæ, etc.

23 Jerosólymis Desponsátio beátæ Maríæ Vírginis.

Toléti sancti Ildefónsi Epíscopi, etc. in M. B. pag. 306.

28 Sancti Pauli primi Eremítæ, de quo décimo octávo Kaléndas Februárii. Romæ sanctæ Agnétis, etc.

30 Burgis in Hispánia sancti Adelélmi Abbátis, etc. in M. B. pag. 306.

## FEBRUARIO.

1 Apud castrum Florentínum in Etrúria beátæ Verdiánæ Vírginis reclúsæ nostri Ordinis Vallisumbrósæ.

In Scótia sanctæ Brígidæ Vírginis, quæ cum lignum altáris tetigisset in testimónium virginitátis suæ, statim víride factum est. Eódem die natális sancti Ignátii, etc.

2 Purificátio beátæ Maríæ Vírginis, etc. in M. B. pag. 306.

5 Sancti Ildefónsi Epíscopi et Confessóris, de quo décimo Kaléndas Februárii. Sebáste, etc.

6 Sancti Lauréntii Epíscopi et Confessóris, de quo quarto Nonas Februárii. Cæsaréæ, etc.

7 Sancti Romuáldi Abbátis, etc. in M. B. pag. 306.

8 In monastério Vallisumbrósæ beáti Petri Cardinális, et Epíscopi Albanénsis nostræ Congregatiónis Vallisumbrósæ órdinis sancti Benedícti cognoménto Ignei, quia per ignem illæsus transívit. Eódem die sancti Joánnis, etc.

9 (Ante Quadragesimam.) Octáva Purificatiónis beátæ Maríæ Vírginis. Alexandríæ, etc.

10 Apud montem Cassinum, etc. in M. B. pag. 306.

11 Beatórum Septem Fundatórum Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis. In Africa, etc.

12 Sancti Joánnis de Matha Confessóris, de quo sexto Idus Februárii. Barcinóne, etc.

13 Romæ sancti Gregórii Secúndi Papæ, etc. in M. B. pag. 306.

14 Sanctæ Brígidæ Vírginis, de qua Kaléndis Februárii. Romæ via Flamínia, etc.

15 (Ante Quadragesimam.) Octáva sancti Petri Ignei Epíscopi et Confessóris. Bríxiæ, etc.

17 Octáva sanctæ Scholásticæ Vírginis.

Floréntiæ beáti Aléxii Falconérii Confessóris, etc. ut in Martyrologio Romano. pag. 32. Romæ, etc.

18 Toléti in Hispánia sancti Helládii Epíscopi, etc. in M. B. pag. 307.

19 Sancti Fabiáni Papæ et Mártyris, de quo tertiodécimo Kaléndas Februárii. Romæ, etc.

20 Sancti Canúti Mártyris, de quo séptimo Idus Januárii. Tyri, etc.

21 Sancti Raymúndi de Pénnafort Confessóris, de quo décimo Kaléndas Februárii. In Sicília, etc.

25 Sancti Ignátii Epíscopi et Mártyris, de quo Kaléndis Februárii. In Ægypto, etc.

26 Sanctæ Martínæ Vírginis Mártyris, de qua tértio Kaléndas Februárii. Perge, etc.

27 Híspali in Hispánia natális sancti Leándri, etc. in M. B. pag. 307.

28 Beáti Aléxii Falconérii Confessóris, de quo tertiodécimo Kaléndas Mártii. Romæ, etc.

# MARTIO.

1 In monastério Cellæ Novæ, etc. in M. B. pag. 307.
Apud civitátem Werdam, etc. in M. B. pag. 307.
Bassáni in monastério Ordinis sancti Benedícti natális beátæ Joánnæ Maríæ Bonómi Vírginis, humilitáte, et miráculis claræ, cujus festus dies ágitur prídie Nonas Mártii. Romæ, etc.

2 Sancti Suitbérti Epíscopi et Confessóris, de quo Kaléndis Mártii. Romæ, etc.

3 Nonántulæ, etc. in M. B. pag. 308.
Bambérgæ, etc. in M. B. pag. 308.

5 Sanctæ Chunegúndis Vírginis, de qua quinto Nonas Mártii. Antiochíæ, etc.

6 Beátæ Maríæ Bonómi Vírginis, de qua Kaléndis Mártii. Nicomédiæ, etc.

8 In Navárra sancti Veremúndi Abbátis, etc. in M. B. pag. 308.

9 Romæ sanctæ Francíscæ, etc. in M. B. pag. 308.

11 Legióne in Hispánia sancti Vincéntii, etc. in M. B. pag. 308.
Córdubæ sancti Eulógii, etc. in M. B. pag. 308.

13 Legióne in Hispánia sancti Ramíri, etc. in M. B. pag. 308.

14 Sancti Joánnis de Deo Confessóris, de quo octávo Idus Mártii. Romæ, etc.

15 Sanctæ Margarítæ de Cortóna, de qua octávo Kaléndas Mártii. Cæsaréæ, etc.

16 Beáti Torélli Eremítæ, et Confessóris Ordinis nostri. Romæ, etc.

20 Sancti Hilárii Epíscopi et Confessóris, de quo nono Kaléndas Februárii. In Judæa, etc.

21 In monte Cassíno, etc. in M. B. pag. 308.

28 Octáva sancti Patris nostri Benedícti Abbátis. Cæsaréæ, etc.

# APRILI.

1 Commemoratio sacrórum Stígmatum sanctæ Catharínæ Senénsis Vírginis. Romæ, etc.

13 In monastério Vallis Rosárum, etc. in M. B. pag. 309.

14 Sancti Hermenegíldi Regis, et Mártyris, de quo Idibus Aprílis. Romæ, etc.

16 Paléntiæ, sancti Turíbii, etc. in M. B. pag. 309.

20 In monte Politiáno sanctæ Agnétis Vírginis Ordinis sancti Domínici, miráculis claræ. Romæ, etc.

21 Cantuáriæ in Anglia sancti Ansélmi, etc. in M. B. pag. 309.

24 In Anglia depositio sancti Mellíti, etc. in M. B. pag. 309.

26 Festum Apparitiónis speciósæ Imáginis beátæ Maríæ Vírginis de Bono Consílio. Romæ, etc.

27 Sancti Fidélis a Sigmarínga Mártyris, de quo octávo Kaléndas Maji. Nicomédiæ, etc.

28 Sanctórum Mártyrum Cleti et Marcellíni Pontíficum, de quibus sexto Kaléndas Maji. Ravénnæ, etc.

29 In monastério Molisménsi, etc. in M. B. pag. 309.

# MAJO.

11 Sancti Petri Mártyris, de quo tértio Kaléndas Maji. Romæ, etc.

16 Pragæ in Bohémia sancti Joánnis Nepomucéni, etc. in M. R. pag. 90. Eugúbii sancti Ubáldi, etc.

17 Apud Villam regálem in regno Valentíno sancti Paschális Ordinis Minórum, etc. in M. R. pag. 90. Pisis, etc.

22 Pistórii in Túscia sancti Attónis Epíscopi et Confessóris nostri Ordinis Vallisumbrósæ.

In pago Antisiodorénsi, etc. in M. B. pag. 310.

23 Beátæ Humilitátis víduæ, et Moniálium Ordinis nostri fundatrícis. Apud Língonas, etc.

24 In Statu ecclesiastico. Festum beátæ Maríæ Vírginis sub título Auxílium Christianórum. Antiochiæ etc.

25 Salérni depositio beáti Gregórii Papæ Séptimi Ordinis nostri, ecclesiásticæ libertátis propugnatóris, ac defensóris acérrimi.

Romæ sancti Bonifácii, etc. in M. B. pag. 310.

In Hispánia sancti Gennádii, etc. in M. B. pag. 310.

26 Cantuáriæ in Anglia sancti Augustíni, etc. in M. B. pag. 310.

27 In Anglia depositio, etc. in M. B. pag. 310.

28 Sancti Bonifácii Papæ et Confessóris, de quo octávo Kaléndas Júnii. In Sardinia, etc.

29 Sancti Gennádii Episcopi et Confessóris, de quo octávo Kaléndas Júnii. Romæ, etc.

30 Sanctæ Maríæ Magdalénæ de Pazzis Vírginis, de qua octávo Kaléndas Júnii. Romæ, etc.

31 Sancti Philíppi Nérii Confessóris, de quo séptimo Kaléndas Júnii. Romæ, etc.

# JUNIO.

1 In monastério Onniénsi, etc. in M. B. pag. 510.
2 Floréntiæ beátæ Humiliánæ de Cérchiis víduæ tértii Ordinis sancti Francísci, géneris nobilitáte, abstinéntia, ac miráculis conspícuæ, quæ obdormívit in Dómino quartodécimo Kaléndas Júnii. Romæ, etc.
3 Sancti Ubáldi Epíscopi et Confessóris, de quo decimoséptimo Kaléndas Júnii. Arétii, etc.
5 In cœnóbio Fuldénsi, etc. in M. B. pag. 510.
7 Sancti Románi Abbátis, de quo undécimo Kaléndas Júnii. Constantinópoli, etc.
12 Romæ in Basílica Vaticána, etc. in M. B. pag. 510.
14 Córdubæ sanctórum Mártyrum, etc. in M. B. pag. 511.
15 Sancti Joánnis a sancto Facúndo Confessóris, de quo prídie Idus Júnii. In Lucánia, etc.
16 Sancti Basílii Epíscopi Confessóris, atque Ecclésiæ Doctóris, de quo decimooctávo Kaléndas Július. Vesontióne, etc.
20 Hispali in Hispánia, etc. in M. B. pag. 511.
23 Vigília sancti Joánnis Baptistæ.
In Británnia, etc. in M. B. pag. 511.
25 In território Guléti, etc. in M. B. pag. 511.

# JULIO.

7 In Saxónia, etc. in M. B. pag. 511.
8 Herbípoli in Germánia, etc. in M. B. pag. 511.
9 Sanctæ Elisabeth Regínæ Portugálliæ, de qua octávo Idus Július. Romæ, etc.
12 In monastério Passiniáno prope Floréntiam sanctíssimi Patris nostri Joánnis Gualbérti Abbátis, institutóris nostri Ordinis Vallisumbrósæ. Medioláni, etc.
17 Romæ deposítio, etc. in M. B. pag. 511.
19 Octáva sancti Patris nostri Joánnis Gualbérti Abbátis. Eódem die sancti Vincéntii, etc.
27 Sancti Vincéntii a Paulo Confessóris, de quo quartodécimo Kaléndas Augústi. Nicomédiæ, etc.
30 Sancti Aléxii Confessóris, de quo sextodécimo Kaléndas Augústi. Romæ, etc.

## AUGUSTO.

2 Romæ in cœmetério Callísti sancti Stéphani, etc. ut in Mart. Rom. pag. 145. Nucériæ Paganórum sancti Alphónsi, etc.

6 In monte Thabor Transfigurátio Dómini nostri Jesu Christi. Burgis in Hispánia, etc. in M. B. pag. 312.

9 Vigília sancti Lauréntii Mártyris.

Eódem die sancti Stéphani, etc. in M. B. pag. 312.

11 Sancti Alphónsi de Ligório Epíscopi et Confessóris, de quo quarto Nonas Augústi. Romæ, etc.

16 In Gállia Narbonénsi apud montem Pessulánum depositío beáti Rochi Confessóris, qui multas Itáliæ urbes a morbo epidémiæ signo crucis liberávit; cujus corpus Venétias póstea translátum, et in Ecclésia ejus nómini consecráta honorificentíssime cónditum fuit. Cracóviæ, etc.

18 Sancti Hyacínthi Confessóris, de quo decimoséptimo Kaléndas Septémbris. Prænéste, etc.

21 Senis in Túscia beáti Bernárdi, etc. in M. B. pag. 312.

26 Sanctæ Joánnæ Franciscæ Frémiot, de qua duodécimo Kaléndas Septémbris. Romæ, etc.

## SEPTEMBRI.

2 In monte Sorácte sancti Nonnósi, etc. in M. B. pag. 312.

3 Sancti Stéphani Hungáriæ Regis Confessóris, de quo quarto Nonas Septémbris. Romæ, etc.

4 Vitérbii beátæ Rosæ Vírginis. In monte Nebo, etc.

16 Sanctórum Cornélii et Cypriáni, etc. in M. B. pag. 313.

In Anglia sanctæ Edithæ, etc. in M. B. pag. 313.

17 Commemorátio impressiónis, etc. in M. R. pag. 180.

Córdubæ sanctæ Colúmbæ Vírginis, etc. in M. B. pag. 313.

19 Putéolis in Campánia, etc. in M. B. pag. 313.

Cantuáriæ sancti Theodóri Epíscopi, etc. in M. B. pag. 313.

Barcinóne in Hispánia beátæ Maríæ de Cervellióne Vírginis Ordinis sanctæ Maríæ de Mercéde, quæ ob præstitam eam invocántibus opem María de Subsídio vulgo nuncupátur. Nucériæ, etc.

22 Sanctæ Colúmbæ Vírginis et Mártyris, de qua quintodécimo Kaléndas Octóbris. Sedúni in Gállia, etc.

24 Festum beátæ Maríæ Vírginis de Mercéde.

In Pannónia sancti Gerárdi, etc. in M. B. pag. 313.

25 Sancti Gerárdi Sagrédo Episcopi et Mártyris, de quo octávo Kaléndas Octóbris. In castéllo Emmaus, etc.

26 Sancti Thomæ a Villanóva Epíscopi et Confessóris cujus natális recólitur sexto Idus Septémbris. Nicomédiæ, etc.

# OCTOBRI.

1 Beatæ Mariæ de Cervellióne Virginis, de qua tertiodécimo Kaléndas Octóbris. Rhemis in Gállia, etc.

5 Messánæ in Sicília, etc. in M. B. pag. 313.

Eódem die sancti Attiláni Epíscopi Zamorénsis, quem Urbánus Secúndus in Sanctórum númerum rétulit. Item natális beáti Thraséæ, etc.

7 Patávii sanctæ Justínæ Vírginis et Mártyris, etc. in M. B. pag. 314.

10 In monastério Passiniáno Translátio sanctíssimi Patris nostri Joánnis Gualbérti Abbátis.

Eboráci in Anglia, etc. in M. B. pag. 314.

11 Sancti Francísci Bórgiæ Confessóris, de quo sexto Idus Octóbris. Tharsi in Cilícia, etc.

15 Abulæ in Hispánia sanctæ Therésiæ, etc. in M. B. pag. 314.

In Prússia sancti Brunónis, etc. in M. B. pag. 314.

In Germánia sanctæ Theclæ Abbatíssæ, etc. in M. B. pag. 314.

16 Apud Arbónam, etc. in M. B. pag. 314.

17 Octáva Translatiónis sancti Patris nostri Joánnis Gualbérti Abbátis. Antiochíæ natális sancti Herónis, etc.

21 Sancti Paulíni Epíscopi et Confessóris, de quo sexto Idus Octóbris. In Cypro, etc.

22 Sanctæ Hedwígis víduæ, ducíssæ Polóniæ quæ Idibus Octóbris obdormívit in Dómino. Jerosólymis, etc.

24 Festum sancti Raphaélis Archángeli. Venúsiæ, etc.

25 In Etrúria sanctórum Crisci, Omniónis, et Emptii, qui tempóribus Décii Imperatóris martyrio coronáti sunt. Romæ sanctórum Mártyrum Chrysánthi, etc.

30 Commemorátio, etc. in M. B. pag. 314.

# NOVEMBRI.

9 Beryti in Syria, etc. ut in Martyrologio Romano pag. 218.

10 Neápoli in Campánia, etc. in M. B. pag. 314.

Eódem die natális sanctórum Mártyrum Thryphónis, Respicii, ac Nymphæ Vírginis.

In Anglia sancti Justi Epíscopi, qui una cum Augustíno, etc. in M. B. pag. 314. In território Agathénsi, etc.

12 Turiásone, etc. in M. B. pag. 314.

13 Festum ómnium Sanctórum, etc. in M. B. pag. 315.

14 Commemorátio ómnium Defunctórum Ordinis nostri, etc. in M. B. pag. 315.

Eódem die sancti Justi Epíscopi et Confessóris, de quo quarto Idus Novémbris. Herácleæ, etc.

15 Sancti Martíni Papæ et Mártyris, de quo prídie Idus Novémbris. Eódem die natális sancti Eugénii, etc.

16 Sancti Dídaci Confessóris, de quo Idibus Novémbris. In Africa, etc.

17 In Germánia sanctæ Gertrúdis, etc. in M. B. pag. 315.

18 Romæ Dedicátio, etc. in M. B. pag. 315.

Turónis tránsitus, etc. in M. B. pag. 315.

24 In monastério Bobiénsi, etc. in M. B. pag. 315.

I bédæ, etc. in M. B. pag. 315.

26 Apud Fabriánum, etc. in M. B. pag. 315.

27 Sancti Oddónis Abbátis, de quo quartodécimo Kaléndas Decémbris. Antiochíæ, etc.

28 Sancti Gregórii Thaumatúrgi Epíscopi et Confessóris, de quo quintodécimo Kaléndas Decémbris. Romæ sancti Rufi, etc.

29 Vigília sancti Andréæ Apóstoli.

Eódem die natális sancti Joánnis a Cruce Confessóris, cujus memória decimonóno Kaléndas Januárii recensétur. Romæ, etc.

# DECEMBRI.

1. DEDICATIO Basílicæ sanctíssimi Salvatóris, de qua quinto Idus Novémbris. Eódem die Nahum Prophétæ, etc.

4 Parmæ sancti Bernárdi Cardinális, et ejúsdem civitátis Epíscopi, nostræ Congregatiónis Vallisumbrósæ Ordinis sancti Benedicti. Eódem die sancti Petri, etc.

5 Sancti Petri Chrysólogi Epíscopi et Confessóris, de quo prídie Nonas Decémbris. Mútalæ, etc.

11 Octáva sancti Bernárdi Epíscopi et Confessóris Ordinis nostri. Romæ, etc.

12 Sancti Dámasi Papæ et Confessóris, de quo tértio Idus Decémbris. Romæ sancti Synésii, etc.

14 In Hispánia sancti Domínici Abbátis Siléncis, de quo tertiodécimo Kaléndas Januárii. Alexandríæ, etc.

# FESTA MOBILIA.

Feria quinta post Dominicam secundam Quadragesimæ.

**Festum sacræ Spíneæ Corónæ Dómini nostri Jesu Christi.**

Feria quinta post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

**Commemorátio sacrórum Quinque Vúlnerum Dómini nostri Jesu Christi.**

Feria quinta post Dominicam quartam Quadragesimæ.

**Festum pretiosíssimi Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi.**

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pascha.

**Festum Patrocínii sancti Joseph Sponsi beátæ Maríæ Vírginis.**

Feria quinta in Octava Corporis Christi.

**Festum sacratíssimi Cordis Jesu.**

Sabbato ante Dominicam tertiam Julii.

**Festum sanctíssimi Redemptóris nostri Jesu Christi.**

Sabbato ante Dominicam secundam Octobris.

**Festum Maternitátis beátæ Maríæ Vírginis.**

Sabbato ante Dominicam tertiam Octobris.

**Festum Puritátis beátæ Maríæ Vírginis.**

Sabbato ante Dominicam tertiam Novembris.

**Festum Patrocinii beátæ Maríæ Vírginis.**

# LECTIONES PROPRIÆ
## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In Festo Coronæ Spineæ D. N. J. C.
Lectio.

In die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, et sertum exultatiónis resíduo pópuli sui. Tu autem Dómine miserére nobis.
℟. Deo grátias.

In Festo Quinque Vulnerum D. N. J. C.
Lectio.

Tradidit Christus in mortem ánimam suam, et cum sceleràtis reputátus est; et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit. Tu autem, etc.

In Festo pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.
Lectio.

Accipiens Moyses sánguinem vitulórum, et hircórum, cum aqua, et lana coccínea, et hyssópo, ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit, dicens : Hic sanguis testaménti, quod mandávit ad vos Deus. Tu autem, etc.

In Festo Patrocinii S. Joseph.
Lectio.

Filius accréscens Joseph, fílius accréscens, et decórus aspéctu : fíliæ discurrérunt super murum. Tu autem, etc.

In Festo SS. Cordis Jesu.
Lectio.

Cantate Dómino, quóniam mirífice fecit, annuntiáte hoc in univérsa terra. Exúlta, et lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tui sanctus Israel. Tu autem, etc.

In Festo SS. Redemptoris.
Lectio.

Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam et honórem, et virtútem : quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo

ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne, et fecisti nos Deo nostro regnum. Tu autem, etc.

In Festo S. P. N. Benedicti Abbatis.
Lectio.

Quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso. Quasi oliva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens. Et circa illum coróna fratrum : quasi plantátio cedri in monte Libano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, et omnes fílii Aaron in glória sua. Tu autem, etc.

In Festo S. P. N. Joannis Gualberti Abbatis.
Lectio.

Hoc est mandátum ejus, ut credámus in nómine Filii ejus Jesu Christi, et diligámus altérutrum, sicut dedit mandátum nobis; et qui servat mandáta ejus in illo manet, et ipse in eo. Tu autem, etc.

In Festo Sanctorum, quorum reliquiæ sunt in Ecclesiis Ordinis nostri. Lectio.

Quis est, qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? Sed et si quid patimini propter justítiam, beáti. Tu autem, etc.

In Festo omnium SS. Monachorum.
Lectio.

Filii eórum propter illos usque in ætérnum manent : semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Tu autem, etc.

In Festo S. Gertrudis Virginis.
Lectio.

Surge, amica mea, speciósa mea, et veni : colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ : osténde mihi fáciem tuam : sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Tu autem, etc.

In Festo S. Bernardi Episcopi et Confessoris.
Lectio.

Exite de médio eórum, et separámini, dicit Dóminus, et immúndum ne tetigéritis; et ego recípiam vos, et ero vobis in Patrem, et vos éritis mihi in filios, et filias, dicit Dóminus omnípotens. Tu autem, etc.

# INDEX MARTYROLOGII

## CONGREGATIONIS VALLISUMBROSÆ

IN QUO ANNOTANTUR TANTUM FESTA PROPRIA IPSIUS CONGREGATIONIS, NAM RELIQUA PROSTANT IN INDICE MARTYROLOGII ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

# MARTYROLOGIUM SANCTORUM

PRO OMNIBUS MONACHIS UTRIUSQUE SEXUS

## TOTIUS ORDINIS CISTERCIENSIS

MONASTICO AC ROMANO RITUI ACCOMMODATUM.

## JANUARIO.

14 In cœnóbio beátæ Maríæ de Alpibus apud Allóbroges, sancti Guaríni, ex discípulo beatíssimi Patris Bernárdi, et ejúsdem monastérii Abbáte, Epíscopi Sedunénsis, de quo idem Doctor mellífluus scribit, quod bonus odor Christi in omni loco factus, tamquam sol Alpénsem Congregatiónem illústrem ubíque réddidit, et auctóre Deo, ad altiórem gradum evéctus est. Nolæ in Campánia, etc.

15 In território Andegavénsi beáti Mauri Abbátis discípuli sancti Patris Benedícti, cujus disciplínis ab infántia erudítus, quantum in eis profécerit, inter ália, quæ apud eum pósitus gessit (res nova, et post beatíssimum Petrum Apostolórum Príncipem penes inusitáta), pédibus super aquas incédens patefécit. In Gállias inde ab eo diréctus, constrúcto ibi célebri monastério, cui quadragínta annis præfuit, miraculórum glória clarus in pace quiévit. Eódem die sancti Pauli, etc.

19 Sancti Agathónis Confessóris, qui adhuc mónachus Ordinis sancti Benedícti, virtútibus, et miráculis ádeo célebris éxtitit, ut Thaumatúrgi nomen adéptus fúerit. Hic ad suprémæ Cáthedræ majestátem assúmptus, sexta Synodo generáli coácta, Monothelitárum hæresim damnávit, de Romána Sede immortáliter proméruit, commendatóque sacrárum Imáginum cultu, cœlitum honórem intrépide asséruit, iisque gloriosíssime quarto Idus Januárii adjúngi méruit. Eódem die sancti Canúti, etc.

23 Jerosólymis Desponsátio beatíssimæ Vírginis Maríæ cum Patriárcha sancto Joseph. Romæ sanctæ Emerentiánæ, etc.

26 Cistércii in Gállia sancti Albérici, secúndi Abbátis ejúsdem archicœnóbii, qui cum beátis Robérto et Stéphano Cisterciénsem Ordinem sub beatíssimæ Vírginis Maríæ título, et patrocínio constítuit, a qua étiam vicíssim albam cucúllam sanctus Pater accépit, et clarus miráculis beáto fine quiévit. Smyrnæ, etc.

28 Lausánnæ sancti Amedéi primum Abbátis Altæcúmbæ Ordinis Cisterciénsis, deínde Epíscopi ejúsdem civitátis, pietáte, et eruditióne illústris, ac beatíssimæ Deíparæ cultóris exímii. Romæ, etc.

30 In monastério Claræballénsi sancti Gerárdi Confessóris, beatíssimi Patris Bernárdi fratris germáni, et ejúsdem cœnóbii Cellerárii, cœléstibus charismátibus reférti. Romæ, etc.

# FEBRUARIO.

3 Sancti Pauli primi Eremítæ, qui decimooctávo Kaléndas Februárii recólitur. Sebáste, etc.

6 Apud Bitúricas sancti Guliélmi Abbátis Karolócii Ordinis Cisterciénsis, deínde Archiepíscopi Bituricénsium, quem vitæ sanctitáte et miraculórum glória egrégium, Honórius Tértius Póntifex Máximus Sanctórum albo adscrípsit, eúmque univérsitas Parisiénsis sibi Patrónum adoptávit. Cæsaréæ, etc.

9 Sancti Petri Urséoli Confessóris ántea Venetiárum ducis, deinde Ordinis sancti Benedícti, pietáte, et virtútibus clari, qui in monastério Cuxanénsi quarto Idus Januárii migrávit in cœlum; cujus memória recólitur decimonóno Kaléndas Februárii. Alexandríæ natális, etc.

10 Apud montem Cassinum sanctæ Scholásticæ Vírginis, soróris sancti Patris Benedícti, qui ejus ánimam instar colúmbæ migrántem e córpore in cœlum ascéndere vidit, et hymnis ac laúdibus Deo grátias reddens, ejúsque óbitum frátribus denúntians, illos prótinus misit, ut ejus corpus ad monastérium deférrent, atque in sepúlchro, quod ipsi sibi paráverat, pónerent: quo facto cóntigit, ut quorum una semper mens in Deo fúerat, eórum quoque córpora nec sepultúra separáret. Romæ, etc.

12 In Burgúndia in monastério Sanctimoniálium Benedictinárum Juléy, sanctæ Humbelínæ soróris germánæ beatíssimi Patris Bernárdi, per quem a sæculi vanitátibus, et delíciis mirabíliter convérsa, et in dies charísmata melióra æmuláta, sancte in Dómino obdormívit, miris præcedéntibus, et subsequéntibus signis. Barcinóne, etc.

13 Sancti Gregórii Confessóris, ex húmili Mónacho Ordinis sancti Benedícti, Pontíficis Máximi hujus nóminis secúndi, qui Leónis Isaúrici impietáti acérrime réstitit, et sanctum Bonifácium ejúsdem institúti Epíscopum, et Mártyrem ad prædicándum Evangélium in Germániam misit, cujus si scripta extárent, resque ab eo gestæ diligéntius tábulis mandátæ essent, beáto Gregório Magno haud minor æstimarétur. Antiochíæ, etc.

14 Beáti Corrádi Bávari, qui terrenórum afféctibus calcátis, monásticam vitam sub divi Bernárdi disciplína in Claræyallénse cœnóbio profésssus est; ac tandem prope Bárium in Apúlia, et Medunéum supérnis desidériis accénsus decimoséxto Kaléndas Aprilis ad cœléstia regna gloriósus migrávit. Romæ via Flamínia, etc.

15 Sancti Ildefónsi Epíscopi Toletáni, cujus memória décimo Kaléndas Februárii ágitur. Brixiæ, etc.

17 Octáva sanctæ Scholásticæ Vírginis. Romæ, etc.

18 Sancti Hilárii Episcopi Confessóris, de quo decimonóno Kaléndas Februárii ágitur.

Item Anniversárium solémne pro Epíscopis, Abbátibus, et áliis superióribus Ordinis Cisterciénsis defúnctis. Jerosólymis, etc.

19 In monastério Cámeræ beátæ Maríæ apud Bruxéllas sancti Bonifácii Epíscopi Lausannénsis, qui strénue propugnáta Ecclésiæ libertáte advérsus Fridericum Imperatórem, in eódem cœnóbio hábitum Ordinis Cisterciénsis índuit, et miráculis præstans in cœlum evolávit. Romæ, etc.

20 Sancti Canúti Regis et Mártyris, de quo ágitur séptimo Idus Januárii, et quartodécimo Kaléndas Februárii. Tyri, etc.

21 Sancti Raymúndi de Pénnafort Confessóris, de quo ágitur décimo Kaléndas Februárii. In Sicília, etc.

In anno Bissextili quando festum sancti Matthiæ Apostoli impeditur a Dominica privilegiata, vel ab alio majoris dignitatis, vel ritus, die 26. tanquam propria, primo loco legitur: Festum sancti Matthiæ Apóstoli.

25 Sancti Polycárpi Epíscopi, et Mártyris, cujus natális ágitur séptimo Kaléndas Februárii. In Ægypto, etc.

26 Sanctæ Martínæ Vírginis Mártyris, cujus célebris memória tértio Kaléndas Februárii recólitur. Perge in Pamphília, etc.

27 Híspali in Hispánia natális sancti Leándri, ex monastério Benedictino Legionénsi sancti Claúdii, ad ejúsdem civitátis Cáthedram evécti, cujus prædicatióne et indústria Visigothórum gens, adjuvánte Reccarédo eórum Rege, ab Ariána impietáte ad cathólicam fidem convérsa est. Romæ, etc.

28 Sanctæ Margarítæ de Cortóna Tértii Ordinis sancti Francísci, de qua ágitur octávo Kaléndas Mártii. Romæ, etc.

## MARTIO.

1 Apud civitátem Werdam sancti Suitbérti Epíscopi Trajecténsis, qui in Bearménsi cœnóbio hábitum beáti Patris Benedícti assúmpsit, et témpore sancti Sérgii Papæ apud Frisónes, Bátavos, et álios

Germániæ pópulos Evangélium prædicávit, plures mórtuos ad vitam excitávit, et a sancto Leóne Tértio Románo Pontífice solémni ritu in Sanctórum númerum relátus est. Romæ, etc.

2 In Anglia sancti Ælrédi Abbátis Rieváll's Ordinis Cisterciénsis, qui sacrárum litterárum sciéntia, morum integritáte, sui ipsíus contémptu, mira patiéntia, spíritu prophético, cœlésti conversatióne, et ingéntibus miráculis célebris, prídie Idus Januárii e vita migrávit. Romæ, etc.

3 Nonántulæ in fínibus Æmíliæ sancti Anselmi illíus monastérii fundatóris, qui monásticam disciplínam non tam reguláribus præcéptis, quam virtútum exercitatióne promóvit. Cæsaréæ, etc.

5 In Gállia Narbonénsi óppido sancti Ægídii, pássio sancti Petri de Castronóvo mónachi Cisterciénsis, et primi advérsus hæréticam pravitátem auctoritáte apostólica Inquisitóris, qui gloriósi sui sánguinis púrpura tantum munus primus insignívit, et consecrávit. Antiochíæ, etc.

6 Sanctæ Chunegúndis Augústæ, quæ sancto Henríco Primo Imperatóri nupta, virginitátem (ipso annuénte) servávit, eodémque defúncto, in cœnóbio Confugiénsi sanctíssimi Patris Benedícti cucúllum índuit, et bonórum óperum méritis cumuláta quinto Nonas Mártii Bambérgæ beáto fine quiévit, et post mortem multis miráculis cláruit. Nicomédiæ, etc.

8 In monastério Claravallénsi sancti Gerárdi, qui sextus ejúsdem cœnóbii Abbas, et primus Martyr ex Ordine Cisterciénsium, pro religiónis zelo, et justítiæ conservatióne immániter interémptus, insígnibus post mortem miráculis cláruit. Granátæ, etc.

11 Apud Lemóvicos in monastério de Obazína sancti Stéphani, primi ibídem Abbátis, et complúrium cœnobiórum fundatóris, qui se súaque ómnia Superióribus Ordinis Cisterciénsis subjíciens, plúrimis virtútibus et signis effúlsit. Carthágine, etc.

12 Romæ sancti Gregórii Papæ, et Ecclésiæ Doctóris exímii, qui ob res præcláre gestas, atque Anglos ad Christi fidem convérsos, cognoménto Magnus, et Anglórum Apóstolus appellátur. Hic adhuc adoléscens sex monastéria sub régula sancti Patris Benedícti in Sicília, et séptimum Romæ sub sancti Andréæ nómine ædificávit, in quo ipse monásticam vitam proféssus, abbatiáli dignitáte prælúxit. Item Romæ, etc.

13 Apud Segúsium in Subalpínis sancti Heldrádi Abbátis Novalítii Ordinis sancti Benedícti, exímiis méritis, et egrégia vitæ sanctitáte conspícui, cujus sacra ossa spléndido frequéntium miraculórum testimónio decorántur. Nicomédiæ, etc.

14 In diœcési Cracoviénsi beáti Vincéntii Kádlubek de Rosis ejúsdem civitátis Epíscopi, qui sprétis sæculi pompis ad cœnóbium Androviénse Cisterciénsis Ordinis convolávit, ibíque regulári observántia,

jejúniis, humilitáte, et cœléstium rerum contemplatióne prælúcens plenus diérum et óperum, pretiósam in conspéctu Dómini mortem obívit octávo Idus Mártii. Romæ, etc.

15 Toléti in monastério montis Sion Cisterciénsium, sancti Raymúndi Abbátis de Fitéro, inclyti Ordinis militáris de Calatráva institutóris, pátriæ liberatóris, ac rei Christiánæ propugnatóris invícti, qui Kaléndis Februárii ad Dóminum migrávit, plúrimis post mortem miráculis illústris. Cæsaréæ, etc.

16 Sancti Joánnis de Deo Confessóris, qui octávo Idus Mártii migrávit in cœlum. Romæ, etc.

21 In monte Cassino natális beatíssimi Patriárchæ Benedicti, qui Monachórum disciplínam in Occidénte pene collápsam, cóndita, quam a Deo accéperat, régula, restítuit, ac miríſice propagávit; et teste sancto Gregório Papa, qui ejus vitam virtútibus ac miráculis refértam conscrípsit, ómnium Sanctórum spíritu plenus, innúmeros cœlo fílios, Géntium Apóstolos, Ecclésiæ Epíscopos et Patres progénuit; atque inexplicábili meritórum cum magnitúdine, tum multitúdine totum orbem implévit. Alexandríæ etc.

Quando Annuntiatio B. M. V. occurrit in Dominica, vel impeditur a festo majoris ritus, tunc in sequentem diem 26 tanquam propriam. Festum transfertur, ac die præcedenti, primo loco legitur : **Festum Annuntiatiónis beatíssimæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ.** Si vero occurrat eo tempore, quod a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis protenditur, tunc in ipsa Dominica in Albis, pro sequenti feria secunda tanquam die propria, primo loco legitur : **Festum Annuntiatiónis, etc.**

28 Octáva beatíssimi Patriárchæ Benedícti Abbátis. Cæsaréæ in Palæstína, etc.

Feria quinta ante Dominicam Passionis primo loco legitur : **Solémnitas Corónæ Spíneæ Dómini nostri Jesu Christi. Hæc per sanctum Hugónem Abbátem Bonæválllis in Ordine Cisterciénsi, præcedénte ingénti miráculo institúta est, atque magno piórum plausu per univérsam fere Gálliam, Ecclésias, ac Reguláres famílias propagáta.**

Feria quinta post Dominicam Passionis.

**Festum Septem Dolórum beátæ Maríæ Vírginis.**

## APRILI.

1 In monastério Bonævállis Vesontionénsis diœcésis, sancti Hugónis Abbátis Ordinis Cisterciénsis, verbo, et vitæ exémplo, ac spíritu prophético clari, qui Octaviáno Antipápæ fórtiter réstitit, et pacem

inter Alexándrum Papam Tértium, et Fridericum Primum Imperatórem mirabíliter conciliávit. Romæ, etc.

4 Híspali in Hispánia sancti Isidóri, ex mónacho Ordinis sancti Benedícti, ejúsdem civitátis Epíscopi, sanctitáte ac doctrína conspícui, qui zelo cathólicæ fídei, et observántia ecclesiásticæ disciplínæ Hispánias illustrávit. Thessaloníçæ, etc.

5 In cœnóbio Villariénsi Ordinis Cisterciénsis in Brabántia, sanctæ Juliánæ Vírginis Corneliénsis, quæ divínis revelatiónibus illustráta, festum sacratíssimi Córporis Christi institui curávit, et post multos labóres, diutúrnum exílium, et gravíssimas ærúmnas, méritis, miráculis, spíritu prophético, et supérnis consolatiónibus decoráta migrávit ad Sponsum. Venétiæ, etc.

6 Sancti Vincéntii Ferrérii Confessóris, cujus natális fuit prídie hujus diéi. Romæ, etc.

13 In cœnóbio Vallis Rosárum Ordinis Cisterciénsis prope Mechlíniam, beátæ Idæ de Lovánio Vírginis, donis cœléstibus cumulátæ, cui Christus Dóminus in præcípui amóris arguméntum, quinque Vúlnerum suórum sacra signácula visibíliter impréssit. Híspali, etc.

14 Sancti Hermenegíldi Mártyris, cujus memória prídie hujus diéi recólitur. Romæ, etc.

17 Cistércii in Gállia sancti Stéphani, ejúsdem archicœnóbii tértii Abbátis, qui egregiárum virtútum títulis, et miraculórum grátia ita præfúlgens, ut inter splendidióra univérsi Ordinis sídera mérito recenseátur, erémum Cisterciénsem primus incóluit, et sanctum Patrem Bernárdum cum Sóciis ad se veniéntem lætus excépit. Romæ, etc.

21 Cantuáriæ sancti Ansélmi Confessóris et Doctóris, sanctitáte et doctrína conspícui, qui primum régulam sancti Patris Benedícti proféssus, deínde Archiepíscopus et Angliæ Primas renuntiátus, uti sol inter majóra sui témporis Ecclésiæ sídera orbem univérsum illustrávit. In Pérside, etc.

27 Placéntiæ in Itália sanctæ Franchæ Vírginis, Ordinis Cisterciénsis, quæ vita, sanctitáte, et miráculis conspícua, séptimo Kaléndas Maji migrávit ad Sponsum. Nicomédiæ, etc.

29 In monastério Molisménsi sancti Patris Robérti, archicœnóbii Cisterciénsis primi Abbátis, et ejúsdem Ordinis institutóris sub régula sancti Patris Benedícti, admirándæ sanctitátis viri, qui in vita et post mortem plúrimis miráculis commendátur. Medioláni, etc.

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pascha.

Festum sancti Joseph Confessóris Sponsi beátæ Maríæ Vírginis.

# MAJO.

3 Jerosolymis Invéntio sacrosánctæ Crucis Domínicæ, sub Constantíno Magno Imperatóre, cujus pars a sancta Hélena ejus matre Romam deláta, cum título, ac insigniòribus Domínicæ Passiónis instruméntis, in Basílica sanctæ Crucis ad Jerúsalem honorífice repósita fuit, ubi præcípua fidélium veneratióne cólitur. Romæ, etc.

11 In cœnóbio Bellævállis Bisuntínæ diœcésis, sancti Petri Ordinis Cisterciénsis, qui, ex Abbáte Stamediénsis monastérii intra Sabaúdiam, Archiepíscopus Tarentasiénsis, omni virtútum génere cumulátus decimooctávo Kaléndas Octóbris migrávit in cœlum. Romæ, etc.

13 Sancti Petri Mártyris, cujus natális fuit tértio Kaléndas Maji. Romæ, etc.

21 Sancti Felícis Confessóris, qui quintodécimo Kaléndas Júnii migrávit in cœlum.

Item Anniversárium solémne pro cunctis Reguláribus ex Cisterciénsi Ordine defúnctis. In Mauritánia, etc.

22 In pago Antisiodorénsi sancti Románi Abbátis, qui beáto Patriárchæ Benedicto ministrávit in specu; moxque in Gállias proficiscens, ædificáto monastério, ejúsdem ínclyti legislatóris fama et instítútis longe latéque propagátis, relíctis tandem multis sanctitátis alúmnis, quiévit in Dómino. Romæ, etc.

23 Sancti Joánnis Nepomucéni Metropolitánæ Ecclésiæ Pragénsis Canónici, qui decimoséptimo Kaléndas Júnii Martyr occúbuit. Apud Lingonas, etc.

24 Festum beátæ Maríæ Vírginis sub specióso título Auxílii Christianórum a Pio Séptimo Pontífice Máximo invéctum, ac in toto ecclesiástico Statu quotánnis celebrándum indíctum. Antiochíæ, etc.

25 Salérni deposítio sancti Gregórii, ex mónacho Cluniacénsi Ordinis sancti Benedícti, hujus nóminis Papæ séptimi, ecclesiásticæ libertátis propugnatóris ac defensóris acérrimi, qui virtútibus ac miráculis clarus summa fidélium admiratióne cólitur. Floréntiæ, etc.

26 Cantuáriæ in Anglia sancti Augustíni Epíscopi, qui illuc una cum áliis mónachis Ordinis sancti Benedícti a beáto Gregório Papa missus, genti Anglórum Christi Evangélium prædicávit, ibíque magnus Angliæ Apóstolus et Primas, virtútibus et miráculis gloriósus obdormívit in Dómino. Romæ, etc.

28 Sancti Bonifácii Confessóris, ex mónacho Benedictino sancti

Sebastiáni ad catacúmbas extra Urbem, Pontíficis Máximi hujus nóminis Quarti, de univérsa Ecclésia óptime mériti, qui Pántheon in honórem beátæ Maríæ ad Mártyres dedicávit, de quo ágitur octávo Kaléndas Június. In Sardínia, etc.

29 Sancti Philíppi Nérii Confessóris, qui séptimo Kaléndas Június migrávit in cœlum. Romæ, etc.

31 Bríxiæ sanctæ Angelæ Meríci Vírginis Moniálium sanctæ Ursulæ institutrícis, de qua sexto Kaléndas Februárii. Romæ, etc.

Feria quinta in Octava Corporis Christi.

Festum sacratíssimi Cordis Jesu.

# JUNIO.

1 In Hispánia pássio sanctórum Mártyrum Bernárdi Mónachi, et sorórum ejus Maríæ et Grátiæ, Ordinis Cisterciénsis. Romæ, etc.

5 Sancti Bonifácii Epíscopi Moguntíni, qui documéntis régulæ sancti Patris Benedícti óptime imbútus, ex Anglia Romam véniens, et a beáto Gregório Secúndo in Germániam missus, ut fidem Christi illis géntibus evangelizáret, cum máximam multitúdinem, præsértim Frisónum, ad Christiánam religiónem perduxísset, Germanórum Apóstolus méruit appellári; novíssime in Frísia a furéntibus Gentílibus gládio perémptus, martýrium consummávit cum Eobáno, et quibúsdam áliis ipsíus Ordinis servis Dei. In Ægypto, etc.

7 Apud Novum-monastérium in Anglia sancti Robérti Ordinis Cisterciénsis, primi ejúsdem cœnóbii Abbátis et fundatóris, angélicæ puritátis viri, et crebris miráculis illústris, cujus ánimam in spécie globi ígnei in cœlum deférri beátus Godrícus Anachoréta Cisterciénsis, qui illi fúerat a confessiónibus, suspícere méruit. Constantinópoli, etc.

12 Romæ sancti Leónis Papæ Tértii, pridem ex Ordine sancti Benedícti, sublímibus in Ecclésiam univérsam méritis præstantíssimi, cui érutos ab ímpiis óculos, et præcísam linguam Deus mirabíliter restítuit. Salmánticæ, etc.

13 Cámeræ in Brabántia, in monastério beátæ Maríæ Ordinis Cisterciénsis, sanctæ Aléidis Vírginis, stupénda sanctitáte, et admirándis prodígiis claræ, quæ tértio Idus Június migrávit ad Sponsum. In Lucánia, etc.

16 Aquiríæ in Brabántia sanctæ Lutgárdis Vírginis, Ordinis Cisterciénsis, quæ ómnium virtútum laude, dum víveret, flóruit; post óbitum vero insígnibus miráculis cláruit. Vesontióne in Gálliis, etc.

17 Sancti Joánnis a sancto Facúndo Confessóris, qui prídie Idus Június migrávit in cœlum. Romæ, etc.

18 Schonaúgiæ sanctæ Elísabeth Vírginis, monásticæ vitæ observántia, et cœléstibus revelatiónibus celebérrimæ. Romæ, etc.

25 In território Guléti prope Nuscum sancti Guliélmi Confessóris, Patris Eremitárum montis Vírginis, sub régula sancti Patriárchæ Benedicti. Apud Berœam, etc.

# JULIO.

2 Visitatio beátæ Maríæ Vírginis ad Elísabeth, cujus Offício et Missæ per Octávam interveniéntibus, Urbánus Papa Sextus indulgéntias perpétuo concéssit, quas Bonifácius Nonus confirmávit. Romæ, etc.

7 In Saxónia sancti Willebáldi, ex mónacho sancti Benedícti primi Eisteténsis Epíscopi, qui una cum sancto Bonifácio labórans in Evangélio, multas gentes convértit ad Christum, admirándis in vita et post mortem prodígiis a Deo illustrátus. Romæ, etc.

8 In território Parisiénsi sancti Theobáldi Abbátis Vállium Cernái, Ordinis Cisterciénsis, humilitáte, pietáte erga beatíssimam Deíparam, vigíliis, jejúniis, et ingéntibus miráculis gloriósi; ex quibus illud memorábile fertur, quod sanctus Ludovícus Nonus Francórum Rex, ejus apud Deum intervéntu, prolem pene insperátam obtinúerit. In Asia, etc.

9 Octáva Visitatiónis beátæ Vírginis Maríæ. Romæ, etc.

11 Sanctæ Elisabeth víduæ, Lusitániæ Regínæ, cujus memória octávo Idus Július recólitur. Romæ, etc.

15 Beátæ sancti Balduíni discípuli sancti Patris Bernárdi, ab eódem speciáli prærogativa charitátis dilécti, et cœnóbio sancti Pastóris præfécti, qui post édita consummátæ virtútis arguménta quamplúrima, in cathedráli Ecclésia Reatína honorífice sepúltus, in illíus urbis Patrónum præcípuum eléctus est. Bambérgæ, etc.

17 Romæ sancti Leónis, ex mónacho Benedictino Pontíficis Máximi hujus nóminis quarti, óptime de Ecclésia Dei, de Urbe, ac nómine Christiáno mériti, consílio, auctoritáte, diligéntia, doctrína, et præclarórum óperum magnificéntia exímii. Item Romæ, etc.

21 Sancti Henríci Primi Imperatóris, de quo Idibus Júlii. Romæ, etc.

24 Vigília sancti Jacóbi Apóstoli.

Sancti Aléxii Confessóris, cujus dies natális sextodécimo Kaléndas Augústi celebrátur. Tyri in Túscia, etc.

# AUGUSTO.

8 Gallesii in Faliscis sancti Famiáni Confessóris, mónachi Cisterciénsis, perpétua miraculórum fama, et máximis méritis clari, cujus corpus usque in hanc diem incorrúptum frequentíssimo populórum concúrsu cólitur, multísque miráculis a Deo illustrátur. Romæ, etc.

9 Vigília sancti Lauréntii Mártyris.

Sanctórum Mártyrum Cyríaci Diáconi, Largi, et Smarágdi cum áliis vigínti, quorum festívitas prídie hujus diéi celebrátur. Romæ, etc.

13 Sancti Emygdii Epíscopi et Mártyris, cujus dies natális Nonis Augústi recensétur. Romæ, etc.

15 Assúmptio sanctíssimæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ, singuláris ac præcípuæ totíus Ordinis Cisterciénsis Patrónæ, ac ómnium fere ejúsdem Ordinis Ecclesiárum Tituláris. Romæ, etc.

Sabbato ante Dominicam infra Octavam Assumptionis B. M. V.

Sancti Jóachim Patris beátæ Maríæ Vírginis, cujus Festum tertiodécimo Kaléndas Aprílis recólitur.

20 In território Lingoniénsi Deposítio beatíssimi Patris Bernárdi, primi Clarævallénsis Abbátis, et Ecclésiæ Doctóris mellíflui, qui cum Apostólicam Sedem contra schismáticos et hæréticos, quasi firmíssima colúmna, sustentásset, et Cisterciénsis Ordinis per divérsas orbis partes plúrima cœnóbia erexísset, plúrimis divínæ grátiæ donis nobilitátus, miráculis innúmeris gloriósus, méritis et virtútibus abúnde cumulátus, evolávit in cœlum, quem Pius Octávus Póntifex Máximus universális Ecclésiæ Doctórem declarávit, et confirmávit. In Judæa, etc.

21 Senis in Túscia beáti Bernárdi Ptolomæi, Abbátis et fundatóris Congregatiónis Olivetánæ sub régula sancti Patris Benedicti, pietáte et charitáte conspícui. Romæ, etc.

22 Octáva Assumptiónis sanctíssimæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ, singuláris ac præcípuæ totíus Ordinis Cisterciénsis Patrónæ. Romæ, etc.

Sabbato ante Dominicam post Octavam Assumptionis.

Festum sacratíssimi Cordis beátæ Maríæ Vírginis.

24 Vigília sancti Bartholomæi.

Sanctæ Joánnæ Francíscæ Frémiot de Chantal Ordinis Sanctimoniálium Visitatiónis sanctæ Maríæ institutrícis, de qua ágitur Idibus Decémbris. Carthágine, etc.

26 Sancti Ludovíci Confessóris Francórum Regis, cujus memória prídie hujus diéi recólitur. Romæ, etc.

27 Octáva beatíssimi Patris Bernárdi Abbátis et universális Ecclésiæ Doctóris. Romæ, etc.

# SEPTEMBRI.

1 Sancti Joséphi Calasánctii Confessóris, cujus festum ágitur sexto Kaléndas Septémbris. In província Narbonénsi, etc.

2 In monte Sorácte sancti Nonnósi Abbátis, qui oratióne sua ingéntis molis saxum álio tránstulit, aliísque cláruit miráculis, quæ beátus Gregórius Papa commémorat. Romæ, etc.

3 Sancti Stéphani Regis et Confessóris, cujus memória prídie hujus diéi recólitur. Romæ, etc.

4 Vitérbii beátæ Rosæ Vírginis. In monte Nebo, etc.

16 Sanctórum Cornélii et Cypriáni Pontíficum et Mártyrum, quorum natális decimooctávo Kaléndas Octóbris recólitur.

In Anglia sanctæ Edithæ Vírginis, Edgari Anglórum Regis fíliæ, quæ in monastério Wilthoniénsi Ordinis sancti Benedícti a téneris annis Deo dicáta, sæculum hoc ignorávit pótius quam relíquit, et admirándis virtútibus ac prodígiis effúlsit. Chalcédone, etc.

17 Apud Bingam in diœcési Moguntína sanctæ Hildegárdis Vírginis, quæ régulam sancti Patris Benedicti proféssa, humilitáte, pietáte, patiéntia, miraculórum grátia, et cœléstibus revelatiónibus celebrátur.

Commemorátio Impressiónis sacrórum Stigmatum, quibus sanctus Franciscus, Ordinis Minórum institútor, in suis mánibus, pédibus, et látere, mira Dei grátia, in monte Alvérniæ in Etrúria impréssus fuit.

Córdubæ pássio sanctæ Colúmbæ Vírginis Benedictínæ, quæ ad summum virtútum fastígium a Deo evécta, gémina virginitátis, et martyrii coróna redimíta cœlos gloriósa conscéndit. Romæ, etc.

23 Romæ sancti Lini, etc. ut in Martyrologio.

Item Anniversárium solémne pro frátribus, familiáribus, et benefactóribus Cisterciénsis Ordinis defúnctis, etc. Icónii in Lycaónia, etc.

25 Commemorátio Impressiónis sacrórum Stigmatum in córpore sancti Francísci Levítæ et Confessóris, quæ recólitur quintodécimo Kaléndas Octóbris. In castéllo Emmaus, etc.

Sabbato ante Dominicam tertiam Septembris.

Festum Septem Dolórum beátæ Maríæ Vírginis a Pio Séptimo Pontífice Máximo ad univérsam Ecclésiam exténsum.

# OCTOBRI.

5 MESSANÆ in Sicília natális sanctórum Mártyrum Plácidi Mónachi, discípuli, etc. ut in Martyrologio Romano. Eódem die, etc.

7 Patávii sanctæ Justínæ Vírginis et Mártyris, quæ a beáto Prosdócimo sancti Petri Apóstoli discípulo baptizáta, cum in fide Christi constánter persísteret, Máximi Præsidis jussu gládio transverberáta, migrávit ad Dóminum. Romæ, etc.

8 In Hispánia sancti Martíni Abbátis Vallis Paradisi Cisterciénsis Ordinis, sanctimónia, et miráculis clari. Eódem die sanctæ Birgíttæ, etc.

11 Sanctæ Birgíttæ víduæ, de qua octávo Idus Octóbris perágitur. Tharsi, etc.

12 Sancti Eduárdi Regis et Confessóris, de quo tértio Idus Octóbris. Romæ, etc.

13 In diœcési Corisopiténsi in Británnia minóri sancti Mauritii Abbátis, Ordinis Cisterciénsis, qui plúrimis sanctitátis ac glóriæ testimóniis effúlsit. Apud Tróadem, etc.

16 Apud Arbónam in Germánia sancti Galli Abbátis, Ordinis sancti Benedícti, discípuli beáti Columbáni, viri apostólici, qui stupéndis emícuit probátæ virtútis insígniis. In Africa, etc.

17 Sanctæ Hedwígis víduæ, Polóniæ Ducíssæ, ac moniális Ordinis Cisterciénsis, misericórdia in paúperes, vitæ austeritáte, contemplatiónis sublimitáte, ac dono lacrymárum et miraculórum illústris, quæ Idibus Octóbris obdormívit in Dómino.

In diœcési Cabilonénsi in Gállia Dedicátio Ecclésiæ beátæ Maríæ de Cistércio, quæ caput et mater est ómnium Cisterciénsis Ordinis Ecclesiárum. Antiochíæ, etc.

24 Sancti Rapliaélis Archángeli unius ex septem, qui astant ante Dóminum ac Dei medicínam suo nómine expriméntis, cujus memóriam solémni Officio in toto Cisterciénsi Ordine Pius Papa Séptimus celebrári indúlsit.

In Hispánia sancti Bernárdi, qui, ex primo Abbáte cœnóbii de sanctis Crúcibus in Catalónia Ordinis Cisterciénsis, Episcopus Viquénsis factus, spíritu Apostólico plenus, ac insígnibus miráculis præclárus effúlsit. Venúsiæ, etc.

25 Sancti Bernárdi Episcopi, qui prídie hujus diéi migrávit in cœlum. Romæ, etc.

30 Festivitas sacrárum Reliquiárum, quæ in Ecclésiis univérsi Ordinis Cisterciénsis asservántur. In Africa, etc.

# NOVEMBRI.

5 Sancti Malachíæ Epíscopi et Confessóris, qui omnígenis virtútibus refúlgens tértio Nonas Novémbris in Claraválle beáto fine quiévit, sepultúsque est post altáre majus e regióne sepúlchri sancti Patris Bernárdi, ut quos par vitæ socíetas conjúnxerat, étiam túmuli vicínia sociáret. Eódem die sancti Zachariæ, etc.

Sabbato ante Dominicam post Octavam omnium Sanctorum.

Festívitas Patrocínii beatíssimæ Vírginis Maríæ, quæ sancto Alberíco, secúndo Cistércii Abbáti appárens dixit : Ego Ordinem istum usque in finem sæculi prótegam et defféndam; hinc mérito ab ipso Ordinis exórtu in patrónam, dóminam, protectrícem, et advocátam elécta, atque in Titulárem Ecclesiárum ejúsdem Ordinis designáta, multis vicíssim Cisterciénsium famíliam grátiis ac munéribus cumulávit.

12 Turiasóne in Hispánia Tarraconénsi sancti Æmiliáni Abbátis Ordinis sancti Benedicti, qui una cum Apóstolo Jacóbo majóre in Hispániæ Patrónum cooptátus, virtútum ac miraculórum glória commendátur. Natális, etc.

13 Festívitas ómnium sanctórum Monachórum univérsi Ordinis sancti Benedicti. Sancti Dídaci, etc.

14 Commemorátio ómnium Fidélium Congregatiónis nostræ, qui in Dómino quievérunt.

Sancti Martini Papæ et Mártyris, qui prídie Idus Novémbris victor migrávit in cœlum.

Clarævállis in diœcési Lingoniénsi Translátio córporis sancti Patris Bernárdi Abbátis, e túmulo ante aram beátæ Maríæ Vírginis extrúcto, ad arcam marmóream post idem altáre solémni ritu, sedénte Alexándro Papa Tértio, collocátam. Heracleæ, etc.

15 Translátio córporis sancti Patris Bernárdi Abbátis, et Ecclésiæ Doctóris, de qua prídie hujus diéi memória recensétur. Eódem die, etc.

16 Cantuáriæ in Anglia sancti Edmúndi Epíscopi, qui, propter ecclesiásticam libertátem intrépide propugnátam, exuláre jussus, exémplo sancti Thomæ Mártyris prædecessóris sui, in monastérium Pontiniacénse Ordinis Cisterciénsis se recépit, ubi mónachus factus, piíssime vixit; ejúsque sanctitátem Deus miraculórum magnitúdine declarávit. In Africa, etc.

17 Sanctæ Gertrúdis Vírginis Ordinis sancti Benedícti, dono revelatiónum, virtútibus, ac miráculis celebérrimæ, de qua ágitur decimoséptimo Kaléndas Decémbris. Neocæsaréæ, etc.

24 Turónis in Gállia sancti Odónis Abbátis Cluniacénsis, Ordinis sancti Benedícti, qui virtútum ómnium currículo laudabíliter eménso, decimoquárto Kaléndas Decémbris migrávit ad Dóminum. Natális, etc.

26 Apud Fabriánum in Picéno sancti Silvéstri Abbátis, institutóris Congregatiónis monachórum Silvestrinórum, sub régula et hábitu, a beatíssimo Patriárcha Benedícto sibi in visióne designátis. Alexandríæ, etc.

27 Festívitas ómnium Sanctórum univérsi Ordinis Cisterciénsis. Antiochíæ, etc.

28 In monastério Bobiénsi sancti Columbáni Abbátis Vosacénsis, qui Ordinis sancti Benedícti propagátor muníficus, et vir vere apostólicus undécimo Kaléndas Decémbris evolávit in cœlum. Romæ, etc.

29 Vigília sancti Andréæ Apóstoli.

Sancti Joánnis a Cruce Confessóris, cujus natális decimonóno Kaléndas Januárii recensétur. Romæ, etc.

# DECEMBRI.

1 Sancti Dídaci Confessóris, cujus memória Idibus Novémbris recólitur. Nahum Prophétæ, etc.

2 Romæ pássio sanctæ Bibiánæ, etc. ut in Mart. Rom.

Item Anniversárium solémne pro paréntibus, et consanguíneis Monachórum Cisterciénsis Ordinis defúnctis. Item Romæ, etc.

4 Senis in Túscia sancti Galgáni Eremítæ sub institúto Cisterciénsi, sanctitáte et miráculis clari, qui prídie hujus diéi ad ætérnam glóriam evocátus fuit hisce verbis: satis est quod laborásti, metes nunc quod seminásti. Sancti Petri Chrysólogi, etc.

5 Sancti Petri Chrysólogi Epíscopi et Confessóris, cujus festum prídie hujus diéi perágitur. Mútalæ, etc.

8 Concéptio Immaculátæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ, quam singulári veneratióne et obséquio univérsus Cisterciénsis Ordo proséquitur. Romæ, etc.

15 Octáva Conceptiónis immaculátæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ. Eódem die, etc.

17 Sancti Gregórii Thaumatúrgi Neocæsariénsis Epíscopi, cujus natális quintodécimo Kaléndas Decémbris recensétur. Eleutherópoli, etc.

18 Festum Expectatiónis Partus beátæ Mariæ Virginis, quæ Spíritu Sancto repléta, mundo péperit Salvatórem Jesum Christum Filium Dei. Philíppis in Macedónia, etc.

29 Cantuáriæ in Anglia natális sancti Thomæ Episcopi et Mártyris, qui ob defensiónem justítiæ et ecclesiásticæ immunitátis a sede sua, et ab Angliæ regno exuláre coáctus, et ad Pontiníacum Cisterciénsis Ordinis cœnóbium confúgiens, ibi cucúllam ab Alexándro Tértio Pontífice Máximo benedictam índuit, et in Angliam revérsus, impiórum hóminum factióne in Basílica sua gládio percússus, et cum eádem cucúlla sepúltus, migrávit ad Christum, ac plúrimis maximísque miráculis coruscávit. Jerosólymis, etc.

De Officio Votivo primo loco legitur :

Semel in hebdomada : **Officium Patriárchæ S. Benedícti Abbátis.**

Semel in hebdomada : **Officium sancti Patris Bernárdi Abbátis.**

Semel in mense : **Officium sanctæ Scholásticæ Vírginis.**

# LECTIONES PROPRIÆ

## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In Solemnitate SS. Coronæ Spineæ D. N. J. C.

Lectio.

**In illa die erit Dóminus exercituum coróna glóriæ, et sertum exultatiónis residuo pópuli mei. Tu autem, etc.**

In festivitate Patriarchæ S. Benedicti Abbatis.

Lectio.

**Quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso : quasi oliva pullulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens. Et circa illum coróna fratrum : quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, et omnes filii Aaron in glória sua. Tu autem, etc.**

In festo Patrocinii S. Joseph Patriarchæ. Lectio.

**Filius accréscens Joseph, filius accréscens, et decórus aspéctu : filiæ discurrérunt super murum. Tu autem, etc.**

In festo Sacratissimi Cordis Jesu. Lectio.

**Impropérium expectávit cor meum, et misériam, et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit : et qui consolarétur, et non invéni. Tu autem, etc.**

In festivitatibus S. Patris Bernardi Abbatis,

Lectio.

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam Sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illius. Tu autem, etc.

In festo septem Dolorum beatæ Mariæ Virginis,

Lectio.

DEDUC quasi torréntem lácrymas per diem, et noctem : non des réquiem tibi, neque táceat pupilla óculi tui. Tu autem, etc.

In festo S. Raphaelis Archangeli,

Lectio.

TEMPUS est ut revértar ad eum, qui me misit : vos autem benedicite Deum, et narráte ómnia mirabilia ejus. Tu autem, etc.

In festivitate Sacrarum Reliquiarum,

Lectio.

QUIS est, qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? sed et si quid patimini propter justitiam, beáti. Tu autem, etc.

In festivitate omnium sanctorum Monachorum Ordinis S. Benedicti,

Lectio.

FILII eórum propter illos usque in ætérnum manent : semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Tu autem, etc.

In festo S. Gertrudis Virginis,

Lectio.

SURGE amica mea, speciósa mea, et veni : colúmba mea in foraminibus petræ, in cavérna macériæ : osténde mihi fáciem tuam. Sonet vox tua in aúribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Tu autem, etc.

In festivitate omnium Sanctorum Monachorum Ordinis Cisterciensis, Lectio.

OMNIS, qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet : et illi quidem, ut corruptibilem corónam accípiant, nos autem incorrúptam. Tu autem, etc.

In festo Expectationis Partus beatissimæ Virginis Mariæ,

Lectio.

RORATE cœli désuper, et nubes pluant justum, aperiátur terra, et gérminet Salvatórem, et justítia oriátur simul : ego Dóminus creávi eum. Tu autem, etc.

# INDEX MARTYROLOGII

## ORDINIS CISTERCIENSIUM.

# MARTYROLOGIUM SANCTORUM

PRO

## CONGREGAT. SILVESTRINA

ORD. S. P. N. BENEDICTI ABBATIS.

## MARTIO.

29 Fabriani in Picéno beáti Joánnis a Báculo Confessóris, et discípuli sancti Patris nostri Silvéstri Abbátis, qui diro apostémate corréptus, non solum æquo ánimo, sed étiam vultu hílari morbi dolóres pértulit usque ad últimum vitæ, quam cum ætérna commutávit in pervigílio Festi Annuntiatiónis Deíparæ, ipso die natáli suo. In Pérsia, etc.

## JULIO.

27 Apud Sentinum in Umbria beáti Hugónis Confessóris, ac discípuli sancti Patris nostri Silvéstri Abbátis, qui nobilitátis génere clarus; at contemplatiónis, charitátis in próximum, et miraculórum glória illústrior, séptimo Kaléndas Augústi migrávit ad Dóminum. Nicomédiæ pássio sancti Pantaleónis, etc.

## SEPTEMBRI.

Sabbato ante Dominicam tertiam Septembris.

Translátio córporis sancti Patris nostri Silvéstri Abbátis.

Sabbato ante Dominicam quartam Septembris.

Octáva Translatiónis córporis sancti Silvéstri Abbátis.

27 Cínguli in Picéno sancti Bonfílii Epíscopi et Confessóris, qui ex nóbili Auxímate família exórtus, monásticæ disciplínæ nomen dedit, et invitus ad regéndam Fulgineam Ecclésiam vocátus, ac apostólica auctoritáte in ea Sede statútus; ex humilitáte sponte ab eádem sese dimísit, ut libérius divinis rebus vacáret. Ægææ natális, etc.

# OCTOBRI.

3 Sanctorum Cosmæ et Damiáni Mártyrum, de quibus ágitur quinto Kaléndas Octóbris. Romæ ad Ursum pileátum, etc.

# NOVEMBRI.

26 Apud Fabriánum in erémo montis Fani sancti Patris nostri Silvéstri Abbátis, qui ex nóbili Guzolina família exórtus, Patris indignatiónem, sæculi illécebras, et dæmonum tentatiónes, ac terróres fórtiter superávit, divína auxiliánte grátia, et a Deípara mirabiliter perículis eréptus. E fílio deinde pater efféctus monásticam Congregatiónem Silvestrínam ab eo nuncupátam instítuit sub régula, et hábitu a sanctíssimo Patriárcha nostro Benedícto sibi in visióne osténsis. Dénique perfúnctus labóribus, sénio conféctus, atque divína cúspide magis saúcius, beátam ánimam exhalávit, quam ángeli Dómini in Paradísum deduxérunt lætántes. Alexandríæ, etc.

# DECEMBRI.

3 Octava sancti Patris nostri Silvéstri Abbátis.
5 Sancti Francísci Xavérii Confessóris, cujus memória recólitur tértio Nonas Decémbris. Mútalæ in Cappadócia, etc.

In festo S. Silvestri ad absolutionem Capituli.

Lectio.

Sapientia laudábit ánimam suam, et in Deo honorábitur, et in médio pópuli sui gloriábitur, et in Ecclésiis Altíssimi apériet os suum. Tu autem Dómine, etc.

# INDEX.

# MARTYROLOGIUM SANCTORUM

PRO ORDINE DISCALCEATORUM

## SANCTISSIMÆ TRINITATIS

### REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

Cum *in Rubricis Martyrologii Romani præscriptum sit,* ut Festa de quibus fit officium, semper ponantur primo loco, quod etiam servandum est in Sanctis propriis particularium Ecclesiarum; *hinc observandum est Primo : Occurrente Vigilia in festo novem lectionum; Vigilia ponenda est primo loco, etiamsi officium fiat de tali festo cum nona lectione Vigiliæ, ut bene notat Cæremoniale Ordinis nostri : excipitur tamen, si festum de quo fit officium, fuerit primæ vel secundæ classis, tunc enim Vigilia ponenda est secundo loco. Secundo : Occurrente festo habente Vigiliam in feria secunda; etsi officium Vigiliæ et jejunium anticipentur, non ideo anticipari debet in Martyrologio, sed manere debet in die ibi assignata. Tertio : Circa Festa translata, observandum, vel sunt perpetuo translata ratione impedimenti perpetui, vel sunt tantum accidentaliter translata ratione festorum mobilium, aut alia simili causa, si primum, annuntianda; quia dies illis assignata consideranda est tanquam propria : si secundum minime; quia amotis a propria sede, nullam sedem propriam possident. Quarto : In annuntiando festa perpetuo translata, servetur sequens regula, si terminus, seu dies a quo amovetur fuerit dies natalitia, ut contigit apud nos S. Theresia, perpetuo translata, ratione Dedicationis Ecclesiarum nostri sacri Ordinis, tunc annuntiabitur hoc modo :* Sancta Theresia Virgo, cujus natalis dies pridie hujus diei recensetur. *Si vero dies a qua perpetuo amovetur, non fuerit natalitia, sed tantum dies ejusdem officii, ut contigit in sancto Petro Chrysologo propter occursum sanctæ Barbaræ Virginis et Martyris, tunc dicatur ita :* Sancti Petri Chrysologi Episcopi et Confessoris, cujus memoria pridie hujus diei recolitur. *Ultimo : Officia hebdomadaria, quæ de Indulto Apostolico (deficiente officio novem lectionum, etiam translato) fiunt in nostro Ordine semel in hebdomada, si annuntientur, debent simpliciter enuntiari, nempe :* Officium sanctissimæ Trinitatis.

# JANUARIO.

Sabbato ante Domínicam secundam post Epiphaniam.

Festum dulcissimi Nóminis Jesu, quod illi ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur, impósitum est.

28 Festum Apparitiónis sanctæ Agnétis Vírginis et Mártyris, quam Innocéntius Tértius propter Angeli apparitiónem hac ipsa die apud Laterânum, inter Missárum solémnia, ipsi factam, indéque Ordinem sanctíssimæ Trinitátis Redemptiónis Captivórum institútum, illam in Patrónam primáriam eídem Ordini assignávit. Romæ sancti Flaviáni, etc.

# FEBRUARIO.

2 Festum Purificatiónis beátæ Maríæ Vírginis, qua die Innocéntius Tértius hábitu, ipsi e cœlo monstráto, sanctos Patres nostros Joánnem et Felícem índuit, Ordinémque confirmávit. Romæ, etc.

4 Octáva Apparitiónis sanctæ Agnétis Vírginis et Mártyris. Floréntiæ sancti Andréæ, etc.

7 Vigília sancti Patris nostri Joánnis de Matha Confessóris. Sancti Romuáldi, etc.

8 Romæ in monte Cœlio sancti Patris nostri Joánnis de Matha Confessóris, Ordinis sanctíssimæ Trinitátis Redemptiónis Captivórum institutóris, cujus natális dies decimoséxto Kaléndas Januárii recensétur; ejus autem festum hac die ex Decréto Innocéntii Undécimi celebrátur. Item sancti Hierónymi, etc.

9 Octáva Purificatiónis beátæ Maríæ Vírginis. Alexandríæ, etc.

12 Sancti Raymúndi de Pénnafort Confessóris, de quo ágitur décimo Kaléndas Februárii. Barcinóne in Hispánia, etc.

14 Córdubæ in Hispánia beáti Joánnis Baptistæ a Conceptióne Fratrum Discalceatórum primitívæ régulæ Ordinis sanctíssimæ Trinitátis Redemptiónis Captivórum instauratóris, asperitáte, et innocéntia vitæ, sui abjectióne, et in ærúmnis perferéndis fortitúdine vere admirábili célebris. Romæ via Flamínia, etc.

15 Octáva sancti Patris nostri Joánnis de Matha Confessóris. Bríxiæ natális sanctórum, etc.

25 Sanctæ Margarítæ Cortonénsis, cujus memória ágitur séptimo Kaléndas Mártii. In Ægypto, etc.

## MARTIO.

11 Commemoratio sanctórum Mártyrum, et aliórum Sanctórum, quorum córpora, et insígnes relíquiæ in Ecclésiis nostri sacri Ordinis asservántur. Carthágine, etc.

15 Toléti in monastério montis Sion Cisterciénsium sancti Raymúndi Abbátis sanctæ Maríæ de Fitéro, et ínclyti Ordinis militáris de Calatráva fundatóris, qui Kaléndis Februárii migrávit ad Dóminum. Cæsaréæ in Cappadócia, etc.

18 Sancti Gabriélis Archángeli, qui mystérium Incarnatiónis beátæ Vírgini Maríæ nuntiávit. Cæsaréæ in Palæstína, etc.

19 In Judæa, etc, ut in Martyrologio pag. 52. in quo ultimo loco, Translátio prima córporis sancti Patris nostri Joánnis de Matha.

24 Romæ beáti Joseph Maríæ Thomásii clérici Reguláris, et sanctæ Románæ Ecclésiæ Presbyteri Cardinális Confessóris, qui dum in humánis ágeret, univérsi Ordinis sanctíssimæ Trinitátis Redemptiónis Captivórum apud sanctam Sedem patronátum gessit. Romæ, etc.

## APRILI.

10 Ezechielis Prophétæ, etc. ut in Martyrologio pag. 65. in quo ultimo loco:

Vallis-oléti in Hispánia depósitio beáti Michaélis de Sanctis Confessóris Ordínis Discalceatórum sanctíssimæ Trinitátis Redemptiónis Captivórum, vitæ innocéntia, admirábili pœniténtia, charitáte in Deum exímii.

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pascha.

Festum Patrocínii sancti Joseph sanctíssimæ Dei Genitrícis Sponsi.

Sabbato ante Dominicam quartam post Pascha.

Festum sancti Raphaélis Archángeli, qui medicína Dei appellátur.

## MAJO.

Sabbato ante Dominicam quintam post Pascha.

Matriti Translátio solémnis córporis sancti Patris nostri Joánnis de Matha, quod theca argéntea, gemmis distínctis ornáta inclúsum, et in virórum príncipum húmeris per ejúsdem urbis cómpita solemníssima processióne circumdúctum ad Ecclésiam Fratrum Discalceatórum Ordinis sanctíssimæ Trinitátis deportátum, ibidémque auctoritáte Innocéntii Papæ Decimitértii repósitum, magna devotióne celebrátur et cólitur.

22 Sancti Paschális Baylon Confessóris cujus natális dies sextodécimo Kaléndas Júnii recensétur. Romæ sanctórum Mártyrum, etc.

## JUNIO.

Sabbato ante Dominicam primam post Pentecosten.

SOLEMNITAS sanctíssimæ et individuæ Trinitátis, cujus glorióso título Innocéntius Tértius propter triplicem cœléstis nostri hábitus colórem ipsum augústum Mystérium præsignántem, Ordinem nostrum decorávit. Pius vero Séptimus eámdem solemnitátem Octáva privilegiáta auxit et Gregórius Decimusséxtus confirmávit.

22 Apud Nolam Campániæ urbem natális sancti Paulíni, etc. ut in Martyrologio Romano pag. 114.

Sabbato ante Dominicam secundam post Pentecosten.

Octáva sanctíssimæ Trinitátis, nostri sacri Ordinis Tituláris.

## JULIO.

5 BEATI Michaélis de Sanctis Confessóris Ordinis nostri, cujus natális dies quarto Idus Aprílis recensétur; ejus autem festum ex decréto Pii Papæ Sexti hódie celebrátur. Romæ sanctæ Zoæ, etc.

## AUGUSTO.

6 IN monte Thabor transfigurátio Dómini nostri Jesu Christi, cujus Offício et Missæ interveniéntibus Calíxtus Tértius Póntifex Máximus eásdem indulgéntias, quæ in festo sacratíssimi Córporis Christi lucrári possunt, perpétuo concéssit.

20 In território Lingoniénsi deposítio sancti Bernárdi, etc. ut in Martyrologio Romano pag. 157.

27 Octáva sancti Bernárdi Abbátis, et Doctóris. Romæ, etc.

## SEPTEMBRI.

1 SANCTI Joseph Calasánctii Confessóris, cujus memória ágitur sexto Kaléndas Septémbris. In província Narbonénsi, etc.

6 Festum sancti Angeli Custódis sacri Ordinis nostri. Zacharíæ Prophétæ, etc.

8 Natívitas beatíssimæ semper Vírginis Genitrícis Dei Maríæ, qua die sanctus Pater noster Felix illústrem a Dei Genitrice favórem recépit, una cum ipsa, ac Cœlítibus Matutínas laudes concinéndi. Nicomédiæ, etc.

15 Octáva Nativitátis beátæ Maríæ Vírginis.

Sabbato ante Dominicam infra Octavam Nátivit. B. Mariæ Virg.

Festum sanctíssimi Nóminis Maríæ, cujus Officium inter Trinitários, beáto Simóne ejúsdem Ordinis procuránte, celebrári incéptum, indéque per álias Ecclésias propagátum, tandem Innocéntius Undécimus ob insígnem victóriam a Christiánis, de Túrcibus insultántibus, Viénnæ in Aústria partam, ab univérsa Ecclésia celebrári mandávit Domínica infra octávam Nativitátis ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis.

25 In óppido La Guárdia Toletánæ diœcéseos sancti Christóphori, Innocéntis, et Mártyris, Obláti Ordinis nostri, quem Judæi triénnem suffurántes, et ómnibus oppróbriis, et torméntis passiónis Dómini nostri Jesu Christi affligéntes, cruci affixérunt, et tandem latus ejus perfodérunt. In castéllo Emmaus, etc.

28 Matriti in Hispánia beáti Simónis de Roxas Confessóris Ordinis sanctíssimæ Trinitátis Redemptiónis Captivórum, misericórdia in paúperes, máxime captívos, et in promovéndo cultu sanctíssimæ Dei Genitrícis, ejúsque sacratíssimi Nóminis celebérrimi. In Bohémia, etc.

## OCTOBRI.

5 Sancti Wencesláì ducis Mártyris, cujus memória quarto Kaléndas Octóbris recólitur. Romæ ad Ursum pileátum, etc.

Sabbato ante Dominicam secundam Octobris.

Festum Maternitátis beatíssimæ Vírginis Maríæ Matris sanctíssimi Redemptóris.

Sabbato ante Dominicam tertiam Octobris extra Hispaniam.

Octáva Maternitátis beatíssimæ Vírginis Maríæ.

15 Dedicátio Ecclesiárum nostri sacri Ordinis. Abulæ in Hispánia, etc.

16 Sanctæ Therésiæ Vírginis, cujus natális dies prídie hujus diéi recensétur. In Africa, etc.

22 Octáva Dedicatiónis Ecclesiárum nostri sacri Ordinis. Jerosólymis, etc.

23 Solémnitas sanctíssimi Redemptóris, cujus venerábile Simulácrum a Bárbaris captum, et in Africam deportátum, atque oppróbriis et contuméliis lacessítum, indéque a Frátribus Discalceátis Ordinis sanctíssimæ Trinitátis Redemptiónis Captivórum, solúto prétio,

recuperátum, et in Hispániam deportátum, signis, et prodigiis ubique fulgens magna populórum devotióne, sub sanctíssimo Nómine Jesu Nazaréni adorátur, et cólitur. In Hispánia, etc.

30 Octáva sanctíssimi Redemptóris. In Africa, etc.

Sabbato ante Dominicam quartam Octobris.

Festum Puritátis beátæ Maríæ Vírginis.

## NOVEMBRI.

Sabbatō ante Dominicam secundam Novembris.

Festum Patrocínii beátæ Maríæ Vírginis.

13 Festum ómnium sanctórum Ordinis sanctíssimæ Trinitátis Redemptiónis Captivórum. Sancti Dídaci Confessóris, etc.

14 Commemorátio ómnium Defunctórum nostri sacri Ordinis.

Sancti Dídaci Confessóris, de quo ágitur prídie hujus diéi. Heracleæ in Thrácia, etc.

19 Vigília sancti Patris nostri Felícis Valésii. In óppido Marpurg, etc.

20 In monastério Cervi Frígidi territórii Meldénsis sancti Patris nostri Felícis Valésii Confessóris, Ordinis sanctíssimæ Trinitátis Redemptiónis Captivórum fundatóris, cujus dies natális prídie Nonas Novémbris recólitur. Messánæ in Sicilia, etc.

25 Natális sanctæ Catharínæ Vírginis et Mártyris secúndæ nostri sacri Ordinis Patrónæ, quæ, etc. ut in Romano Martyrologio pag. 229.

27 Octáva sancti Patris nostri Felícis Valésii Confessóris. Antiochíæ, etc.

## DECEMBRI.

2 OCTAVA sanctæ Catharínæ Vírginis et Mártyris. Romæ pássio, etc.

4 Nicomédiæ pássio sanctæ Bárbaræ, ut in Mart. Rom. pag. 235. deinde Sancti Petri Chrysólogi, ac sequitur Constantinópoli, etc.

5 Sancti Petri Chrysólogi Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur prídie hujus diéi. Mútalæ, etc.

9 Sanctæ Bibiánæ Vírginis et Mártyris, cujus natális dies quarto Nonas Decémbris recensétur. Toléti in Hispánia, etc.

18 Festum Expectatiónis partus beátæ Maríæ Vírginis. Philippis, etc.

# LECTIONES PROPRIÆ

## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In Festo Apparitionis S. Agnetis. Lectio.

**Laudábit usque ad mortem, etc.** ut in Romano Martyrologio.

In Festo S. P. N. Joannis de Matha. Lectio.

**Aquæ multæ non potuérunt extinguere charitátem, nec flúmina óbruent illam, si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. Tu autem Dómine miserére nobis.**

In festo B. P. N. Joannis Baptistæ a Conceptione. Lectio.

**In témpore plácito exaudívi te : et in die salútis auxiliátus sum tui : et servávi te, et dedi te in fœdus pópuli mei, ut diceres his, qui vincti sunt : exite : et his qui in ténebris : revelámini. Tu autem, etc.**

In festo Translationis corporis S. P. N. Joannis de Matha. Lectio dicitur, ut in ejus Festo.

In festo Sanctissimæ Trinitatis. Lectio ut in Martyrologio Romano.

In festo S. Pueri Innocentis et Martyris Christophori. Lectio.

**Accipiens Jesus púerum, státuit cum in médio discipulórum suórum, et ait illis : Quisquis unum ex hujúsmodi púeris recéperit in nómine meo, me récipit. Tu autem Dómine, etc.**

In festo Sanctissimi Redemptoris. Lectio.

**Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, et honórem, et virtútem : quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne, et fecisti nos Deo nostro regnum. Tu autem Dómine, etc.**

In festo omnium Sanctorum Sacri Ordinis nostri. Lectio.

**Hæreditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum : et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent : semen eórum et glória eórum non derclinquétur. Tu autem Dómine, etc.**

In festo S. P. N. Felicis Valesii. Lectio.

**In hoc cognóvimus charitátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit : et nos debémus pro frátribus ánimas pónere. Tu autem Dómine, etc.**

In festo S. Catharinæ Virg. et Mart. Lectio.

**Laudábit usque ad mortem, etc.** ut in Martyrologio Romano.

# INDEX MARTYROLOGII

## ORDINIS SANCTISSIMÆ TRINITATIS

### REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

# MARTYROLOGIUM

## SACRI ORDINIS

## FRATRUM PRÆDICATORUM,

AUCTORITATE APOSTOLICA APPROBATUM.

---

*Etsi sacer Prædicatorum Ordo peculiare suum habeat Martyrologium proprio ritui accommodatum; attamen quum in Ordine ipso a prima institutione a sancto Patriarcha Dominico facta, omni ætate effloruerint utriusque sexus alumni virtutum omnium splendore, singularique sanctitate celebres; injucundum non erit in hac nova Martyrologii Romani editione Sanctorum, et Beatorum ejusdem Ordinis Prædicatorum elogia ex proprio memorato Martyrologio excerpta, referre, ut Fideles eorumdem recensendo memoriam non solum mirabilia admirentur, quæ in ipsis operatus est misericors Deus, verum et ad sectanda ipsorum vestigia proficua æmulatione incendantur.*

## JANUARIO.

10 Amaranthi in Lusitánia beáti Gundislávi Confessóris Ordinis Prædicatórum, qui plenus spíritu sancti Patris sui Domínici, prædicatiónem Evangélii, vitæ exémplo, et miraculórum frequéntia júgiter obsignávit. In Cypro, etc.

15 Solémnitas sanctíssimi Nóminis Jesu. In Judæa, etc.

16 In óppido Soncini diœcésis Cremonénsis beátæ Stéphanæ de Quinzánis Vírginis Ordinis Prædicatórum, quæ quarto Nonas Januárii migrávit ad Sponsum. Romæ via Salária, etc.

19 Morbínii in Rhætia beáti Andréæ Piscariénsis Prædicatóris insígnis, qui apud Vallem Tellinam magna sanctitátis, doctrínæ, et eximiæ charitátis monuménta reliquit, miraculísque cláruit.

Nolæ in Campánia sancti Felícis Presbyteri, cujus memória in Martyrológio Románo decimonóno Kaléndas Februárii recólitur. Romæ via Cornélia, etc.

23 Barcinóne in Hispánia sancti Raymúndi de Pénnafort Confessóris, tértii Generális Magístri Ordinis Prædicatórum, doctrína, sanctitáte, et miraculórum glória insígnis, qui Ordinem beátæ Maríæ Vírginis de

Mercéde Redemptiónis Captivórum fundávit : Jacóbo Arragónum Regi auctor fuit, ut sacrum Inquisitiónis officium in suis regnis institúeret : ex insula Baleári majóri Barcinónem revérsus mare trajécit, solo pállio super aquas expánso, ingénti miráculo vectus, jánuis clausis monastérium intrávit, et quadraginta mórtuos suscitásse memorátur : prope centenárius ad cœléstem glóriam evolávit ipso die Epiphaniæ : e cujus sepúlchro perénni miráculo ténuis pulvis, matéria semper inexhaústa, enáscitur, quo várii languóres curántur. Relátus est in Sanctórum númerum a Cleménte Octávo. Romæ, etc.

24 Forolívii in Æmília beáti Marcolíni Confessóris Ordinis Prædicatórum. Natális sancti Timóthei, etc.

26 In Hungária beátæ Margarítæ Vírginis Ordinis Prædicatórum ; Belæ Quarti, et Maríæ Constantinopolitánæ Pannóniæ Regum filiæ, cujus pia mérita, et gloriósa signa sanctus Antonínus commémorat. Smyrnæ natális, etc.

28 Tolósæ translátio sancti Thomæ de Aquino. Romæ natális, etc.

29 Annésii in Subalpínis sancti Francísci de Salésio Episcopi et Confessóris, qui novum Sanctimoniálium Ordinem a Visitatióne beátæ Maríæ nuncupátum instituit, et multa míllia hæreticórum cathólicæ fidei aggregávit. Ejus autem natális quinto Kaléndas Januárii ágitur.

Romæ via Numentána natális sanctórum Mártyrum Papiæ, etc. in Martyrologio Romano pag. 19. Perúsiæ sancti Constántii. ibidem.

In Thebáide natális beáti Pauli primi Eremítæ, qui a sextodécimo ætátis suæ anno usque ad centésimum decimumtértium solus in erémo permánsit : cujus ánimam inter Apostolórum, et Prophetárum choros ad cœlum ferri ab Angelis sanctus Antónius vidit. Obiit quarto Idus Januárii, sed ejus festívitas hac die recólitur.

Edéssæ in Syria, etc. cum reliquis in eodem Mart. Rom. ubi ultimo loco:

Item Octáva sancti Vincéntii Diáconi, et Mártyris.

30 Romæ sanctæ Martínæ Vírginis, quæ sub Alexándro Imperatóre divérsis tormentórum genéribus cruciáta, tandem gládio martyrii palmam adépta est : cujus dies natális est Kaléndis Januárii.

Antiochiæ pássio beáti Hippólyti, etc. cum reliquis ut in Mart. Rom. pag. 20. ubi ultimo loco :

Item Octáva sancti Raymúndi Confessóris.

31 Barcinóne in Hispánia sancti Petri Nolásco Confessóris, qui a Deipara Virgine mónitus, cooperánte sancto Raymúndo de Pénnafort, novum Ordinem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum instituit. Romæ via Portuénsi, etc.

# FEBRUARIO.

1 Natalis sancti Ignátii Epíscopi, etc. ut in Mart. Rom. et quinto loco legitur :

Trecis sancti Pauli Epíscopi, cujus vita virtútibus cláruit, et mors pretiósa miráculis commendátur. Eódem die sancti Ephrem, etc.

2 Purificátio beátæ Maríæ Vírginis, quæ a Græcis Hypapánte Dómini appellátur.

Prati in Etrúria sanctæ Catharínæ de Ricciis Vírginis Ordinis Prædicatórum, cujus Festum celebrátur Idibus Februárii. Romæ via Salária, etc.

9 Cátanæ in Sicília beáti Bernárdi Confessóris Ordinis Prædicatórum ex patrícia família de Scammácca, quem Deus cœléstium rerum contemplatióne, et virtútum glória mirábilem effécit. Alexandríæ, etc.

11 Desponsátio beátæ Maríæ Vírginis cum beáto Joseph.

Item memória sancti Joseph Confessóris Sponsi ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis. In Africa, etc.

13 Prati in Etrúria sanctæ Catharínæ de Ricciis Vírginis Florentínæ Ordinis Prædicatórum, cœléstium donórum cópia insígnis, quam Benedíctus Decimusquártus Póntifex Máximus sanctárum Vírginum fastis adscripsit. Obiit virtútibus, et méritis plena quarto Nonas Februárii, sed ejus festum hódie celebrátur. Antiochíæ natális, etc.

14 Perúsii beáti Nicolái Pálea de Juvenátio Confessóris Ordinis nostri, Perusíni, et Tranénsis convéntus fundatóris, qui a beáto Domínico Patre nostro ad Ordinem recéptus, et in prædicatióne verbi Dei comes admíssus, in ómnium virtútum exercítio mirabíliter resplénduit. Romæ sanctórum Mártyrum Vitális, etc.

15 Beáti Jordáni festívitas, qui propter vitæ, et doctrínæ probitátem, in gubernatióne Ordinis beáto Patri nostro Domínico dignus hábitus est ut sufficerétur; et in regímine pósitus zelo salútis animárum exardéscens, Ordinem brevi amplificávit, ac tandem méritis plenus per aquas multas cœlo victor intrávit. Bríxiæ natális, etc.

16 Arétii in Etrúria beáti Gregórii Décimi Placentíni, qui ex Archidiácono Leodiénsi Summus Póntifex renunciátus Concílium Lugdunénse secúndum celebrávit, Græcísque ad unitátem fidei recéptis, compósitis Christianórum dissídiis, Terræ sanctæ recuperatióne institúta Ecclésiam sanctíssime gubernávit. Natális beáti Onésimi, etc.

19 Córdubæ in Hispánia beáti Alvari Confessóris Ordinis Prædicatórum convéntus Scalæ-Cœli fundatóris. Romæ natális, etc.

20 Octáva sanctæ Catharínæ de Ricciis. Tyri in Phœnícia, etc.

21 Romæ via Flamínia beáti Valentíni Presbyteri, et Mártyris, qui post multa sanitátum, et doctrínæ insígnia, fústibus cæsus, decollátus est sub Claúdio Cæsare. In Sicília, etc.

25 In Picéno beáti Constántii de Fabriáno Ordinis Prædicatórum, austeritáte vitæ, jugísque oratiónis dono claríssimi, cujus corpus Asculi, sacrum vero caput Fabriáni religióse asservátur. In Ægypto, etc.

28 Floréntiæ beátæ Villánæ mulíeris Tértii Ordinis sancti Domínici, cujus vita crucifíxi amóre, admirábili patiéntia, sui abnegatióne, terrenárum rerum contémptu, aliísque virtútibus fuit insígnis. Romæ, etc.

# MARTIO.

2 Ulmæ in Germánia beáti Henríci Susónis Suévi Confessóris Ordinis nostri, regulári observántia célebris, sanctitáte vitæ, et miraculórum fama. Obiit octávo Kaléndas Februárii, sed ejus festívitas hódie celebrátur. Romæ via Latína, etc.

6 Pisis beáti Jordáni Confessóris Ordinis nostri, doctrína, prædicatióne, et miraculórum glória insígnis. Nicomédiæ, etc.

7 In monastério Fossænóvæ prope Terracínam sancti Thomæ Aquinátis Confessóris et Ecclésiæ Doctóris, Ordinis Prædicatórum, nobilitáte géneris, vitæ sanctitáte, et theologíæ sciéntia præclaríssimi : qui virginitátis decus perpétuo cóluit : et ob exímiam eruditiónis præstántiam doctóris Angélici nomen jure proméruit; cujus scripta doctrínæ sólida veritáte conspícua, et Christi Dómini ore commendáta, velut fulgéntia lúmina cathólicam Ecclésiam, et cunctas orthodóxi orbis Académias mirum in modum illústrant. Tubúrbi, etc.

10 Panórmi in Sicília beáti Petri de Jeremía Confessóris Ordinis Prædicatórum, qui a sancto Vincéntio Ferrério in ministério verbi Dei confirmátus, salúti animárum totum se dedit. Apaméæ in Phrygia, etc.

14 Octáva sancti Thomæ Aquinátis. Romæ, etc.

22 Senis in Túscia beáti Ambrósii Ordinis Prædicatórum, sanctitáte, prædicatióne et miráculis clari : quem Románæ Ecclésiæ Martyrológio Clemens Octávus adscríbi jussit. Narbóne in Gállia, etc.

24 Sancti Gabriélis Archángeli, qui beátæ Vírgini Maríæ Incarnatiónis Domínicæ mystérium nuntiávit. Romæ pássio, etc.

26 Romæ via Lavicána, etc. ut in Mart. Rom. ultimo vero loco : Octáva sancti Joseph.

28 Cæsaréæ in Palæstina, etc. ut in Mart. Rom. tertio vero loco : Item sanctórum Philéti et Sociórum, qui sub Hadriáno Imperatóro martyrium suscepérunt. In Africa, etc.

# APRILI.

1 Octava Annuntiatiónis beátæ Mariæ Vírginis. Romæ pássio, etc.

3 Commemorátio impressiónis Stigmatum sanctæ Catharínæ Senénsis Vírginis Ordinis Prædicatórum. Tauroménii, etc.

4 Mediolàni depositio sancti Ambrósii Epíscopi, etc. ut in Mart. Rom. Thessaloníææ sanctórum Mártyrum Agathópodis. ibidem. Híspali in Hispánia sancti Isidóri. ibidem. Constantinópoli sancti Platónis, etc.

5 Venétiæ in Británnia minóri sancti Vincéntii Confessóris cognoménto Ferrérii Ordinis Prædicatórum, viri apostólici, qui potens ópere et sermóne, multa míllia infidélium convértit ad Christum, præcláro illo insígni dono, quod vernáculo suæ gentis sermóne apud divérsæ linguæ várias natiónes prædicans ab ómnibus claríssime intelligebátur. Virginitáte conspícuus, prophético spíritu, et multis clarus miráculis, ad tantárum virtútum corónas in cœlum evolávit. Thessaloníææ, etc.

10 Tunéti in Africa beáti Antónii Neyrot Ordinis nostri, qui quum a fide defecisset, illam paulo post suo sánguine glorióse signávit, ejúsque corpus Rivulos fuit translátum. Ezechiélis, etc.

12 Verónæ, etc. ut in Mart. Rom. ultimo vero loco : Octáva sancti Vincéntii Ferrérii.

13 In óppido Metulénsi Tiphernátis diœcésis beátæ Margarítæ Vírginis : quæ cæca a nativitáte a Deo mirum in modum illumináta est : eóque inspiránte sorórum tértii Ordinis sancti Patris Domínici institútum ampléxa est. Pérgami in Asia, etc.

14 Tudæ in Hispánia beáti Petri Gonzáles, sancti Telmi nuncupáti, Confessóris Ordinis Prædicatórum. Interámnæ sancti Próculi, etc.

15 Híspali in Hispánia sancti Hermenegíldi filii Leovigíldi Regis Wisigothórum Ariáni, qui ob cathólicæ fídei confessiónem in cárcerem conjéctus, quum in solemnitáte Paschâli Communiónem ab Epíscopo Ariáno accipere noluísset, jussu pérfidi patris secúri percússus Idibus Aprílis, regnum cœléste pro terréno Rex, et Martyr intrávit. Romæ sanctárum, etc.

16 Romæ via Appia natális sanctórum Mártyrum Tibúrtii, Valeriáni, et Máximi, etc. ut in Mart. Rom. decimooctavo Kalendas Maji. Corinthi natális, etc.

17 Pisis in Etrúria beátæ Claræ Gambacórtæ Ordinis Prædicatórum, fundatrícis monastérii sancti Domínici ejúsdem civitátis, cujus immemorábilem cultum Pius Octávus Póntifex Máximus confirmávit. Romæ sancti Anicéti, etc.

26 In monte Politiáno sanctæ Agnétis Vírginis Ordinis sancti Patris nostri Domínici, quæ máximis virtútibus, et miráculis illústris, divínis a Christo Sponso munéribus decorári méruit : cui se parem in cœlésti glória fore sancta Catharína Senénsis divínitus accépit. Romæ sanctórum, etc.

28 Festum Patrocínii sancti Joseph Sponsi beatíssimæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ. Ravénnæ, etc.

29 Medioláni sancti Petri Mártyris Ordinis Prædicatórum, qui præclárum virginitátis moníle ad suprémum usque vitæ spíritum sédulo consérvans, et advérsus hæréticos verbo, et doctrína strénue dímicans ab iisdem gládio trucidátus, cathólicam fidem, quam vivens mirábili constántia propugnáverat, eámdem occúmbens fuso cruóre egrégie consignávit : cujus exímia mérita crebris miráculis illustrántur. Apud Paphum, etc.

30 Romæ sanctæ Catharínæ Vírginis Senénsis Ordinis sancti Patris nostri Domínici, quæ virginitátem ab ipsa ferme infántia Christo consecrátam, illibátam ad óbitum usque custodívit; et innúmeris virtútum corónis insígnis, mirábili vitæ innocéntia excélluit : a Christo Sponso crebris, ac dúlcibus allóquiis recreáta, dolórum, ac vúlnerum ejus párticeps fieri méruit : tandem dono prophetíæ, miráculis, ac doctrína præfúlgens, victo, ac triumpháto sæpe sæpius sátana, tértio Kaléndas Maji ad Sponsi beátos ampléxus in cœlum ascéndit. Sepúlta est in Ecclésia sanctæ Maríæ supra Minérvam urbis, quam Pius Secúndus in sanctárum Vírginum númerum adscrípsit. Lambésæ, etc.

## MAJO.

5 Romæ sancti Pii Quinti Papæ et Confessóris, ex Ordine Prædicatórum, qui cleri, populíque móribus strénue reformátis, hærésibus ubíque compréssis, victória navàli apud Naupáctum Christiánis a Deo exoráta, boni Pastóris partes omnes implévit. Alexandríæ sancti Euthymii Diáconi, etc. in Mart. Rom. quarto loco.

7 Commemorátio sacrosánctæ Corónæ Spíneæ Dómini.

Terracínæ in Campánia natális, etc. in Mart. Rom. secundo loco, ac ultimo loco : Octáva sanctæ Catharínæ Senénsis, etc.

10 Floréntiæ sancti Antoníni ejúsdem urbis Archiepíscopi Ordinis Prædicatórum, ob doctrínæ et sanctitátis præstántiam invítus ad Episcopátum raptus, misericórdia ac pietáte illústris, sacerdotáli quoque zelo mirífice excéllens, prudéntia et consílio ádeo célebris fuit, ut

Antonínus consiliórum mérito vocarétur. Virtútibus et miráculis exímius ætátis anno septuagésimo in cœlum migrávit sexto Nonas Maji. Sepúltus in Ecclésia sancti Marci, magna pópuli veneratióne cólitur, Romæ, etc.

11 Cracóviæ in Polónia sancti Stanisláí Epíscopi et Mártyris, qui a Bolesláo ímpio Rege necátus est; ac natále recólitur octávo Idus Maji. Romæ via Salária, etc.

12 In monastério Aveirénsi Ordinis Prædicatórum natális beátæ Joánnæ Vírginis, Lusitániæ Infántis, Alphónsi Quinti Regis fíliæ : cujus ob singulária mérita Innocéntius Duodécimus de venerabílium sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinálium Sacris Rítibus præpositórum consílio, in toto regno Portugálliæ, nec non in univérso Prædicatórum Ordine Missam, et Offícium de Commúni uníus Vírginis non Mártyris celebrári permísit. Romæ via Ardeatína, etc. et ultimo loco : Octáva sancti Pii Papæ Quinti.

13 Cremónæ beáti Albérti Villaconiénsis agri Bergómatis, Tértii Ordinis nostri, miráculis clari, cujus depositio fuit die séptima Maji. Romæ dedicátio, etc.

14 Scalbi in Lusitánia deposítio beáti Ægídii e pago Vaozéllæ, Ordinis nostri, pœniténtiæ et miraculórum fama conspícui. Natális sancti Bonifácii, etc.

15 Medioláni Convérsio sancti Augustíni Epíscopi et Confessóris, atque Ecclésiæ Doctóris, cujus dies ágitur tértio Nonas Maji. In Hispánia, etc.

16 Pragæ in Bohémia sancti Joánnis Nepomucéni Metropolitánæ Ecclésiæ canónici, qui frustra tentátus ut sigilli sacramentális fidem próderet, in flumen Moldávam dejéctus, martyrii palmam eméruit. In Isaúria natális, etc.

19 Romæ sancti Pudéntis, etc. ponitur primo loco, secundo : Sanctæ Pudentiánæ, tertio : Sanctórum Calóceri, et Parthénii, quarto : Sancti Petri de Moróno.

20 Perúsiæ beátæ Colúmbæ de Reáte Vírginis Ordinis sancti Patris nostri Domínici, puritáte, patiéntia, atque abstinéntia conspícuæ. Romæ via Salária natális sanctæ Basíllæ, etc.

21 Aquilæ in Vestínis sancti Bernardíni Senénsis Confessóris Ordinis Minórum, cujus natális dies est tertiodécimo Kaléndas Júnii. In Mauritánia, etc.

22 Apud Trajéctum sancti Servátii Tungrénsis Ecclésiæ Epíscopi, ad cujus méritum ómnibus demonstrándum, quum témpore híemis ómnia in circúitu nix repléret, sepúlchrum ejus numquam opéruit, donec indústria cívium Basílica super illud ædificáta est. Romæ, etc.

24 Bonóniæ Translátio sancti Patris nostri Domínici Confessóris témpore Gregórii Papæ Noni : cujus sacrum corpus inter ália miraculórum insígnia, quum in digniórem locum transferrétur, tantam suavissimórum odórum fragrántiam exhalávit, ut ánimos ómnium mira voluptáte compléret : ita egrégie contestánte Deo quam grata sibi fúerit apostólici viri præclára sanctimónia. Antiochíæ, etc.

25 Floréntiæ sanctæ Maríæ Magdalénæ de Pazzis Vírginis ex Ordine beátæ Maríæ de monte Carmélo, cujus virgíneum corpus ibídem servátur incorrúptum. Romæ via Numentána, etc.

27 Natális sancti Joánnis Papæ, et Mártyris, etc. ut in Martyrologio Romano secundo loco, et sequitur ut ibi.

28 Floréntiæ beátæ Maríæ Bartholomææ de Bagnésiis Vírginis Tértii Ordinis sancti Domínici, quæ váriis, ac diutúrnis cruciátibus tentáta, crucifíxo Sponso méruit conformári. In Sardínia, etc.

31 Venétiis beáti Jacóbi Salomónii Ordinis Prædicatórum, qui sancti Patris Domínici exémplar totum in sese exprímere cúpiens, virginitátem, humilitátem, charitátem in Deum, et próximos imprætermisse cóluit : quem étiam Dóminus prophetíæ dono, ac miraculórum glória illústrem fecit. Ejus festum per áliquot Romános Pontífices apud Foroliviénses, et Vénetos primum institútum, demum Gregórius Quintusdécimus in toto Prædicatórum Ordine célebre réddidit.

Aquiléjæ sanctórum Mártyrum Cántii, etc. ut in Mart. Rom. secundo loco, et ultimo loco ponitur : Romæ sanctæ Petronillæ, etc.

## JUNIO.

2 Sandomiriæ pássio quadragintanóvem Mártyrum Ordinis Prædicatórum, qui verbis iisdem prídie móniti, et sacro huic catálogo præinsérti, Deíparam devóte in templo salutántes ab infidélibus una hora trucidáti sunt. Romæ natális, etc.

4 Medioláni Translátio sancti Petri Mártyris Ordinis Prædicatórum. Romæ sanctórum, etc.

5 Agnóni in citerióri Aprútio sancti Francísci, etc. ut in Martyrologio Romano prídie Nonas Junii. In Ægypto natális, etc.

10 Budæ natális beáti Joánnis Domínici Archiepíscopi Ragusíni, et sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális, qui in aboléndo schísmate plúrimum laborávit, et morum sanctitáte effúlsit in Ecclésia Dei. Romæ, etc.

18 Mántuæ beátæ Osánnæ Vírginis Tértii Ordinis sancti Patris Domínici, quæ adhuc septénnis virginitátem Deo vovit, illámque jejúniis,

cilíciis, flagéllis, aliísque córporis cruciátibus illibátam usque ad mortem custodívit. Romæ via Ardeatína, etc.

20 Romæ sanctórum Mártyrum Marci, et Marcelliáni, quorum natális dies fuit quartodécimo Kaléndas Júlii. Natális sancti Silvérii, etc.

22 In monte Araratli pássio sanctórum Mártyrum decem míllium crucifixórum. Apud Nolam Campániæ, etc.

# JULIO.

3 Romæ via Aurélia natális sanctórum Mártyrum Processi, et Martiniáni, qui a beáto Petro Apóstolo in custódia Mamertíni baptizáti, sub Neróne oris contusiónem, equúleum, nervos, fustos, flammas, scorpionésque perpéssi, novíssime gládio cæsi, martyrio coronáti sunt sexto Nonas Július. Alexandríæ, etc.

7 Perúsiæ beáti Benedícti Undécimi Tarvisini ex Ordine Prædicatórum, qui brevi Pontificátus sui spátio Ecclésiæ pacem, disciplínæ restauratiónem, religiónis increméntum mirífice promóvit. Romæ sanctórum Mártyrum Claúdii, etc.

9 In óppido Gorcomiénsi beáti Joánnis Coloniénsis Ordinis Prædicatórum, aliorúmque sociórum qui pro Ecclésiæ Románæ primátu, et Eucharística Christi præséntia martyrium consummárunt. Romæ, etc.

13 Génuæ beátus Jacóbus Ordinis Prædicatórum Archiepíscopus Genuénsis, qui doctrína, prædicatióne, sanctitáte, miraculísque cláruit. Romæ sancti Anacléti, etc.

16 Wratisláviæ beáti Céslai Confessóris Ordinis sancti Patris nostri Domínici, a quo Romæ hábitum religiónis suscépit, cujus étiam virtútes imitári stúduit, zelo salútis animárum flagrans, totam Silésiam pédibus peragrávit, plurimósque verbo, et exémplo ab erróribus ad fidem, a peccátis ad pœniténtiam perdúxit. Sebáste in Arménia, etc.

18 Commemorátio beátæ Maríæ Vírginis de monte Carmélo. Tibure sanctæ Symphorósæ, etc.

19 Parísiis sancti Vincéntii a Paulo Sacerdótis, et fundatóris Congregatiónis Missiónis, et Puellárum charitátis, viri apostólici, et paúperum patris, qui obdormívit in Dómino quinto Kaléndas Octóbris. Natális sancti, etc.

20 Antiochíæ pássio sanctæ Margarítæ Vírginis, et Mártyris. In monte Carmélo, etc.

21 Sancti Hierónymi Æmiliáni Confessóris Congregatiónis Somáschæ institutóris, quem plúribus in vita, et post mortem miráculis

illústrem Benedíctus Decimusquártus Beatórum, Clémens vero Decimustértius Sanctórum fastis solémniter adscrípsit. Romæ, etc.

23 Urbevéteri in Etrúria beátæ Joánnæ, vulgo Vannæ appellátæ, Vírginis Tértii Ordinis Prædicatórum, singulári morum innocéntia, rerum divinárum contemplatióne, cœléstium charismatum cópia illústris. Natális sancti Apollináris, etc.

24 Romæ sancti Camílli de Lellis Confessóris, clericórum Regulárium infírmis ministrántium institutóris, quem virtútibus, et miráculis clarum Benedíctus Decimusquártus Póntifex Máximus Sanctórum número recénsuit. Tyri in Túscia, etc.

28 In óppido sancti Germáni diœcésis Vercellénsis beátus Antónius ab Ecclésia Ordinis Prædicatórum, vir sanctitáte, móribus, religióne, ac sciéntia clarus. Romæ pássio, etc.

30 Calarógæ in Hispánia beáti Mannis sancti Patris Domínici germáni fratris, qui sinceritáte, et simplicitáte pollens, et contemplatióni déditus, innúmeris auctus méritis in monastério Cisterciénsium sancti-Petri de Gúmiel sancto fine quiévit miráculis clarus. Romæ, etc.

# AUGUSTO.

2 Rupefideli in Hispánia beátæ Joánnæ de Axa, matris beatíssimi Patriárchæ Domínici, quæ exímia virtúte, ac pietáte Deo amábilis Calarógæ obdormívit in ósculo Dómini. Romæ in Cœmetério, etc.

4 Bonóniæ sanctíssimi Patris nostri Domínici Confessóris fundatóris Ordinis Fratrum Prædicatórum, viri illustríssimi, sánguinis nobilitáte, sanctitáte, et doctrína claríssimi, qui virginitátem perpétuo illibátam servávit, et ob singulárem meritórum grátiam tres mórtuos suscitávit, quumque prædicatióne sua hæreses compressísset, ac plúrimos ad religiósam ac piam vitam instituísset; octávo Idus mensis hujus, ínclytis opéribus digna perceptúrus præmia, in cœlum evolávit; ejus tamen festívitas ex Constitutióne Pauli Papæ Quarti hac die celebrátur. Thessaloníсæ natális beáti Aristárchi, etc.

8 Lucériæ beáti Augustíni Epíscopi et Confessóris Ordinis sancti Patris Domínici, qui humilitáte, patiéntia, et misericórdia erga paúperes mirabíliter enítuit; Lucerínam Ecclésiam Sarracenórum erróribus inféctam oratióne, prædicatióne, morúmque sanctitáte felíciter expurgávit. Romæ sanctórum Mártyrum, etc.

9 Floréntiæ beáti Joánnis de Salérno Confessóris Ordinis nostri, qui religiónis hábitu a sancto Patriárcha Domínico accépto, ejúsque imitátus virtútes, ad Ordinem nostrum propagándum per Etrúriam missus,

Floréntiæ multum pro fide laborávit, præsértim contra hæréticos Paterénos prædicatióne. Romæ sancti Románi, etc.

11 Octáva sancti Patris nostri Domínici. Romæ inter duas lauros, etc.

14 Vigília Assumptiónis beátæ Maríæ Vírginis.

Asculi in Picéno sancti Emygdii Epíscopi, et Mártyris, qui a sancto Marcéllo Papa Epíscopus ordinátus, et illuc ad prædicándum Evangélium missus, in confessióne Christi sub Diocletiáno Imperatóre martyrii corónam accépit. Romæ natális beáti Eusébii, etc.

16 Cracóviæ in Polónia sancti Hyacinthi Confessóris Ordinis Prædicatórum, qui a mánibus sancti Patris nostri Domínici hábitum sacræ religiónis accípiens, admirábili vitæ innocéntia, et doctrína excélluit: siccis pédibus ingéntia flúmina trajécit, et miraculórum glória ínclytus fuit: dúlcibus sacræ Dei Genitrícis allóquiis dignus: virginitáte insígnis, ac Spíritu sancto plenus: tandem carne depósita ad ætérna præmia evocátus est ipso die Assumptiónis beátæ Maríæ, quem Clemens Papa Octávus in Sanctórum númerum rétulit. Romæ sancti Titi, etc.

17 Vercéllis beátæ Æmíliæ Vírginis sanctimoniális Ordinis nostri, quæ in oratióne versáta, desidério Christi dolóres experiéndi flagrávit. Octáva sancti Lauréntii Mártyris. Carthágine, etc.

18 In Gállia Narbonénsi apud montem Pessulánum depositio beáti Rochi Confessóris, qui multas Itáliæ urbes a morbo epidémiæ signo crucis liberávit: cujus corpus Venétias póstea translátum, et in Ecclésia ejus nómini consecráta honorificentíssime cónditum fuit. Prænéste natális sancti Agapíti, etc.

21 Molíni in Gállia sanctæ Joánnæ Francíscæ Frémiot de Chantal Sanctimoniálium Visitatiónis sanctæ Maríæ fundatrícis, nobilitáte géneris, sanctimónia vitæ, quam in quadrúplici statu constánter duxit, et miraculórum grátia conspícuæ, a Cleménte Decimotértio in Sanctárum númerum relátæ. Romæ in agro Veráno, etc.

23 Mevániæ in Umbria natális beáti Jacóbi Confessóris Ordinis Prædicatórum, qui renascéntem in Umbria Nicolaitárum hæresim profligávit, multísque miráculis cláruit.

In fine lectionis hujus diei addatur: Item octáva sancti Hyacinthi.

Vigília sancti Bartholomæi Apóstoli.

26 Tudérti sancti Philíppi Benítii Florentíni Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis propagatóris, in quo summa humílitas refúlsit, ob quam suprémam étiam Ecclésiæ tiáram sibi oblátam fúgiens recusávit: cujus natális dies est décimo Kaléndas Septémbris. Romæ, etc.

30 Limæ in regno Peruáno sanctæ Rosæ Vírginis e tértio Ordine sancti Patris Domínici, quam Clemens Nonus Románus Póntifex primum

ab India Occidentáli sanctitátis florem appellávit. Hæc primo ætátis quinquénnio vovit virginitátem : a Christo mirabiliter in Sponsam cooptáta, cum puríssimæ vitæ innocéntia aspérrimam pœniténtiam conjúnxit, plúrimis clara miráculis. Romæ, via Ostiénsi, etc.

# SEPTEMBRI.

4 Octava sancti Augustíni Episcopi. In monte Nebo, etc.

5 In Pedemóntio beátæ Catharínæ Raconixiénsis Vírginis tértii Ordinis Prædicatórum, quæ mira charitáte, et divinórum charísmatum ubertáte refúlsit.

7 Vitérbii beátæ Rosæ Vírginis.

Cabillóne in Gállia sancti Marcélli Mártyris, etc. ut in Mart. Rom. pridie Nonas Septembris secundo loco : Nicomédiæ natális beáti Joánnis Mártyris, etc.

15 Commemorátio sancti Patris nostri Domínici in Soriáno.

Romæ via Numentána, etc. ultimo loco.

Item Octáva Nativitátis beatíssimæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ.

16 Bonóniæ commemorátio pretiósæ mortis beátæ Iméldæ Vírginis Ordinis Prædicatórum, quæ post percéptum sanctíssimæ Eucharistíæ sacraméntum, quod flagitánter expetíerat, impar pro sustinéndo intensíssimo charitátis incéndio effécta; consummáto statim vitæ trámite, cœlum regnatúra hóstia charitátis felíciter intrávit. Chalcédone natális sanctæ Euphémiæ, etc.

18 Romæ via Appia beáti Cornélii Papæ, etc. in Mart. Rom. decimo-octavo Kalendas Octobris secundo loco.

In Africa pássio sancti Cypriáni, etc. ibidem tertio loco.

Passi sunt étiam ibídem, etc. in eodem Mart. quarto loco. Eódem die natális sancti Methódii, etc.

20 Córdubæ in regno Vandalíciæ Hispaniárum beáti Francísci de Possédas Ordinis Prædicatórum, qui apostólica prædicatióne, pœniténtiæ sacraménti administratióne, austeritáte, ac innocéntia vitæ mirabíliter cláruit.

Vigília sancti Matthæi Apóstoli, et Evangelístæ. Cyzici in Propóntide, etc.

23 Icónii in Licaónia sanctæ Theclæ Vírginis, et Mártyris, etc. ut in Mart. Rom. secundo loco. Romæ sancti Lini Papæ et Mártyris, etc. in eodem Mart. primo loco. In Campánia, etc.

24 Gerúndæ beáti Dalmátii Monérii Confessóris Ordinis sancti Patris Domínici, duríssima austeritáte, et admirábili abstinéntia conspícui,

qui propter familiárem cum Angelo consuetúdinem, frater cum Angelo loquens públice dicebátur. Augustodúni natális, etc.

25 Valéntiæ in Hispánia sancti Thomæ de Villanóva, Epíscopi et Confessóris, propter fragrántem in paúperes charitátem insígnis; cujus natális dies est sexto Idus Septémbris. In Castéllo, etc.

26 Festum beátæ Maríæ Vírginis de Mercéde. Nicomédiæ, etc.

28 Auxími in Picéno sancti Joséphi a Cupertíno Confessóris Ordinis Minórum Conventuálium, quem Clemens Tertiusdécimus in Sanctórum númerum rétulit.

In Bohémia sancti Wenceslái ducis Bohemórum, et Mártyris, sanctitáte et miráculis gloriósi. Romæ sancti Priváti, etc.

# OCTOBRI.

1 Romæ pássio sanctórum Mártyrum Eustáchii, et Theopísti, etc. ut in Mart. Rom. duodecimo Kalendas Octobris secundo loco. Rhemis in Gállia, etc.

Sabbato ante Dominicam primam Octobris post pronuntiationem Lunæ, legitur: Commemorátio sanctæ Maríæ de Victória, quam sanctus Pius Quintus Póntifex Máximus ob insignem victóriam a Christiánis bello navâli, ejúsdem Dei Genitrícis auxílio, hac ipsa die de Turcis reportátam, quotánnis fieri instituit: Gregórius vero Tertiusdécimus ánnuam solemnitátem Rosárii ejúsdem beatíssimæ Vírginis Domínica prima hujus mensis ob eámdem causam celebrándam decrévit.

2 Commemorátio sanctórum Angelórum Custódum. Nicomédiæ, etc.

3 Limæ in América Meridionáli beáti Joánnis Massías Hispáni, qui terrénis ómnibus abdicátis, Prædicatórum Ordinis institútum inter convérsos proféssus est: mira humilitáte, patiéntia, et integritáte vitæ effúlsit, ac miráculis cláruit. Romæ ad Ursum Pileátum, etc.

7 Viglévani in Insúbria beáti Matthæi Carrérii Mantuáni Confessóris Ordinis Prædicatórum.

Apud Augústam Euphratésiam sanctæ Júliæ Vírginis, etc. ut in Mart. Rom. quarto loco.

10 Valéntiæ in Hispánia Tarraconénsi sancti Ludovíci Bertrándi Ordinis Prædicatórum, qui ad Occidentáles Indos missus, quum tantum Hispánico sermóne, illis ignóto, prædicáret, innúmeros ad christiánam fidem addúxit, ac multis in vita, et post mortem, quæ séptimo Idus Octóbris secúta est, miráculis clarus, a Paulo Quinto Beatórum número, et a Cleménte Décimo Sanctórum albo adscríptus est. In Creta, etc.

11 In território Atrebaténsi pássio beáti Leodegárii Augustodunénsis Epíscopi, quem váriis injúriis, et divérsis supplíciis pro veritáte afflictum Ebroinus Majordómus Regis Theodoríci interfécit sexto Nonas Octóbris.

Item sancti Gueríni Mártyris fratris ejúsdem beáti Leodegárii, qui ibídem lapídibus óbrutus est.

Tharsi in Cilícia natális, etc. et ultimo loco : Octáva sancti Francisci Confessóris.

12 Bonóniæ beáti Jacóbi Alemánni láici Ordinis Prædicatórum, quem Deus in exercítio heroicárum virtútum, ac præcípue in humilitáte exímia, cœlo amábilem, et terris mirábilem, effécit. Ravénnæ, etc.

14 In óppido Tridinénsi beátæ Magdalénæ de Panatériis Vírginis Ordinis nostri, quæ innocéntiam simul et patiéntiam conjúngens, prométruit donis cœléstibus insigníri, ac tandem méritis et virtútibus plena, repósitam in cœlo corónam accépit. Romæ via Aurélia, etc.

17 Antiochíæ natális sancti Herónis, etc. in Mart. Rom. et ultimo loco : Eódem die octáva sancti Ludovíci Bertrándi.

20 Romæ via Ardeatína deposítio sancti Marci Papæ et Confessóris, quæ fuit Nonis Octóbris.

Item sanctórum Mártyrum Sérgii, Bacchi, Marcélli, et Apuléji; quorum natális fuit Nonis Octóbris. In Aviénsi civitáte, etc.

23 Cortónæ beáti Petri Capútii a Tiférno Confessóris Ordinis nostri, qui jugi mortis meditatióne seípsum ad supérna diréxit, illiúsque prædicatióne non paucos pérditos hómines ad meliórem frugem perdúxit.

In Cypro sancti Hilariónis Abbátis, cujus vitam virtútibus atque miráculis plenam sanctus Hierónymus scripsit : óbiit duodécimo Kaléndas Octóbris. Jerosólymis beáti Marci, etc.

23 Vicéntiæ beáti Bartholomæi de Bragántia Epíscopi et Confessóris Ordinis sancti Patris Domínici, Nimociénsi primum, deinde Vicentínæ Ecclésiæ præpósiti, atque insuper Gregórii Noni, cui a consíliis fuit, aliísque Summis Pontifícibus, nec non Ludovíco Galliárum Regi ob insígnem sanctitátem, et labóres ad cathólicam religiónem amplificándam acceptíssimi. In Hispánia prope Gades, etc.

24 Festum sancti Raphaélis Archángeli. Venúsiæ in Apúlia, etc.

29 Forojúlii Carnósum beátæ Benvenútæ Bojáni Vírginis Ordinis nostri, quæ pœniténtia, oratióne, et humilitáte flóruit. In Lucánia, etc.

30 Commemorátio sanctórum Mártyrum, et aliórum Sanctórum, quorum córpora, vel relíquiæ in Ecclésiis nostris asservántur. In Africa, etc.

# NOVEMBRI.

3 In óppido sancti Archángeli prope Aríminum beáti Simónis Confessóris Ordinis Prædicatórum, qui licet præcláro génere natus, inter láicos adscribi vóluit, et ad decrépitam usque ætátem humilitáte, et obediéntia mirabíliter effúlsit. Natális, etc.

5 Limæ in América Meridionáli beáti Martíni Porres Tertiárii Ordinis Prædicatórum, qui votis Deo solémniter nuncupátis, vitæ integritátem aspérrima cum pœniténtia ita sociávit, ut miris prodígiis ante, et post mortem claréscere meruérit. Sancti Zacharíæ Sacerdótis, etc.

Sabbato ante Dominicam secundam Novembris post pronuntiationem Lunæ, legitur : Festum Patrocínii beatíssimæ semper Vírginis Maríæ.

9 Festívitas ómnium Sanctórum Ordinis nostri. Romæ dedicátio, etc.

10 Romæ via Lavicána natális sanctórum Quátuor Coronatórum fratrum, Sevéri, Severiáni, Carpóphori, et Victoríni, qui sub Diocletiáno Imperatóre íctibus plumbatárum usque ad mortem cæsi sunt. Horum autem nómina, quæ póstea, interjéctis annis, Dómino reveláníte, osténsa sunt, quum mínime reperíri tunc potuíssent, statútum fuit, ut anniversária dies ipsórum, quæ est sexto Idus Novémbris, una cum áliis quinque, qui sub eódem Diocletiáno, et ipsa eádem die passi referúntur, sub nómine sanctórum Quátuor Coronatórum recolerétur, qui mos étiam, postquam reveláta sunt, in Ecclésia perseverávit. Eódem die, etc.

12 Romæ dedicátio Basílicæ Salvatóris, cujus dies ágitur quinto Idus Novémbris. Natális sancti Martíni Papæ, etc.

14 Cáccabi in Sicília beáti Joánnis Liccii Confessóris Ordinis Prædicatórum, qui máxima dicéndi de rebus divínis vi, charitáte in próximos, Rosárii propagatióne, reguláris disciplínæ stúdio, alíisque virtútibus conspícuus, annos natus centum et úndecim quiévit in Dómino. Herácleæ in Thrácia, etc.

15 Colóniæ Agrippínæ beáti Albérti Magni Epíscopi et Confessóris ex Ordine Prædicatórum, cui ipsa Deípara Virgo in visu conspícua revelávit, Deum disposuísse per ejus doctrínam mirífice suam illustráre Ecclésiam : váriis in vita, et post mortem cláruit miráculis. Eódem die natális sancti Eugénii, etc.

16 Ferráriæ beátæ Lúciæ de Nárnia Vírginis Ordinis sancti Patris Domínici, cujus corpus incorrúptum Ferráriæ summa veneratióne cólitur. Obiit decimoséptimo Kaléndas Decémbris, sed ejus festívitas hódie celebrátur. Sanctórum Mártyrum Elpídii, Marcélli, etc.

26 Neápoli in Campánia natális sancti Andréæ Avellini clérici Reguláris, sanctitáte, et stúdio procurándæ proximórum salútis percélebris, quem miráculis clarum Clemens Undécimus Sanctórum catálogo adscripsit. Alexandríæ natális sancti Petri, etc.

27 Albæ Pompéjæ in Subalpinis beátæ Margarítæ de Sabaúdia víduæ, quæ régia stirpe génita, spreto sæculi principátu, splendidissimisque núptiis invícte recusátis, Ordinem sancti Patris Domínici ampléxa, calúmnias, ægritúdines, persecutiónes e cœlo sub trium lanceárum typo sibi præosténsas fórtiter excépit, ac per arctam patiéntiæ sémitam Paradisum ádiit.

Bonóniæ sanctórum Mártyrum Vitális, et Agrícolæ, quorum prior posterióris servus ántea fuit, póstea consors et colléga martyrii : in quem persecutóres ómnium tormentórum génera exercuérunt, ita ut non esset in córpore ejus sine vúlnere locus : quæ constánter pérferens, in oratióne spíritum Deo réddidit : Agricolam vero plúrimis clavis cruci affigéntes, interemérunt. Eórum translatióni sanctus Ambrósius quum interésset, Mártyris clavos, sánguinem triumphálem, et crucis lignum se collegisse refert, ac sub sacris altáribus condidisse. Quorum Festum fuit prídie Nonas Novémbris. In Pérsia sancti Jacóbi, etc.

## DECEMBRI.

7 Mediolani Ordinátio sancti Ambrósii, etc. ut in Mart. Rom. in quo ultimo loco : Item octáva sancti Andréæ Apóstoli.

10 Lauréti in Picéno Translátio sacræ Domus Dei Genitrícis Maríæ, in qua Verbum caro factum est. Romæ sancti Melchíadis, etc.

15 Ordinátio sancti Eusébii Vercellénsis Epíscopi et Mártyris.

In Africa sancti Valeriáni, etc. ut in Mart. Rom. ubi ultimo loco : Octáva Conceptiónis beátæ Maríæ Vírginis.

16 Génuæ beáti Sebastiáni Mággii Confessóris Ordinis nostri, qui virtútum exémplo, et prædicatióne verbi Dei, in áliquot Itáliæ úrbibus sólidam pietátem confirmávit. Trium puerórum Ananiæ, etc.

18 Expectátio Partus beátæ Maríæ Vírginis. Philippis in Macedónia, etc.

20 In Hispánia depositio sancti Domínici de Sylos, Abbátis Ordinis sancti Benedicti, miráculis in captivórum liberatióne celebérrimi.

Vigília sancti Thomæ Apóstoli. Alexandríæ sanctórum Mártyrum Ammónis, etc.

# FESTA MOBILIA.

*Præter mobilia Festa, quæ pro universali Ecclesia ad initium Martyrologii Romani annotata reperiuntur, ac ea quæ in corpore hujus Martyrologii habentur, hæc alia Ordo Prædicatorum celebrat, nimirum :*

Feria secunda post Dominicam Septuagesimæ.

**Festum Oratiónis Dómini nostri Jesu Christi in monte Olivéti.**

Feria secunda post Dominicam Sexagesimæ.

**Festum solémnis Commemoratiónis domínicæ Passiónis.**

Feria quarta ante Dominicam Quinquagesimæ.

**Festum Commemoratiónis sanctæ Catharínæ Senénsis Vírginis Ordinis Prædicatórum.**

Feria quinta post Dominicam primam Quadragesimæ.

**Festum Lánceæ et Clavórum Dómini nostri Jesu Christi.**

Feria quinta post Dominicam secundam Quadragesimæ.

**Festum sacratíssimæ Síndonis Dómini nostri Jesu Christi.**

Feria quinta post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

**Festum Quinque Vúlnerum Dómini nostri Jesu Christi.**

Feria quinta post Dominicam quartam Quadragesimæ.

**Festum pretiosíssimi Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi.**

Feria quinta in Octava Corporis Christi.

**Festum sanctíssimi Cordis Jesu.**

# INDEX SANCTORUM ET BEATORUM

## MARTYROLOGII ORDINIS PRÆDICATORUM.

# MARTYROLOGIUM

## ROMANO-SERAPHICUM

### SANCTORUM ET BEATORUM

## TRIUM ORD. S. P. N. FRANCISCI

AC PECULIARIUM ALIQUOT OFFICIORUM, QUÆ IN IISDEM ORDINIBUS RECITANTUR,

**A SS. D. N. PIO PAPA VI.**

APPROBATUM

**PRO OMNIBUS UTRIUSQUE SEXUS MIN. GEN. TOTIUS ORD. MINORUM SUBJECTIS, NEC NON PRO IIS OMNIBUS, QUI KALENDARIO ET BREVIARIO EJUSDEM ORDINIS UTUNTUR.**

---

**E**TSI *notissima Gregorii XIII. Sanctione, quæ die 14. Januarii 1584. promulgata est, vetitum omnino sit, Romano Martyrologio alia Sanctorum nomina inserere; nihilominus, cum ex ejusdem Summi Pontificis benignitate additum fuerit, ut Ordines, ac peculiares Ecclesiæ*, Si quos alios habuerint Sanctos, in suis Ecclesiis, ac locis celebrari solitos, separatim descriptos habeant: *hinc nos, quibus a primævo Ordinis nostri exortu, ad hæc usque tempora, obsequentissima erga apostolicas Constitutiones insedit veneratio, benignæ Sanctitatis suæ concessioni inhærentes, peculiare Sanctorum aliquot Martyrologium elucubrandum, edendumque curavimus. Illud vero sic habet: Eorum cum primis nomina, qui e cœtu seraphico sanctitatis fama claruerunt, et quorum nulla in communi Martyrologio fit mentio, licet apud nos Festum, aut Officium ex apostolico Indulto celebretur, hic atteximus. Deinde, eos item Sanctos, Beatosque inseruimus, qui vel in ipso Romano occurrunt Martyrologio: non jam, ut paginas impleamus, sed ut Ecclesiarum nostri Ordinis commoditati, et rei, quam agimus, integritati consulamus. Par enim est, ut Sanctorum seraphicæ familiæ agmen sub una sacrorum Festorum serie comprehendatur, atque ita, uno veluti obtutu, oculis obversetur, ac animo inhæreat. Præterea, alia item adjicimus Sanctorum nomina, quæ in Romani Martyrologii tabulis recensentur, vel etiam omittuntur (hi vero pauci sunt) etsi ad Ordinem seraphicum non pertineant, modo a nobis eorum memoria peculiari festo, vel ritu recolatur. Cumque in postrema Martyrologii editione, peculiari sanctissimi Domini Benedicti XIV. Decreto, nonnulla Sanctorum elogia aut ex integro conflata fuerint, aut etiam castigata, pontificiæ Sanctioni, ac emendationi obsequimur accuratissime. Quapropter, cum*

*in editione Breviarii, et Missalis nostri Ordinis, facta juxta Kalendarium Romano-Seraphicum noviter dispositum, nonnullorum Sanctorum, ac Beatorum festivitatibus assignata sit alia dies ab illa, quæ iisdem in veteri Breviario, et Missali fuerat constituta; et idcirco necessaria visa sit etiam nova Martyrologii Trium Ordinum S. P. N. Francisci editio, in qua Sanctorum, ac Beatorum ipsorum festivitates sub die enuntientur in novo Kalendario præscripta, eidem pontificiæ Sanctioni, et emendationi semper, ut par est, obsequentes; eadem ipsa eorum elogia in hac nova editione fideliter exhibemus, ut nempe in laudato Martyrologio sub Pontifice Maximo Benedicto XIV. impressa leguntur. At quoniam post Martyrologii editionem sub tanto Pontifice factam varia Ordini nostro ab apostolica Sede concessa fuerunt Sanctorum, ac Beatorum Trium Ordinum prædictorum Officia, horum proinde suis diebus addimus in hac nova editione nomina et elogia, sub die 12. Maji 1785. revisa, et approbata ab Eminentissimis, et Reverendissimis DD. Cardinalibus Boschi, Vicecomite, et Archinto, a SS. D. N. Pio Papa VI. pro moderatione, immutatione, et correctione Martyrologii hujusmodi die 29. Martii 1783. specialiter deputatis. Hisce vero, et eorum opportunis locis inseruntur nomina Sanctorum, qui licet Minorum cœtui adscripti non fuerint, horum tamen memoria a nostratibus non iisdem diebus, quibus ab Ecclesia universali celebratur; sicuti et illorum encomia, ut commodius enuntiari possint, quorum in Statu ecclesiastico, ac in Italia, et insulis adjacentibus Officium ab utroque clero de præcepto recitari debet. Post laudatorum denique Sanctorum agmen aliquorum eorumdem ponimus recentiorum nomina, quorum Officia in Ordine nostro eodem die ac in Ecclesia universali, recitantur, sed ipsorum elogia, utpote Romano Martyrologio nondum inserta, hinc inde captanda sunt. Quod vero ad modum, ac ordinem in lectione Martyrologii servandum attinet, Rubricas, ac regulas a Gregorio XIII. statutas, quarum in prælaudatis Litteris apostolicis mentio fit, ad unguem servandas esse, prout hactenus servatæ sunt, omnino præscribimus.*

# PIUS PAPA SEXTUS

## AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Religiosos Ordines, quos tanquam fertilia agri dominici plantaria circumspecta Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum providentia instituit, in visceribus paternæ gerentes charitatis, Fratrum Minorum Ordinem, viris sanctitate, pietate, religione, sacrarum, oisque ancillantium bonarum litterarum scientia, ac propriæ alienæque salutis studio maxime prædita, fulgentem, singularibusque in divinam Psalmodiam, et in hanc sanctam Sedem meritis conspicuum, peculiari apostolicæ dilectionis affectu complectimur; proinde eidem modo in id studium incumbenti, ut libri omnes divini Officii ad usum Professorum ipsius Ordinis, aliorumque quam emendatissimi, et ad recentiorum apostolicæ Sedis dispositionum normam exacti, legibusque nonnullis, et concessionibus ornati in lucem prodeant, libenter prospicimus, atque opportunæ provisionis remedium exhibemus, prout in Domino salubriter expedire conspicimus. Cum nos alias precibus dilecti filii Paschalis a Varisio, totius Ordinis Minorum sancti Francisci Ministri Generalis, Nobis humiliter porrectis, annuentes, ut editio Breviarii, Diurni, Missalis, et Martyrologii Romano-Seraphici denuo facienda juxta Kalendarium dicti Ordinis anno MDCCLXXXI. correctum, et a Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum approbatum, cumulate perfecta foret; dilectos filios nostros Antonium Eugenium Vicecomitem, Joannem Archintum, et Gregorium Salviati, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in revisores dictorum Operum cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis, ad hoc ut ipsi, et eorum singuli, si quæ in dictis Operibus moderanda, immutanda, et corrigenda, seu etiam expungenda reperissent, juxta datam ipsis a Domino prudentiam moderarentur, immutarent, corrigerent, et expungerent, deputaverimus; et quum, priusquam operi manus imponeretur, memoratus Gregorius Cardinalis Salviati, aliis curis distentus, correctioni, et moderationi hujusmodi incumbere haud posset, in ejus locum dilectum itidem filium nostrum Joannem Carolum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Boschi nuncupat. suffecerimus; semel, ac iterum, die nempe septima Septembris anni MDCCLXXXIV. et duodecima Maji currentis anni, memorati Cardinales Boschi, Vicecomes, et Archinto simul convenerunt, collatisque consiliis, imprimi posse statuerunt tum Breviarium, Diurnum, et Missale, tum Martyrologium, quod Romano-Seraphicum appellatur, his tamen expunctis, moderatis, immutatis, atque correctis, quæ longo, maturoque labore, ac diligentia, præmisso examine, immutanda, moderanda, corrigenda, aut etiam expungenda tunc censuerunt. Post hæc cum dictus Paschalis novum supplicem libellum Nobis porrexerit pro obtinendis Litteris apostolicis in simili forma Brevis, quibus non solum superius relata confirmarentur, sed etiam eæ constituerentur peculiares leges, facultatesque concederentur, quæ magis forent opportunæ pro usu, et promulgatione tum Breviarii, Diurni, et Missalis, tum Martyrologii præfatorum; Nos cum hasce preces eisdem Cardinalibus remiserimus, ac eumdem Ministrum Generalem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum

præsentium dumtaxat consequendum barum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, audita prius relatione dilecti filii Julii Mariæ de Somalia Congregationis dictorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris Ritibus præpositorum, necnon Congregationis dictorum trium Cardinalium, ut præfertur, deputatæ, Secretarii, de eorumdem Cardinalium Boschi, Vicecomitis, et Archinti consilio, cum Breviarium, Diurnum, et Missale, tum Martyrologium, in dictis Congregationibus die septima Septembris anni MDCCLXXXIV. et duodecima Maji currentis anni MDCCLXXXV. habitis approbata, cum omnibus, et singulis immutationibus, moderationibus, correctionibus quibuscumque, ac nonnullis in dicto Kalendario anni MDCCLXXXI. tunc decretis, Auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Præterea omnibus, et singulis Superioribus, Fratribus, aliisque quibuscumque personis cujuscumque gradus, et status, et quovis tempore dicto Ministro Generali pro tempore existenti quomodolibet subjectis, qui, et quæ ad Horas canonicas, sive in choro, sive extra illum recitandas tenentur, et tenebuntur, in quibuscumque provinciis, custodiis, conventibus, monasteriis, et locis tam citra, quam ultra montes, et maria, universoque in orbe degentibus, ut postquam Breviarium, Diurnum, Missale, et Martyrologium Romano-Seraphicum hujusmodi, ut præmittitur, emendata, correcta, et approbata in lucem prodierint, ac in suis respective locis evulgata fuerint, eadem, scilicet Breviarium, Diurnum, Missale, et Martyrologium Romano-Seraphicum, ita tamen, ne conventus, aut Religiosi oneri novarum expensarum citra necessitatem subjiciantur, ut veterum librorum usus, donec vetustate consumpti fuerint, continuare possint, dummodo servetur novissima eorumdem librorum forma, ideoque ea etiam recitentur omnia, quæ in eisdem correcta, vel innovata sunt, juxta impressionem, curante Ministro Generali præfato seorsim faciendam, hujusmodi correctionum, et innovationum adhibere, iisque omnino uti auctoritate, et tenore præfatis, in virtute sanctæ Obedientiæ præcipimus, et mandamus. Volumus insuper, ut pristinis Martyrologiis, Kalendariis, Breviariis, Diurnis, ac Missalibus in iis dumtaxat, quæ huic novissimæ ipsorum recognitioni, seu reformationi adversantur, abolitis in perpetuum, et suppressis, atque ipsorum usu interdicto, ea tamen ratione, quæ superius fuit expressa, tenor supradictorum librorum in omnibus servetur. Sublata Monialibus Ministro Generali hujusmodi pro tempore existenti subjectis, quæ vel jam nunc Breviario Fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupat. utuntur, vel illius usum inposterum sponte elegerint, facultate deinceps variandi, non obstant. Litteris fel. rec. Benedicti PP. XIV. prædecessoris nostri in simili forma Brevis pro approbatione Breviarii, Missalis, Kalendarii, et Martyrologii Fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupat. die decima sexta Febr. anni MDCCXLII. expeditis, necnon duobus Decretis memoratæ Congregationis Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum die vigesima tertia mensis Novembris anni MDCLXXXVI. et die trigesima Augusti anni MDCLXXXVII. editis, quibus auctoritate apostolica per præsentes derogamus, iisque in ea, quæ superius disposita, adversantur, derogare intendimus. Monialibus vero sanctæ Claræ, Tertii Ordinis sancti Francisci, Conceptionistis, Coletanis, de Annuntiata, aliisque peculiaris alicujus Breviarii recitationi nullo S. Sedis præcepto obstrictis, quæ vel sint Instituti, conjunctionem aliquam, seu connexionem in sui origine, aut progressu cum Ordine Minorum habentis, vel Breviario alicujus Instituti Minoritici legitime utantur, sive aliquando usæ fuerint; necnon personis tertii status Tertii Ordinis sancti Francisci choro non obligatis, etiam si Ministri Generalis Regulari directioni non subsint, Breviario, Diurno, Missali, ac Martyrologio Romano-Seraphicis, ita tamen, ut hactenus recensitæ, aliæque omnes personæ hanc facultatem habentes, vel habituræ, quæ usum illorum librorum jam elegerant, seu eligent, ad eosdem libros, quoad Kalendarium, Rubricas, cæterasque omnes, et singulas eorum partes, se debeant conformare, perpetuis futuris temporibus utendi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore prædictis confirmamus, et respective impertimur: sicuti pariter Monialibus omnibus, aliisque quibuscumque personis, quæ ex nostro, vel ex apostolicæ Sedis vel præcepto, vel facultate iisdem libris utuntur, aut postea utentur, ut Kalendarium respectivæ provinciæ, seu custodiæ, quod adhibent, seu adhibebunt, per omnia, etiam quoad Officia, et quaslibet Officiorum partes, quæ Fratribus ipsius provinciæ, seu custodiæ concessa, vel concessæ fuerunt, vel imposterum concedentur, sequi libere ac licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, salva tamen

semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum. Necnon, ut nemo tam in alma Urbe nostra, ac universa ecclesiastica ditione mediate, vel immediate Nobis, ac successoribus nostris Romanis Pontificibus subjecta, quam extra ditionem hujusmodi, Breviarium, Diurnum, Missale, et Martyrologium hujusmodi sine speciali dicti Paschalis a Varisio moderni, aut pro tempore existentis Ministri Generalis totius Ordinis Minorum sancti Francisci, toties, quoties imprimi contigerit, in scriptis obtenta licentia, imprimere, aut alibi, præterquam ut præfertur, impressa vendere, aut venalia habere, vel proponere possit, auctoritate, et tenore præfatis pariter concedimus, et indulgemus. Interdicentes propterea sub pœnis canonicis contentis in Constitutionibus apostolicis, Breviario, et Missali Romanis præfixis, quibuscumque personis quantumlibet speciali mentione dignis, quacumque de causa, et occasione faciant, aut fieri permittant, in futuris eorumdem librorum, ut supra approbatorum, editionibus, sine speciali licentia, et approbatione S. Sedis, nullam vel minimam additionem, detractionem, mutationem, insertionem, in aliquo ex iisdem libris, et signanter in Kalendario, ac Rubricis, exceptis tantummodo additionibus, mutationibus, correctionibus, et insertionibus in corpore eorumdem faciendis vi novarum concessionum S. Sedis circa Officia, eorumve Ritum, aut partem aliquam, seu aliquas, dummodo unaquæque hujusmodi innovatio consentanea procul dubio sit concessionibus ipsis, ac respective Rubricis generalibus, vel peculiaribus, talisque reapse esse judicetur a Religiosis sacrorum Rituum peritis in loco impressionis existentibus, atque ad id a respectivo Superiori Generali nominatim deputatis. Cæterum vero si aliquod, aut aliqua fuerint Sacrorum Rituum Congregationis præfatæ responsa sive edita antehac, dummodo versentur super capite aliquo, vel aliquibus, quæ in Rubricis peculiaribus decisa non sunt, sive imposterum edenda, quæ ad notitiam personarum recensitis libris utentium necessarium, vel utile sit deduci, ne sub iisdem pœnis, nisi integra, et ad verbum in loco separato, ac distincto, tum a Rubricis generalibus, et peculiaribus, tum a corpore respectivi libri, in ipso autem corpore, si opus sit, suo loco dumtaxat citanda, imprimi possint, prohibemus. Inhibentes insuper quibuscumque Christifidelibus, præsertim librorum impressoribus, et bibliopolis, sub stricto sanctæ Obedientiæ præcepto, et, quoad personas, Nobis et apostolicæ Sedi subjectas, etiam sub pœnis quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum, et typorum omnium Cameræ nostræ apostolicæ irremissibiliter applicand. ne Breviarium, Diurnum, Missale, et Martyrologium hujusmodi posthac perpetuis futuris temporibus, sine speciali Ministri Generalis præfati pro tempore existentis licentia, toties, quoties imprimi contigerit, in scriptis obtenta, et in libro eodem integre una cum præsentibus nostris Litteris imprimenda, typis imprimere, vel ab aliis sine ejusmodi licentia impressa vendere, aut venalia habere, vel proponere quoquomodo audeant, et præsumant: ac propterea omnibus, et singulis personis, quibus, juxta prædicta, alio Breviario, Diurno, et Martyrologio uti minime fas est, iisdem libris sine præfata licentia impressis, et evulgatis sub pœnis per Constitutiones Ordinis prædicti præscriptis, aliisque per dictum Ministrum Generalem pro tempore existentem super hoc infligendis, uti possint prohibemus. Mandantes propterea dilectis filiis nostris, et apostolicæ Sedis de Latere Legatis, seu eorum Vice-Legatis, ac Præsidentibus, et Gubernatoribus, Prætoribus, et aliis justitiæ ministris provinciarum, civitatum, terrarum, et locorum Status nostri ecclesiastici præfati, quatenus eidem moderno, et pro tempore existenti Ministro Generali in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, quandocumque ab eodem Ministro Generali fuerint requisiti, pœnas prædictas contra quoscumque inobedientes irremissibiliter exequantur. Decernentes, has præsentes Litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et spectabit, quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, ac Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. Constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, ac quibusvis aliis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentis nostræ prohibitionis Litteræ in principio, vel in fine dictorum Breviarii,

Diurni, Missalis, et Martyrologii Romano-Seraphici inserantur, et imprimantur, et ut eorumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vj. Septembris MDCCLXXXV. Pontificatus nostri anno undecimo.

PRO DOMINO CARD. DE COMITIBUS.

Loco ✠ Sigilli.

B. Mariscottus Substitutus.

# JANUARIO.

14 Romæ, sanctíssimi Nóminis Jesu Triúmphus, quem sanctus Bernardínus Senénsis, Martíni Quinti et Eugénii Quarti témpore reportávit. Clemens vero Séptimus Offícium solémne, ádditis indulgéntiis, quotánnis celebrándum concéssit. Sancti Hilárii, etc.

16 Marróchii in Africa, sanctórum Mártyrum Berárdi, Petri, Accúrsii, Adjúti, et Othónis, qui post públicam Christi confessiónem in cárcerem trusi; deinde flagéllis, et fústibus diríssime cæsi, et per totam noctem super téstulas volutáti, tandem abscisso cápite, primi ex Ordine Minórum Mártyres evolárunt in cœlum.

Romæ via Salária, natális sancti Marcélli, etc. et non repetitur: Marróchii, etc. sed immediate subjungitur: Areláte, sancti Honoráti, etc.

23 Jerosólymis, Desponsátio beátæ Vírginis Maríæ cum sancto Patriárcha Joseph. Barcinóne, sancti Raymúndi, etc.

28 Panórmi, beáti Matthæi ab Agrigénto, ejúsdem civitátis Epíscopi, Confessóris, Ordinis Minórum, sancti Bernardini Senénsis sócii, ejúsque virtútum, ímprimis vero pietátis erga Deíparam, et sanctíssimum Nomen Jesu imitatóris claríssimi, qui sancte gesto, ac póstea dimisso episcopáli múnere, quiévit in Dómino séptimo Idus Januárii, miraculórum fama, cultúque immemorábili apostólica auctoritáte comprobáto, insígnis. Romæ, sanctæ Agnétis secúndo, etc.

30 Vitérbii, sanctæ Hyacínthæ de Mariscóttis Vírginis, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci, pœniténtia, et charitáte insígnis, quam Benedictus Decimustértius inter beátos; Pius vero Séptimus inter

Sanctos cum Christo regnántes, solémniter declarárunt. Romæ, sanctæ Martínæ, etc.

31 Romæ, beátæ Ludovícæ de Albertónibus víduæ, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci, vita, et miráculis claræ.

Barcinóne in Hispánia, etc. nec repetatur: Ibidem, beátæ Ludovícæ, etc. circa finem hujus Lectionis.

# FEBRUARIO.

1 Pilei prope Anágniam in Látio, beáti Andréæ de Comítibus Confessóris, Ordinis Minórum, qui rejécta cardinalítia dignitáte, in simplicitáte ac humilitáte vitam egit, et post óbitum miráculis cláruit. Natális sancti Ignátii, etc.

3 Apud Utinum in Foro-Júlio, beáti Odoríci Confessóris, Ordinis Minórum, vitæ austeritáte, humilitáte, sciéntia, et oratióne conspícui, qui suis ferventíssimis conciónibus multa infidélium míllia convértit ad Christum, et miraculórum fama clarus, post várias peregrinatiónes, decimonóno Kaléndas Februárii migrávit ad Dóminum. Sebáste in Arménia, etc.

4 In óppido Amatrícis Reatínæ diœcésis, depositio sancti Joséphi a Leonissa, Ordinis Minórum Capuccinórum, quem ob fídei prædicatiónem a Mahumetánis dira perpéssum, apostólicis labóribus, et miráculis clarum, Benedíctus Decimusquártus Póntifex Máximus in Sanctórum cánonem rétulit.

Floréntiæ, sancti Andréæ Corsíni, etc. nec repetitur: In óppido, etc.

5 In regno Japóniæ, pássio vigíntisex Mártyrum, e quibus sex, nímirum Petrus-Baptísta, Martínus, Franciscus, Philippus, Gundisálvus, et alter Franciscus ad Ordinem Minórum pértinent; álii vero quíndecim in apostólico ministério sócii, ad Tértium Ordinem revocántur, quibus duo item accenséntur, in cárcere ministrántes: qui omnes pro cathólica fide in crucem acti, et lanceárum íctibus perfóssi, inter divínas laudes, ejusdémque fídei prædicatiónem glorióse occubuérunt.

Cátanæ in Sicília, natális, etc. nec repetitur: In regno Japóniæ, etc. circa finem Lectionis.

6 Sanctæ Agathæ Vírginis et Mártyris, cujus natális prídie hujus diéi recensétur. Cæsaréæ in Cappadócia, natális, etc.

7 Assísii in Umbria, beáti Antónii a Stroncónio Confessóris, Ordinis Minórum, virginitátis, et prophetiæ dono illústris, cujus vitam, et mortem in conspéctu Dómini pretiósam miraculórum fama comméndat:

corpus ejus Stroncónii in Ecclésia sui Ordinis magna veneratióne cólitur. Sancti Romuáldi, etc.

11 Bitúricis in Aquitánia, beátæ Joánnæ Valésiæ, olim Francórum Regínæ, a qua Ordo sanctíssimæ Annuntiatiónis sub régula decem virtútum beátæ Maríæ Vírginis institútus, Fratrum Minórum obediéntiæ, et directióni subjícitur; ejus autem ánima cœlos ascéndit prídie Nonas Februárii. In Africa, natális sanctórum Mártyrum, etc.

12 Sancti Petri Nolásco Confessóris, qui obdormívit in Dómino octávo Kaléndas Januárii. Barcinóne in Hispánia, sanctæ Euláliæ, etc.

13 Apud castrum Florentinum in Etrúria, beátæ Viridiánæ Vírginis, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci, pœniténtiæ frúctibus, et miraculórum fama spectábilis. Antiochíæ, natális sancti Agabi, etc.

14 Sancti Andréæ Corsíni Epíscopi Fesuláni, cujus natális ágitur octávo Idus Januárii. Romæ via Flamínia, etc.

15 Sancti Romuáldi Abbátis, Monachórum Camalduléusium Patris, cujus dies natális ágitur tertiodécimo Kaléndas Július.

Patávii, Translátio córporis sancti Antónii Lusitáni Confessóris, Ordinis Minórum, témpore Urbáni Papæ Quarti, cujus lingua, adstánte sancto Bonaventúra ejúsdem Ordinis Generáli Ministro, ita íntegra, recens, ac rubicúnda invénta est, ut vivéntis pótius, quam mórtui córporis viderétur. Bríxiæ, natális sanctórum Mártyrum Faustíni, etc.

16 Reáte in Umbria, deposítio beátæ Philíppæ Maréríæ Vírginis, quæ, spreto carnáli connúbio, in solitúdinem recéssit; extrúcto póstea monastério prope civitátem, ibídem Clarissárum rigídius institútum est professa, et sub directióne beáti Rogérii Tudertíni, ómnium virtútum exémplar evásit, ac tandem ad cœléstem Sponsum migrávit, miráculis ante et post óbitum illústris. Ejus cultum ampliávit apostólica Sedes anno millésimo octingentesimoséxto, in ejus honórem concésso Offício, et Missa. Natális beáti Onésimi, de quo sanctus Paulus, etc.

17 Sancti Hilárii Epíscopi Pictaviénsis, qui Idibus Januárii evolávit in cœlum. Romæ, pássio sancti Faustíni, etc.

18 Sancti Marcélli Papæ et mártyris, cujus natális dies recólitur decimoséptimo Kaléndas Februárii. Jerosólymis, natális beáti Simeónis, etc.

19 Apud Netinos in Sicília, sancti Conrádi Confessóris, Tértii Ordinis, qui géneris nobilitáte, ac virtútum splendóre nitéscens, prophetiæ dono atque crebérrimis in vita et post mortem miráculis decorátur. Romæ, natális sancti Gabíni, etc.

20 Sancti Raymúndi de Pénnafort Confessóris, cujus natális ágitur décimo Kaléndas Februárii. Tyri in Phœnícia, etc.

21 Brixiæ, sanctæ Angelæ Meríciæ Vírginis, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francisci, et Societátis sanctæ Ursulæ institutricis, quæ vitæ sanctimónia illústris, evolávit ad sponsum sexto Kaléndas Februárii, et miraculórum fama refúlsit, Pius vero Séptimus novis fulgéntem prodígiis anno millésimo octingentésimo séptimo eam Sanctórum catálogo solémniter adscripsit. In Sicília, etc.

22 Cortónæ in Túscia, sanctæ Margarítæ, quæ divínitus impúlsa, Tértii Ordinis hábitu summa devotióne suscépto, admirábili pœniténtia, atque ubérrimis lácrymis anteáctæ vitæ sordes abstérsit; et virtútibus, atque miráculis clara a Benedícto Decimotértio Pontífice Máximo Sanctórum fastis annumeráta fuit.

Antiochíæ, Cáthedra sancti Petri, etc. ne repetas: Cortónæ, etc. in fine Lectionis.

23 Anno communi. Vigília sancti Matthíæ Apóstoli.

Antiochíæ, Cáthedra sancti Petri Apóstoli, de qua ágitur prídie hujus diéi. Apud Syrmium, etc.

Anno bissextili, omisso Vigília, etc. legitur primo loco Antiochíæ, etc. ut supra: de Vigília vero legitur die sequenti.

25 vel 26 Angelópoli in Indiis Occidentálibus, beáti Sebastiáni cognoménto ab Apparítio, Ordinis Minórum, vitæ innocéntia, patiéntia, contemplatióne, tum charitáte in Deum, et próximum, aliísque supérnis charismátibus insígnis, qui prope centenárius miráculis clarus ibidem óbiit: et a Pio Sexto Pontífice Máximo in Beatórum album solémniter relátus est. In Ægypto, natális sanctórum Mártyrum, etc.

26 vel 27 Sancti Ignátii Epíscopi, et Mártyris, de cujus passióne ágitur Kaléndis Februárii. Pergæ in Pamphylia, etc.

27 vel 28 Messánæ in Sicília, beátæ Eustóchii Vírginis, quæ illústri génere Catániæ orta, novum sub primæva sanctæ Claræ régula in Messanénsi urbe monastérium extrúxit, ejúsque prima Abbatissa elécta, illud sanctíssime gubernávit, ac virtútum méritis, et miraculórum fama illústris, tertiodécimo Kaléndas Februárii migrávit in cœlum. Romæ, natális sanctórum Mártyrum Alexándri, etc.

28 vel 29 Apud Civitéllam in Látio in território Sublacénsi, beáti Thomæ a Cora Confessóris, Ordinis Minórum, vitæ austeritáte, et exímia in Deum et próximum dilectióne insígnis, quem prædicatióne, et miráculis illústrem, Pius Sextus Póntifex Máximus Beátis annumerávit. Romæ, natális sanctórum Mártyrum Macárii, etc.

# MARTIO.

Mathelicæ in Picéno, beátæ Matthíæ Vírginis, virtútibus, et miráculis illústris, e cujus córpore post áliqua sæcula sudor sanguíneus plúries dimanávit. Romæ, sanctórum Mártyrum, etc.

2 Sanctæ Martínæ Vírginis, et Mártyris, cujus natális memória Kaléndis Januárii recólitur. Romæ via Latína, etc.

3 Panórmi, beáti Bernárdi a Corleóne Confessóris, Ordinis Minórum Capuccinórum, qui heróica charitáte, et admirábili pœniténtia clarus, plúrimis miráculis éxtitit gloriósus. Cæsaréæ in Palæstína, etc.

5 Neápolis, depositio sancti Joánnis-Joséphi a Cruce, Ordinis Minórum Excalceatórum sancti Petri de Alcántara, Itálicæ famíliæ promotóris, primíque Provinciális; qui sanctórum Francísci Assisiénsis, ac Petri de Alcántara stúdia æmulátus, vitæ sanctimónia, jugíque pœniténtia Ordini seráphico insígne decus áddidit, a Gregório Papa Decimoséxto in Sanctórum cánonem relátus.

Antiochíæ, natális sancti Phocæ, etc. in fine Lectionis omittitur : Neápolis, etc.

6 Apud Gandávum in Flándria, sanctæ Colétæ Vírginis, quæ primum Tértii Ordinis régulam proféssa, deínde, divíno spíritu affláta, quamplúrima Moniálium secúndi Ordinis monastéria primævæ disciplínæ restítuit, atque divínis exornáta virtútibus, innúmeris cláruit miráculis : eam Pius Papa Séptimus sanctis Virgínibus annumerávit.

Nicomédiæ, natális sanctórum Mártyrum Victóris, etc. in fine hujus Lectionis omittitur : Apud Gandávum, etc.

9 Bonóniæ, sanctæ Catharínæ Vírginis, secúndi Ordinis, vitæ sanctitáte illústris, cujus corpus incorrúptum magno cum honóre ibídem cólitur, eámque Clemens Undécimus Póntifex Máximus fastis Sanctórum adscrípsit.

Romæ, sanctæ Francíscæ víduæ, etc. ne repetas : Bonóniæ, etc. in fine Lectionis.

11 Sanctæ Francíscæ víduæ, quæ Romæ séptimo Idus Mártii ábiit in cœlum. Carthágine, sanctórum Mártyrum Herációlii, etc.

13 Tudérti, beáti Rogérii Confessóris, seráphici sancti Patris nostri Francísci discípuli, qui exímia charitáte, vitæque perfectióne refúlgens, ad cœléstia regna migrávit Nonis Januárii, signis, ac porténtis in vita, et post mortem illústris. Nicomédiæ, natális sanctórum, etc.

14 In Picéno apud Sirólum Anconitánæ diœcésis, beáti Petri de Treja, olim Montículo, Confessóris, Ordinis Minórum, fama sanctitátis,

et prædicatióne clari, ingénti quoque oratiónis fervóre erga beatissimam Vírginem, et sanctum Michaélem Archángelum devotióne, ac miraculórum grátia insígnis.

Lugdúni, Translátio córporis sancti Bonaventúræ Cardinális, Epíscopi Albanénsis, Doctóris seráphici, Ordinis Minórum, cujus sacrum caput, capillaméntum, lábia, dentes, et lingua, post centésimum sexagésimum annum incorrúpta, vividóque colóre conspérsa repérta sunt. Romæ, natális Sanctórum Quadragintaséptem, etc.

15 Solémnis commemorátio Sanctórum, quorum córpora, aut relíquiæ in Ecclésiis Trium Ordinum sancti Patris nostri Francísci asservántur. Cæsaréæ in Cappadócia, pássio sancti Longini, etc.

16 Senis in Túscia, beáti Petri Tecelání Confessóris, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci, qui paupertátis amóre, charitáte in egénos ac infírmos, humilitáte, ac siléntio conspícuus, prophetíæ dono, ac miraculórum glória illústris, prídie Nonas Decémbris obdormívit in Dómino. Ejus sanctitátem Pius Secúndus declarávit, et Pius Papa Séptimus anno millésimo octingentesimosecúndo ejus festum cum Missa, et Offício recoléndum indúlsit. Romæ, pássio sancti Cyríaci, etc.

18 Cáralis in Sardínia, beáti Salvatóris ab Horta Confessóris, Ordinis Minórum, qui virginitátem perpétuo illibátam servávit, et vitæ sanctitáte, atque assíduis miráculis illustrátur. Cæsaréæ in Palæstina, etc.

20 Cameríni, beáti Joánnis a Parma Confessóris, séptimi Ordinis Minórum Generális Minístri, virtútibus, legatiónibus apostólicis, doctrína, et miraculórum fama in vita, et post mortem celebérrimi; cujus immemorábilem cultum Pius Sextus Póntifex Máximus approbávit. In Judæa, sancti Jóachim, etc.

22 Aúximi in Picéno, sancti Benvenúti Epíscopi et Confessóris, Ordinis Minórum, vitæ integritáte, et pastorálí solicitúdine conspícui, quem Martínus Quartus Póntifex Máximus, sanctitáte, et miráculis clarum, in Sanctórum númerum rétulit.

Narbóne in Gállia, etc. ne repetas: Aúximi, etc. circa finem Lectionis.

23 Sancti Petri Damiáni, Cardinális, Epíscopi Ostiénsis, et Ecclésiæ Doctóris, qui octávo Kaléndas Mártii evolávit in cœlum. In Africa, sanctórum Mártyrum Victoriáni, etc.

24 Solémnis memória sancti Gabriélis Archángeli, qui beatíssimæ Vírgini Maríæ divíni Verbi Incarnatiónem nuntiávit. Romæ sanctórum Mártyrum Marci, etc.

26 In castro Múciæ prope Camerínum, depósitio beáti Rizzérii Confessóris, discípuli sancti Patris nostri Francísci, virtútibus, et miráculis clari. Romæ via Lavicána, sancti Cástuli, etc.

27 Septémpedæ in Picéno, beáti Peregríni a Faleróno Confessóris, seráphici sancti Patris nostri Francísci discípuli, qui cum génere, et eruditióne floréret, per humilitátem, et pietátem, summúmque Dei amórem, viam sibi parávit ad cœléstia. Ejus cultum Pius Séptimus Póntifex Máximus approbávit anno millésimo octingentésimo vigesimoprimo. Drizíparæ in Pannónia, etc.

28 Vicéntiæ, beáti Marci, óppidi sanctæ Maríæ de monte Gallo, Ordinis Minórum, qui cum paúperum inópiam institutióne montis Pietátis multis in locis sublevásset, salútis animárum zelo flagrans, virtútum et sanctitátis fama obdormívit in Dómino quartodécimo Kaléndas Aprílis. Cæsaréæ in Palæstina, natális, etc.

29 Bennis in Pedemóntio, beátæ Paulæ Gámbara Costa, nóbili génere Bríxiæ progénitæ, Bennárum Comitíssæ, quæ assúmpto hábitu Tértii Ordinis sancti Francísci, charitáte in paúperes, patiéntia, et Crucis Christi dilectióne præfúlsit. In Pérsia, sanctórum Mártyrum Jonæ, etc.

30 Fulgínei in Umbria, beátæ Angelæ víduæ, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci, oratióne, paupertáte, abstinéntia, et charitáte celebérrimæ. Romæ via Appia, pássio beáti Quiríni, etc.

# APRÍLI.

3 PANORMI, sancti Benedícti Confessóris, ob córporis nigrédinem cognoménto Nigri, Ordinis Minórum, qui signis, et virtútibus clarus prídie Nonas Aprílis in Dómino quiévit, et a Pio Papa Séptimo anno millésimo octingentésimo séptimo Sanctórum catálogo solémniter fuit adscríptus. Tauroménii in Sicília, sancti Pancrátii, etc.

In fine hujus Lectionis omittitur : Panórmi, etc.

8 Complúti in Hispánia, beáti Juliáni a sancto Augustíno Confessóris, Ordinis Minórum, humilitáte, innocéntia, et vitæ austeritáte conspícui. Alexandríæ, sancti Ædésii, etc.

12 Cúnei in Pedemóntio, beáti Angeli a Clavásio Confessóris, Ordinis Minórum, doctrína, prudéntia, et charitáte insígnis, qui plúries Cismontána ejúsdem Ordinis Præfectúra, apostolicísque Legatiónibus præcláre functus, ad cœléstia regna migrávit, et miraculórum fama étiam post mortem refúlsit. Verónæ, pássio sancti Zenónis, etc.

16 In univérso cœtu famíliæ seráphicæ, solémnis memória tam sancti Raphaélis Archángeli, Dei medicínam suo nómine expriméntis, quam diéi venerándæ, in qua sanctus Pater noster Franciscus anno millésimo ducentésimo nono, per professiónem suæ régulæ in mánibus Innocéntii Tértii, inítium dedit Ordini Minórum, ad inferéndam infírmis

peccatóribus spirituálem, ac desúrsum affluéntem medicínam. In cujus inítii commemoratiónem statúta est professiónis renovátio, a síngulis utriúsque sexus ejúsdem cœtus alúmnis, sive in commúni, sive in particulári, pio fervóre emitténda, et renovántes, ex concessióne Cleméntis Duodécimi indulgéntia plenária cumulántur. Corínthi, natális sanctórum Mártyrum Callísti, etc.

18 Gandíæ in Hispánia, beáti Andréæ Hibérnon Confessóris, Ordinis Minórum sancti Francísci Discalceatórum sancti Petri de Alcántara, qui omni virtúte prǽditus, ac præsértim innocéntiæ, oratiónis, et contemplatiónis dono clarus, a sancto Pascháli Baylon méruit laudári, et post mortem a Pio Sexto Pontífice Máximo Beatórum honóribus cumulári. Romæ, beáti Apollónii, etc.

19 Asculi in Picéno, beáti Conrádi Confessóris, Ordinis Minórum, qui cum Africam peragrándo plúrimos ad fidem convertísset, virtútibus, ac signis admirándus, clarus óbiit in pátria. Natális sancti Timónis, etc.

23 Perúsiæ, beáti Ægídii Confessóris, seráphici Patris nostri sancti Francísci sócii, qui paupertáte, castitáte, cæterísque virtútibus, supernísque donis insígnis, miraculórum quoque fama ante et post óbitum resplénduit. Natális sancti Geórgii, etc.

27 Bitécti in Apúlia, beáti Jacóbi Illyrici Confessóris, Ordinis Minórum, virtútum glória, et miraculórum fama illústris. Nicomédiæ, natális sancti Anthími, etc.

28 Apud Pódium Bonítium in Etrúria, beáti Lúcii, sive Luchésii Confessóris, qui ad melиórem frugem convérsus, et hábitu Tértii Ordinis ab eódem sancto Patre nostro Francísco indútus, dignos pœniténtiæ fructus fecit, et post óbitum miraculórum fama refúlsit. Ravénnæ, natális sancti Vitális Mártyris, etc.

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pascha.

Festum Patrocínii sancti Patriárchæ Joseph, Sponsi beatíssimæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ, ex concessióne Cleméntis Papæ Duodécimi.

Sabbato ante Dominicam quintam post Pascha.

Assísii in Umbria, Dedicátio Basílicæ seráphici Patriárchæ, ac Patris nostri sancti Francísci.

## MAJO.

11 Sancti Geórgii Mártyris, cujus dies festus ágitur in Ecclésia universáli nono Kaléndas Maji. Romæ via Salária, natális, etc.

13 Vallis-oléti, sancti Petri Regaláti Confessóris, Ordinis Minórum, reguláris disciplínæ in Hispániæ cœnóbiis restitutóris, quem Benedictus

Decimusquártus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscripsit : ejus tamen óbitus dies cóntigit prídie Kaléndas Aprilis.

Romæ, Dedicátio, etc. ne repetas : Vallis-oléti, etc. in fine Lectionis.

14 Fabriáni in Picéno, beáti Francísci Fabrianénsis Confessóris, Ordinis Minórum, qui verbi Dei prædicátor exímius, ac virtútum, et miraculórum fama illústris, décimo Kaléndas Maji evolávit in cœlum, cultúmque ab immemorábili témpore ei delátum Pius Papa Sextus Póntifex Máximus rite probávit. Natális sancti Bonifácii, etc.

15 Recinéti in Picéno, beáti Benvenúti Confessóris, Ordinis Minórum, mira pietáte, et signórum claritáte spectábilis. Hujus beáti viri cultum immemorábilem Pius Papa Séptimus ratum hábuit, Festúmque cum Officio et Missa recoléndum indúlsit; ejus autem beáta mors áccidit tértio Nonas Maji. In Hispánia, etc.

16 Ubi fit Officium de sancto Joanne Nepomuceno legitur primo loco : Pragæ in Bohémia, etc. ut post medium Lectionis hujus diei, postea : Eugúbii, etc. Alibi vero legitur : Eugúbii, sancti Ubáldi, etc.

17 Apud Villam Regálem in regno Valéntiæ, sancti Paschális Confessóris, Ordinis Minórum, miræ innocéntiæ, et pœniténtiæ viri, quem miráculis præclárum Alexánder Octávus Póntifex Máximus in Sanctórum númerum rétulit.

Pisis in Túscia, etc. ne repetas : Apud Villam Regálem, etc.

18 Romæ, sancti Felícis Confessóris, Ordinis Minórum Capuccinórum, evangélica simplicitáte, et charitáte conspícui, quem Clemens Undécimus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscripsit.

Camerini, sancti Venántii, etc. ne repetas : Romæ, etc.

19 Lohanéti in território Trecorénsi, depositio sancti Ivónis Confessóris, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci, qui pro Christi amóre causas pupillórum, viduárum, ac paúperum defendit; ac sanctitáte, et miráculis illústris, a Cleménte Sexto Pontífice Máximo in Sanctórum númerum relátus est.

Natális sancti Petri de Morono, etc. ne repetas : In Británnia minóri, sancti Ivónis, etc. in fine Lectionis.

20 Aquilæ in Vestínis, sancti Bernardíni, etc. ut in Mart. Rom. pag. 93.

21 Sancti Venántii Mártyris, cujus passiónis memória quintodécimo Kaléndas Júnii recensétur. In Mauritánia Cæsariénsi, etc.

22 Floréntiæ, beátæ Humiliánæ viduæ, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci, quæ abstinéntia, patiéntia, et miraculórum fama insignis, quartodécimo Kaléndas Júnii migrávit in cœlum. Romæ, etc.

23 Sancti Petri Cœlestini, Papæ et Confessóris, qui migrávit ad Dóminum quartodécimo Kaléndas Júnii. Apud Língonas in Gállia, pássio, etc.

24 In Statu ecclesiastico : Festum beátæ Maríæ Vírginis título Auxílium Christianórum, jussu Pii Papæ Séptimi. Antiochíæ, etc.

Extra Statum ecclesiasticum : Maróchii in Africa, beáti Joánnis de Prado, Ordinis Minórum, qui in prædicatióne Evangélii, post víncula, cárceres, flagélla, plurímaque ália torménta pro Christo fórtiter toleráta, per ignem martyrium consummávit. Antiochíæ, natális sancti Mánahen, etc.

25 Assísii in Umbria, Translátio córporis seráphici Patriárchæ sancti Francísci, ab Ecclésia sancti Geórgii ad Basílicam in ejus honórem constrúctam, témpore Gregórii Papæ Noni.

Salérni, etc. ne repetas : Assísii, etc.

28 Sancti Gregórii Séptimi, Papæ et Confessóris, cujus natális dies fuit octávo Kaléndas Június. In Sardinia, sanctórum Mártyrum, etc.

29 Ubi die 16 hujus fit de sancto Joanne Nepomuceno, hodie legitur primo loco : Sancti Ubáldi Epíscopi, et Confessóris, de quo ágitur decimoséptimo Kaléndas Júnii. Romæ via Aurélia, natális sancti Restitúti, etc.

30 In Statu ecclesiastico hodie legitur primo loco : Maróchii in Africa, etc. ut in hoc Martyrologio Nono Kalendas Junii, ac prosequitur : Romæ via Aurélia, natális sancti Felícis, etc.

31 Floréntiæ, beáti Gherárdi a Villamágna, Equitis auxiliárii Hierosolymitáni, Tértii Ordinis sancti Francísci, contemplatiónis, et pœniténtiæ stúdio præclári. Romæ, sanctæ Petronillæ, etc.

# JUNIO.

Feria quinta in Octava Corporis Christi, ubi de eo fit Officium legitur primo loco : Festum sacratissimi Cordis Dómini nostri Jesu Christi.

1 Leópoli in Rússia, beáti Jacóbi, ejúsdem urbis Archiepíscopi, Ordinis Minórum, pastoráli solicitúdine, et virtútibus apostólicis illústris. Ejus cultum Pius Sextus Póntifex Máximus ratum hábuit, et ampliávit, concésso in ejus honórem Offício et Missa. Romæ, sancti Juvéntii, etc.

2 Camerini, depositio beátæ Baptístæ Vírginis ex ejúsdem civitátis Princípibus Varáni, quæ primitívam sanctæ Claræ régulam profésa, Camerinénse hujus Ordinis monastérium exinde fundávit. Romæ, etc.

3 Hyspélli in Umbria, beáti Andréæ Confessóris, seráphici Patris nostri sancti Francísci discípuli, vita, prædicatióne, et miráculis gloriósi. Arétii in Túscia, etc.

5 Ceredáni in diœcési Novariénsi, beáti Pacífici Confessóris, Ordinis Minórum, virtútum laude, et sanctis opéribus insígnis. In Ægypto, etc.

12 Cortónæ in Túscia, beáti Guidi Confessóris, seráphici Patris nostri sancti Francísci discípuli, qui vitam in jejúniis, paupertáte, humilitáte, ac asperitáte ducens, verbo, et exémplo cunctis máxime prófuit, signísque ac prodígiis refúlsit, præsértim in ipsíus cápitis inventióne, quæ hódie quotánnis solémniter celebrátur, cum ejus ánima quarto Idus Maji in cœlum voláverit. Salmánticæ in Hispánia, etc.

13 Patávii, sancti Antónii Lusitáni Confessóris, Ordinis Minórum, vitæ sanctitáte, ac prædicatióne celebérrimi, quem Gregórius Nonus, Póntifex Máximus, ob miraculórum multitúdinem, anno ab ipsíus óbitu nondum expléto, Sanctórum catálogo adscrípsit. Romæ, etc.

15 Sancti Joánnis a sancto Facúndo Confessóris, de quo ágitur prídie Idus Júnii. In Lucánia apud Sílarum flumen, etc.

19 Pisaúri in Picéno, beátæ Michelínæ víduæ, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci, quæ nóbili exórta prosápia, multis pœniténtiæ opéribus inténta, in vita, et post mortem miráculis cláruit. Floréntiæ, sanctæ Juliánæ, etc.

20 Octáva sancti Antónii Lusitáni Confessóris. Natális, etc.

22 Sanctæ Juliánæ Vírginis, quæ tertiodécimo Kaléndas Júnii evolávit in cœlum. Apud Nolam Campániæ urbem, etc.

25 Romæ tantum legitur primo loco : Alexandríæ, sancti Gallicáni Mártyris, etc. ut in Martyrologio Romano pag. 116.

Alibi vero legitur : In território Guléti prope Nuscum, sancti Guliélmi, etc. ut in Lectione hujus diei. Apud Berœam, natális, etc.

27 Cornéti in Apúlia, beáti Benvenúti Confessóris, Ordinis Minórum, qui nobilitáte, ac milítia clarus, humilitáti, charitáti, patiéntiæ, ac obediéntiæ sic stúduit, ut, paupertátem, oratiónem et siléntium adjíciens, innúmeris étiam miráculis coruscárit. In Galátia, etc.

# JULIO.

4 Festum Dedicatiónis Ecclesiárum consecratárum Trium Ordinum sancti Patris nostri Francísci. Oséæ et Aggæi Prophetárum, etc.

5 Alcami, natális beáti Archángeli a Calataphímo, Vicárii Provinciális, Ordinis Minórum, stúdio solitúdinis, vitæ austeritáte, et morum innocéntia célebris, qui ante et post óbitum miraculórum glória refúlsit. Romæ, sanctæ Zoæ Mártyris, etc.

7 Ulysípone, beáti Lauréntii a Brundúsio Confessóris, Ordinis

Minórum Capuccinórum, qui post imménsos pro cathólica religióne, et animárum salúte exantlátos labóres, virtútibus, et prodígiis clarus undécimo Kaléndas Augústi beáto fine quiévit, quem Pius Sextus Póntifex Máximus Beatórum número adscripsit. Romæ, sanctórum Mártyrum Claúdii, etc.

8 Conímbriæ, sanctæ Elisabeth víduæ, Lusitanórum Regínæ, quæ pietáte, oratióne, patiéntia, charitáte, et castimónia insígnis, atque sub hábitu Tértii Ordinis, humilitátis, misericórdiæ, ac pœniténtiæ opéribus júgiter inténta, miráculis clara, quarto Nonas Július migrávit ad Dóminum. In Asia minóri, sanctórum Aquilæ, etc.

9 Briélæ in Hollándia, pássio novémdecim Mártyrum Gorcomiénsium nuncupatórum, quorum úndecim ex Ordine Minórum, vidélicet Nicoláus Pikius convéntus Gorcomiénsis Guardiánus, Hierónymus Vicárius cum áliis novem frátribus ejúsdem convéntus, qui ob tuéndam Ecclésiæ Románæ auctoritátem, et reálem Christi in Eucharistia præséntiam, a Calviniánis hæréticis vária ludíbria, et torménta perpéssi, extrémo supplício martyrium consummárunt.

Romæ ad Guttam júgiter manántem, etc. ne repetas : Briélæ, etc. circa finem Lectionis.

11 Octáva Dedicatiónis Ecclesiárum consecratárum Trium Ordinum sancti Patris nostri Francisci. Romæ, beáti Pii, etc.

14 Lugdúni in Gállia, depositio sancti Bonaventúræ Cardinális, Epíscopi Albanénsis, Confessóris, et Doctóris seráphici, Ordinis Minórum, doctrína, et vitæ sanctitáte celebérrimi, quem Sixtus Quartus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscrípsit. Romæ, sancti Justi, etc.

15 Fulgínei in Umbria, beátæ Angelínæ de Marsciáno víduæ, quæ cum illústri esset exórta prosápia, sæculo renúntians, ac divitiárum jactántia, opibúsque contémptis, hábitum Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francisci, defúncto cónjuge, suscépit, et prima ómnium vota monástica proféssa in monastério sanctæ Annæ, a se extrúcto, sacræ Tertiariárum religióni inítium dedit; ac multárum prærogativa virtútum insígnis, miráculis in vita, et post mortem corúscat. Ejus cultum immemorábilem Leo Duodécimus Póntifex Máximus ratum hábuit. Bambérgæ, sancti Henríci, etc.

18 Cracóviæ beáti Simónis a Lypnica Confessóris, Ordinis Minórum, doctrína, humilitáte, ac prædicatióne célebris. Tibure, sanctæ Symphorósæ, etc.

19 Leópoli in Rússia, beáti Joánnis de Dukla Confessóris, Ordinis Minórum, virtútibus et grátia sanitátum conspícui, qui tértio Kaléndas Octóbris evolávit in cœlum. Sancti Vincéntii a Paulo, etc.

21 Octáva sancti Bonaventúræ Episcopi, Cardinális, et Ecclésiæ Doctóris. Romæ, sanctæ Praxédis, etc.

24 Vigília sancti Jacóbi Apóstoli.

Limæ in regno Peruáno, sancti Francisci Soláni Confessóris, Ordinis Minórum, apud Indos occidentáles prædicatióne, signis et virtútibus illústris, quem Benedictus Decimustértius Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscrípsit; ejus autem óbitus dies cóntigit prídie Idus Július.

Tyri in Túscia, etc. ne repetas : Limæ, etc. in fine Lectionis.

27 In monastério Sandacénsi, beátæ Chunegúndis, quæ Bolesláo Polóniæ duci matrimónio juncta, illibátam virginitátem annis quadragínta in conjúgio servávit; ac viro defúncto monásticam Secúndi Ordinis vitam profésса, nono Kaléndas Augústi ad cœléstem Sponsum migrávit, miráculis ante et post óbitum celebérrima. Nicomédiæ, pássio sancti Pantaleónis, etc.

30 Sancti Camílli de Lellis Confessóris, cujus dies natális fuit prídie Idus Július, festus autem in Ecclésia universáli recólitur quintodécimo Kaléndas Augústi. Romæ, sanctórum Mártyrum Abdon, etc.

## AUGUSTO.

2 Apud Assísium in Umbria, Dedicátio Ecclésiæ sanctæ Maríæ Angelórum, quæ étiam de Portiúncula nuncupátur, a seráphico Patre nostro sancto Francísco summo in honóre hábitæ, quam et caput sui Ordinis instítuit, et in ea Indulgéntiam Plenáriam a Christo Dómino, sanctíssimæ Deíparæ Vírginis intervéntu, obtínuit pro cunctis fidélibus, quam Honórius Tértius Póntifex Máximus, ut Christi Vicárius, de ejúsdem Christi mandáto confirmávit, et Gregórius Decimusquíntus ad álias Ecclésias nostri seráphici Ordinis exténdit. Innocéntius vero Undécimus sancívit étiam pro defúnctis suffragári. Nucériæ Paganórum, sancti Alphónsi, etc.

4 Bonóniæ, depositio sancti Patris Domínici Confessóris, Ordinis Fratrum Prædicatórum fundatóris, sanctitáte, et doctrína claríssimi, quem divína providéntia seráphico Patri nostro sancto Francísco, ad cathólicæ Ecclésiæ fulciméntum, perpétuæ germanitátis vínculo sociávit. Obiit octávo Idus Augústi, et ob insígnem virtútum, ac miraculórum famam, a Gregório Nono Pontífice Máximo Sanctórum fastis adscríptus est. Thessaloníсæ, natális, etc.

9 Vigília sancti Lauréntii Mártyris.

Eódem die, sancti Vincéntii a Paulo Confessóris, qui obdormívit, in

Dómino quinto Kaléndas Octóbris, ejus autem festum quartodécimo Kaléndas Augústi celebrátur. Romæ, sancti Románi, etc.

11 Octáva sancti Patris Domínici. Romæ inter duas lauros, etc.

12 Assísii in Umbria, sanctæ Claræ Vírginis, secúndi Ordinis, sancti Patriárchæ Francísci primogénitæ, virtútum glória conspícuæ, quam vita et miráculis illústrem, Alexánder Quartus, Póntifex Máximus, sanctárum Vírginum fastis adscrípsit. Cátanæ in Sicília, etc.

13 Cameríni, beáti Petri a Molleáno Confessóris, Ordinis Minórum, qui evangélica prædicatióne, virtútum méritis, et miraculórum fama clarus, octávo Kaléndas Augústi migrávit in cœlum. Immemorábilem cultum ei præstitum Clemens Decimustértius, Póntifex Máximus, approbávit. Romæ, beáti Hippólyti, etc.

14 Vigília Assumptiónis beátæ Maríæ Vírginis.

In diœcési Pisauriénsi prope montem Biróchium, beáti Sanctes Urbinátis Confessóris, Ordinis Minórum, signis et virtútibus célebris, cujus immemorábilem cultum Clemens Quartusdécimus ratum hábuit. Romæ, natális sancti Eusébii, etc.

16 In Gállia Narbonénsi apud montem Pessulánum, depositio sancti Rochi Confessóris, qui nóbili génere ortus, sed pro Christo pauper et húmilis efféctus, Tértii Ordinis insígnia détulit, ac tandem patiéntia, castitáte, et miráculis conspícuus, ad cœléstem pátriam transívit; cujus virtus contra morbum epidémiæ máxime elúcet.

Cracóviæ in Polónia, etc. ne repetas: In Gállia, etc. circa fin. Lectionis.

18 Romæ via Lavicána, sanctæ Hélenæ matris Constantíni Magni, piíssimi Imperatóris, qui primus Ecclésiæ tuéndæ atque amplificándæ exémplum céteris Princípibus præbuit.

Prænéste, natális sancti Agapíti, etc. ne repetas hoc elogium circa finem Lectionis hujus diei.

19 In Província apud Castrum Bríncolam, depositio sancti Ludovíci Epíscopi Tolosáni, Confessóris, fílii Cároli Secúndi, utriúsque Silíciæ et Jerúsalem Regis, Ordinis Minórum, vitæ sanctitáte, et miráculis clari, cujus corpus inde Massíliam, mox Valéntiam translátum, in Ecclésia Metropolitána honoríﬁce cólitur.

Eódem die, Octáva sanctæ Claræ Vírginis.

Romæ, sancti Júlii Senatóris, etc. ne repetas: In Provincia, etc.

Sabbato ante Dominicam post Octavam Assumptionis B. Mariæ Virg.

Festum sacri Cordis beatíssimæ Vírginis Maríæ.

24 vel 26 Sancti Hyacínthi Confessóris, cujus festus dies ágitur decimoséptimo Kaléndas Septémbris.

25 vel 26 Lutétiæ Parisiórum, sancti Ludovíci Noni, Francórum

Regis, et Confessóris, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci, vitæ sanctitáte, et miraculórum glória illústris, quem Bonifácius Octávus, Póntifex Máximus, in Sanctórum númerum rétulit, et sodáles ejúsdem Tértii Ordinis ut Patrónum præcípuum venerántur. Romæ, etc.

## SEPTEMBRI.

1 Apud Longum Campum in território Parisiénsi, beátæ Isabéllæ Vírginis Secúndi Ordinis, sORóris sancti Ludovíci Noni, Galliárum Regis, quæ, spretis mundi hujus oblectaméntis, Christo sponso in humilitáte, et paupertáte servíre máluit, ac multis clara miráculis séptimo Kaléndas Mártii migrávit ad Dóminum. In província Narbonénsi, etc.

3 Valéntiæ in Hispánia, beatórum Joánnis et Petri, Ordinis Minórum, qui ob líberam Christi prædicatiónem a Mahumetánis váriis torméntis excruciáti, cápitis detruncatióne quarto Kaléndas Septémbris Mártyrum palmas recepérunt. Romæ, sanctæ Serápiæ Vírginis, etc.

4 Vitérbii, Translátio córporis sanctæ Rosæ Vírginis, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci, a templo sanctæ Maríæ de Pódio, post menses círciter trigínta ab ejus óbitu íntegri atque incorrúpti, ad monastérium sanctæ Maríæ de Rosis, in quo vivens se mórtuam commoratúram prædíxit, ex quo monastérii sanctæ Rosæ nomen obtínuit; cujus beáta mors cóntigit prídie Nonas Mártii.

In monte Nebo, etc. ne repetas: Vitérbii, etc. in fine Lectionis.

5 Turríngiæ in Pérside, beáti Gentílis a Mathélica Mártyris, Ordinis Minórum, qui post multos exantlátos labóres in Evangélio disseminándo, pro Christi fide a Sarracénis occísus, et Venétias translátus, in Ecclésia Fratrum Minórum honorífice cónditus est. Sancti Lauréntii Justiniáni, etc.

6 Aquilæ in Vestínis, beáti Vincéntii Aquiláni Confessóris, Ordinis Minórum, summæ humilitátis, et oratiónis, necnon abstinéntiæ, patientiæque viri, qui spíritu prophético, atque máximis signis émicans, octávo Idus Augústi migrávit in cœlum. Zacharíæ Prophétæ, etc.

7 Sancti Lauréntii Justiniáni Epíscopi et Confessóris, cujus memória Nonis Septémbris celebrátur. Nicomédiæ, etc.

9 Pisaúri, beátæ Seraphínæ víduæ, Ordinis sanctæ Claræ, géneris nobilitáte, virtútibus, mira præsértim in advérsis patiéntia, ac miraculórum fama illústris, quæ prídie hujus diéi migrávit in cœlum. Nicomédiæ, etc.

12 Sancti Alphónsi Maríæ de Ligório, Epíscopi et Confessóris, de quo quarto Nonas Augústi memória instituitur. Commemorátio, etc.

15 Sanctæ Verónicæ de Juliánis Vírginis, Secúndi Ordinis sancti Patris nostri Francísci, cujus natális séptimo Idus Júlii recólitur, qua die ad cœléstem Sponsum evolávit. Alexandríæ, natális beáti Philíppi, etc.

17 Solémnis commemorátio sacrórum Stigmatum, quæ in monte Alvérniæ Etrúriæ, in córpore sancti Patris nostri Francísci mira Dei virtúte impréssa sunt, ut qui domínicæ Passiónis mystéria ánimo imbúerat, éadem in córpore singulári privilégio infíxa serváret. Romæ via Tiburtína, etc.

18 Auxími in Picéno, sancti Joséphi a Cupertíno Confessóris, Ordinis Minórum Conventuálium, humilitáte, patiéntia, charitáte, et admirándis extásibus insígnis, quem Clemens Tertiusdécimus, Póntifex Máximus, in Sanctórum númerum rétulit. Eódem die, natális, etc.

22 Valéntiæ in Hispánia, sancti Thomæ a Villanóva, Archiepíscopi et Confessóris, cujus natális dies recólitur sexto Idus Septémbris. Sedúni in Gállia, etc.

24 Septémpedæ in Picéno, depositio sancti Pacífici a sancto Severíno Confessóris, Ordinis Minórum sancti Francísci de Observántia Reformatórum, exímiæ patiéntiæ, et solitúdinis amóre illústris, quem Gregórius Papa Decimusséxtus in Sanctórum cánonem rétulit.

Festum beátæ Maríæ, etc. ne repetas : Septémpedæ, in fine Lectionis.

25 Festum beátæ Maríæ Vírginis de Mercéde, de qua ágitur in Ecclésia universáli prídie hujus diéi. In castéllo Emmaus, etc.

26 Salérni Picentinórum, beátæ Lúciæ Vírginis, Tértii Ordinis, quæ plúrimis virtútibus, et miráculis refúlsit. Nicomédiæ, natális, etc.

27 Parisiis, depositio sancti Elzeárii Confessóris, Cómitis Ariáni, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci, qui cum beáta Delphína cónjuge sua virginitátem illibátam consérvans, plenus méritis migrávit ad Dóminum, atque in vita, et post óbitum miráculis clarus, ab Urbáno Quinto Pontífice Máximo in Sanctórum catálogum relátus est.

Ægéæ, natális, etc. ne repetas : Ibidem, etc. circa finem Lectionis.

28 Papíæ, beáti Bernardíni de Féltria Confessóris, Ordinis Minórum, qui verbo prædicatiónis, et zelo salútis animárum refúlgens, bonis opéribus plenus migrávit in cœlum, dono spiritus prophetíæ, et miraculórum illústris. In Bohémia, sancti Wenceslái, etc.

Sabbato ante Dominicam tertiam Septembris.

Festum Septem Dolórum beátæ Maríæ Vírginis.

# OCTOBRI.

1 Orbæ in Sabaúdia, beátæ Ludovícæ víduæ, quæ géneris nobilitáte illústris, primam régulam sanctæ Claræ sub reformatióne sanctæ Colétæ proféssa, vitæ sanctitáte fulsit. Rhemis in Gállia, etc.

3 Vigília seráphici sancti Patris nostri Francísci.

Eódem die, sanctórum Cosmæ et Damiáni Mártyrum, quorum natális dies fuit quinto Kaléndas Octóbris.

Assísii in Umbria, Translátio córporis sanctæ Claræ Virginis témpore Alexándri Papæ Quarti ad Ecclésiam sancti Geórgii, quæ nunc sanctæ Claræ nominátur, ubi sancti Patris nostri Francisci corpus vigintióclo annis ante pósitum fúerat, quasi quodam præságio futurórum, ut qui viam vitæ vivénti paráverat, et moriénti locum débite præparáret. Romæ, etc.

4 Assísii in Umbria, natális sancti Patriárchæ, et seráphici Patris nostri Francísci Confessóris, et Levítæ, Trium Ordinum ínclyti fundatóris, cujus vitam sanctitáte, ac miráculis plenam, sanctus Bonaventúra Epíscopus Cardinális, et ejúsdem Institúti alúmnus, fidéliter conscrípsit, quem Gregórius Nonus Póntifex Máximus in Sanctórum númerum rétulit. Corinthi, natális sanctórum Crispi, etc.

5 In óppido Pinnæ, sancti Joánnis Firmánæ diœcésis, beáti Joánnis de Pinna Confessóris, Ordinis Minórum, qui paupertáte, patiéntia, et vitæ austeritáte émicans, spíritu étiam prophético ac miráculis elúxit; cultum vero ejus immemorábilem Pius Séptimus Póntifex Máximus rite probávit. Messánæ in Sicilia, natális sanctórum Mártyrum Plácidi, etc.

7 Sancti Henríci Imperatóris Confessóris, cujus natális dies recólitur Idibus Július. Romæ via Ardeatína, depositio sancti Marci, etc.

11 Octáva seráphici Patris nostri sancti Francísci. Tharsi, etc.

12 Asculi in Picéno, sancti Seraphini Confessóris, Ordinis Minórum Capuccinórum, vitæ sanctimónia, et humilitáte conspícui, quem Clemens Tertiusdécimus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscrípsit. Romæ, etc.

13 Apud Septam in Mauritánia Tingitána, pássio sanctórum septem Mártyrum, Daniélis, Samuélis, Angeli, Domni, Leónis, Nicolái, et Hugolíni, Ordinis Minórum, qui ob Evangélii prædicatiónem, et mahuméticæ sectæ confutatiónem, a Sarracénis contumélias, víncula, et flagélla perpéssi, demum capítibus abscíssis, martyrii palmam adépti sunt sexto Idus Octóbris.

In Anglia, etc. ne repetas: Apud Septam, etc. circa medium Lectionis.

16 Sancti Wenceslái Mártyris, cujus memória quarto Kaléndas Octóbris in Ecclésia universáli celebrátur. In Africa, sanctórum, etc.

19 Arénis in Castélla, sancti Petri de Alcántara Conféssóris, Ordinis

Minórum, qui vitæ austeritáte, atque summis virtútibus exornátus, dono prophetíæ, et miraculórum éxtitit gloriósus, quem Clemens Nonus, Póntifex Máximus, Sanctórum fastis adscripsit. Romæ, natális, etc.

21 Apud Colóniam Agrippínam, natális sanctárum Ursulæ, et Sociárum ejus, quæ pro christiána religióne, et virginitátis constántia ab Hunnis interféctæ, martyrio vitam consummárunt, et plúrima eárum córpora ibidem cóndita fuérunt.

Deinde : In Cypro, etc. et post elogium istius seq. Apud óstia, etc.

22 Varsóviæ in Polónia, beáti Ladisláí Confessóris, Ordinis Minórum, sanctitáte, eruditióne, et eloquéntia celebérrimi, qui migrávit ad Dóminum quarto Nonas Maji, ante et post óbitum miraculórum glória refúlgens. Jerosólymis, beáti Marci Epíscopi, etc.

23 Apud Willáckum in Pannónia, sancti Joánnis a Capistráno Confessóris, Ordinis Minórum, qui eruditióne, et vitæ sanctitáte claríssimus, innúmeros Gentíles, Judæos, Hæréticos, atque Schismáticos redúxit ad cathólicam fidem, et máximis pro Ecclésia perfúnctus labóribus quiévit in Dómino, miráculis in vita et post mortem celebérrimus, quem Alexánder Octávus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscrípsit.

In Hispánia, etc. ne repetas : Apud Willáckum, etc. in fine Lectionis.

24 In Anglia sancti Eduárdi Regis et Confessóris, qui Nonis Januárii defúnctus, tértio Idus Octóbris in Ecclésia universáli potíssimum cólitur ob córporis Translatiónem. Venúsiæ in Apúlia, etc.

25 Colfáni in Picéno intra fines Camerinénsis diœcésis, depositio beáti Francisci de Calderóla, confessárii et concionatóris egrégii, ex nostro seráphico Ordine, qui pietáte, doctrína, ac zelo salútis animárum sese præbuit admirándum, et glória miraculórum post mortem cláruit. Romæ, etc.

26 Beáti Bonaventúræ a Poténtia Confessóris, Ordinis Minórum Conventuálium, quem obediéntia, ceterísque virtútibus insígnem Pius Sextus Póntifex Máximus Beátis annumerávit. Romæ, sancti Evarísti, etc.

31 Vigília ómnium Sanctórum.

Reáte in Umbria, natális beáti Thomæ a Floréntia Confessóris, Ordinis Minórum, qui una cum sancto Joánne a Capistráno in Palæstínam, mox Æthiópiam, cum fratre Albérto de Sarthiáno, et áliis frátribus sui Ordinis proféctus, ibíque multa pro Christo ab infidélibus passus, tandem in Itáliam redux, virtútibus, et miraculórum fama clarus quiévit in pace; ejus immemorábilem cultum Clemens Quartusdécimus Póntifex Máximus ratum hábuit. Romæ, natális beáti Nemésii, etc.

Dominica secunda Octobris.

Festum Maternitátis puríssimæ, sempérque Vírginis Maríæ.

Dominica tertia Octobris.

Festum Puritátis beatíssimæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ.

# NOVEMBRI.

4 Mediolani, sancti Cároli Borromæi Cardinális, et ejúsdem civitátis Epíscopi, atque Ordinis Minórum apud apostólicam Sedem exímii protectóris; quem miráculis clarum Paulus Quintus Póntifex Máximus in Sanctórum númerum rétulit.

Patávii, beátæ Hélenæ Vírginis, Ordinis sanctæ Claræ, géneris nobilitáte, mira patiéntia, ceterísque virtútibus, ac miraculórum fama illústris; cujus corpus pia fidélium devotióne ibídem cólitur. Bonóniæ, etc.

5 Apud Burgum sancti Sepúlchri in Umbria, beáti Raynérii Aretíni Confessóris, Ordinis Minórum, qui humilitáte, paupertáte, et patiéntia refúlgens, ad cœléstia regna migrávit Kaléndis Novémbris, miráculis in vita, et post mortem illústris. Corpus ejus íntegrum atque incorrúptum magna ibídem veneratióne cólitur. Sancti Zacharíæ sacerdótis, etc.

7 Aquilæ in Vestínis, beáti Bernardíni a Fossa Confessóris, Ordinis Minórum, virtútibus, divinísque charismátibus illústris; qui, cum cathólicam fidem plures in províncias propagásset, sancte obdormívit in Dómino quinto Kaléndas Decémbris. Patávii, depositio, etc.

Sabbato ante Dominicam secundam Novembris.

Festum Patrocinii beatíssimæ Vírginis Genitrícis Dei Mariæ.

12 Complúti in Hispánia, sancti Dídaci Confessóris, Ordinis Minórum, qui vita, virtútibus, et miráculis gloriósus, a Xysto Quinto, Pontífice Máximo, solémni ritu in Sanctórum númerum relátus est.

Natális sancti Martíni, etc. ne repetas: Complúti, etc. in fine Lectionis.

13 Sancti Martíni Papæ et Mártyris, de quo ágitur prídie hujus diéi. Sancti Dídaci Confessóris, etc.

14 Ancónæ, beáti Gabriélis Ferrétti Confessóris, Ordinis Minórum, qui géneris nobilitáte, virtútibus et miraculórum fama clarus, prídie Idus Novémbris obdormívit in Dómino, cujus in exéquiis sanctus Jacóbus Picénus de eo ad pópulum sermónem hábuit: ipsíus corpus ibídem in Ecclésia sui Ordinis asservátur. Herácleæ in Thrácia, etc.

16 Assísii in Umbria, sanctæ Agnétis Vírginis, sanctæ Claræ germánæ sorória, quæ istíus oratiónibus ad Agni núptias evocáta, ea puritáte et sanctitáte enítuit, ut ad ejus sepúlchrum dæmones fugaréntur, et innúmera a Deo patraréntur mirácula. In Africa, sanctórum Mártyrum, etc.

17 Cracóviæ in Polónia, beátæ Saloméæ Vírginis, secúndi Ordinis, Regis Halciórum uxóris, quæ in matrimónio virginitátem, admiránda virtúte, consérvans, vitæ sanctimónia, et miraculórum frequéntia nobilitátur. Neocæsaréæ in Ponto, sancti Gregórii, etc.

19 In óppido Marpurg in Germánia, depositio sanctæ Elisabeth víduæ, Andréæ Regis Hungarórum fíliæ, quæ sub hábitu Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci pietátis opéribus assídue inténta, miráculis clara migrávit ad Dóminum, quam Gregórius Nonus Póntifex Máximus Sanctórum catálogo adscrípsit, eámque soróres et Moniáles ejúsdem Tértii Ordinis ut patrónam præcípuam venerántur. Eódem die, etc.

26 Romæ, beáti Leonárdi a Portu-Mauritio, Ordinis Minórum, Confessóris, strictióris Observántiæ sacri recéssus, Missionárii apostólici quadragintaquátuor annórum intervállo per plúrimas Itáliæ, ac univérsas ditiónis pontifíciæ regiónes, ubérrimis sacræ prædicatiónis frúctibus, omnígena virtúte, ac miráculis clari; quem Pius Sextus Póntifex Máximus beatórum cœlitum albo íntulit ritu solémni, tertiodécimo Kaléndas Júlii, millésimi septingentésimi nonagesimiséxti. Alexandríæ, etc.

27 Aptæ in Gállia Narbonénsi, beátæ Delphínæ, Tértii Ordinis, géneris nobilitáte, glória virginitátis, quam in conjúgio servávit, virtútum, ac miraculórum fama celebérrimæ. Antiochíæ, sanctórum, etc.

28 Neápoli, depositio sancti Jacóbi Picéni Confessóris, Ordinis Minórum, vitæ asperitáte, apostólica prædicatióne, ac plúribus pro re christiána óbitis legatiónibus præclári, quem Benedíctus Tertiusdécimus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscrípsit.

Romæ, sancti Rufi, etc. ne repetas: Neápoli, etc. ut in fine Lectionis.

29 Vigília sancti Andréæ Apóstoli.

Eódem die, Festum ómnium Sanctórum Trium Ordinum sancti Patris nostri Francísci, quod solémniter hac die ágitur, qua idem seráphicus Pater ab Honório Tértio régulæ Ordinis Minórum Confirmatiónem impetrávit. Romæ via Salária, etc.

## DECEMBRI.

Prima, vel secunda die hujus mensis non impedita, juxta Rubricas pecul. 219. et seq. legitur primo loco: Commemorátio ómnium defunctórum fratrum, et sorórum ómnium státuum Trium Ordinum nostræ seráphicæ religiónis, eórum, earúmque, ac vivéntium fratrum, et sorórum paréntum, ac benefactórum, et eórum ómnium, qui in cœmetériis eorúmdem Ordinum sunt sepúlti.

5 Waldséæ in diœcési Constantiénsi, beátæ Elísabeth Vírginis, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci Sanctimoniális, cognoménto Bonæ, quæ supérnis charismátibus ditáta, séptimo Kaléndas Decémbris migrávit ad Sponsum; ejus immemorábilem cultum Clemens Tertiusdécimus rite probávit. Mútalæ in Cappadócia, sancti Sabbæ, etc.

8 Concéptio immaculáta gloriósæ semper Vírginis Genitrícis Dei Maríæ, únicæ ac singuláris sub eódem Mystério nostri Seráphici Ordinis patrónæ. Romæ, beáti Eutychiáni, etc.

9 In Statu ecclesiástico légitur primo loco : Sancti Silvéstri Abbátis, Congregatiónis Monachórum Silvestrinórum institutóris, qui sexto Kaléndas Decémbris obdormívit in Dómino. Toléti in Hispánia, etc.

10 Lauréti in Picéno, Translátio sacræ Domus Dei Genitrícis Maríæ, in qua Verbum caro factum est. Romæ, etc. ne repetas : Lauréti, etc.

12 Assísii in Umbria, Invéntio córporis seráphici Patris nostri sancti Francísci, témpore Pii Papæ Séptimi. Romæ, sancti Synésii, etc.

14 Sancti Gregórii Thaumatúrgi Epíscopi et Confessóris, cujus natális quintodécimo Kaléndas Decémbris recensétur. Alexandríæ, etc.

15 Octáva immaculátæ Conceptiónis beatíssimæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ. Eódem die, Ordinátio, etc.

18 Festum Expectatiónis Partus beatíssimæ Vírginis Maríæ, quæ Spíritu sancto repléta, mundo péperit Salvatórem, Jesum Christum Fílium Dei. Philíppis in Macedónia, natális sanctórum Rufi, etc.

19 In ínsula prope Assísium in Umbria, quæ nunc Bastía dícitur, beáti Conrádi ab Ophyda Confessóris, Ordinis Minórum, oratióne, humilitáte, et charitáte conspícui, quem Deus innúmeris prope miráculis in vita et post mortem mirificávit. Abiit in cœlum prídie Nonas Decémbris. Corpus ejus Perúsium translátum, magna veneratióne cólitur. Alexandríæ in Ægypto, beáti Nemésii, etc.

23 Valéntiæ in Hispánia, beáti Nicolái cognoménto Factóris, Confessóris, Ordinis Minórum, qui ardentíssima charitáte in Deum æstuans, ac mirándis, innumerísque extásibus resplénduit, prophetíæ, ac miraculórum glória illústris, a Pio Sexto Pontífice Máximo inter Beátos adscríptus fuit. Romæ, sanctæ Victóriæ, etc.

## APUD MONIALES TERTII ORDINIS.

Die 26 Novembris legitur primo loco :

Octáva sanctæ Elísabeth, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci. Alexandríæ, etc.

Die 5 Decembris legitur primo loco :

Beátæ Delphínæ Vírginis, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci, de qua ágitur sexto Kaléndas Decémbris.

Secundo loco : Waldséæ in território Constantiénsi, etc. ut in Mart. Ordinis hac ipsa die. Postea : Mútalæ, etc. ut in Mart. Romano.

# LECTIONES PROPRIÆ
## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In Festo Triumphi SS. Nominis Jesu.
Lectio.

Omne, quodcúmque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi fácite, grátias agéntes Deo, et Patri per ipsum. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

In Festo S. Margaritæ de Cortona.
Lectio.

Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. Tu autem, etc.

In Festo S. Gabrielis Archangeli.
Lectio.

Scito ergo, et animadvérte : ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem usque ad Christum Ducem, hebdómades septem, et hebdómades septuaginta duæ erunt. Tu autem, etc.

In Festo S. Raphaelis Archangeli.
Lectio.

Tempus est ut revértar ad eum, qui me misit : vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus. Tu autem, etc.

In Festo Patrocinii S. Patriarchæ Joseph Sponsi B. Mariæ Virginis.
Lectio.

Filius accréscens Joseph, filius accréscens, et decórus aspéctu : fíliæ discurrérunt super murum. Tu autem, etc.

In Festo S. Paschalis Baylon Confessoris.
Lectio.

Dico enim per grátiam, quæ data est mihi, ómnibus qui sunt inter vos; non plus sápere, quam opórtet sápere, sed sápere ad sobrietátem. Tu autem, etc.

In Festo SS. Cordis Jesu.
Lectio.

Improperium expectávit cor meum, et misériam, et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit, et qui consolarétur, et non invéni. Tu autem, etc.

In Festo S. Antonii de Padua Confessoris.

Lectio.

Mihi autem dedit Deus dicere ex senténtia, et præsúmere digna horum, quæ mihi dantur : quóniam ipse sapiéntiæ dux est, et sapiéntium emendátor. Tu autem, etc.

In Festo S. Bonaventuræ Episc. et Ecclesiæ Doctoris.

Lectio.

Intrans in domum meam conquiéscam cum sapiéntia; non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convictus illíus, sed lætítiam, et gaúdium. Tu autem, etc.

In Festo Septem Dolorum B. Mariæ Virg. Lectio.

Deduc quasi torréntem lácrymas per diem, et noctem; non des réquiem tibi, neque táceat pupilla óculi tui. Tu autem, etc.

In Festivitatibus Seraphici P. N. S. Francisci.

Lectio.

De cétero nemo mihi moléstus sit. Ego enim Stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen. Tu autem, etc.

In Festo S. Petri de Alcantara Confessoris.

Lectio.

Scio et humiliári, scio et abundáre; ubíque et in ómnibus institútus sum, satiári, et esuríre, et abundáre, et penúriam pati. Omnia possum in eo, qui me confórtat. Tu autem, etc.

In Festo S. Didaci Confessoris. Lectio.

Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum. Tu autem, etc.

In Festo omnium Sanctorum Trium Ordinum S. P. N. Francisci.

Lectio.

Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Tu autem, etc.

In Festo immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis.

Lectio.

Beatus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit invéniet vitam, et haúriet salútem a Dómino. Tu autem, etc.

In Festo Expectationis Partus B. Mariæ Virginis.

Lectio.

Rorate cœli désuper, et nubes pluant justum, aperiátur terra, et gérminet Salvatórem, et justítia oriátur simul : ego Dóminus creávi eum. Tu autem, etc.

# INDEX SANCTORUM ET BEATORUM

## TRIUM ORDINUM S. FRANCISCI

QUI IN MARTYROLOGIO ROMANO-SERAPHICO ADNOTANTUR.

---

# FR. ALOYSIUS A LAURETO

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTOR JUBILATUS, TOTIUS ORD. MINORUM S. P. N. FRANCISCI MINISTER GENERALIS, COMMISSARIUS, VISITATOR ET REFORMATOR APOSTOLICUS, HUMILISQUE IN DOMINO SERVUS.

Ad tenorem Constitutionis Pii Papæ VI. incipientis : *Religiosos Ordines* facultatem facimus Typographo Domino P. J. Hanicq de Mechlinia imprimendi Martyrologium Sanctorum, et Beatorum Trium Ordinum Sancti Patris Nostri Francisci, servatis de jure servandis, ac facta Nobis subjectis facultate, ut ipso uti possint.

Datum Romæ ex Conv.u Aracœlitano die 4 Januarii 1847.

FR. ALOYSIUS A LAURETO Minister Gen.

De Mandato Pis suæ Revmæ

FR. FERDINANDUS A FILOPTRANO

L. E. et Secret.s Gñlis Ordinis.

# MARTYROLOGIUM

## SERAPHICI ORDINIS

AD USUM

## FRATRUM MINORUM S. FRANCISCI

### INDE CONVENTUALIUM NUNCUPATORUM,

NECNON MONIALIUM S. CLARÆ AC TERTII ORDINIS UTRIUSQUE SEXUS

ALIORUMQUE APOST. AUCTORITATE EORUM BREV. UTENTIUM.

*Cum in superioribus Regularium Ordinum Martyrologiis bene ac sapienter proposita fuerit ratio, ob quam ejusmodi Martyrologia, Gregorio XIII. annuente, fuerint evulgata; hinc ne, ut in veteri proverbio est, actum agatur, omissis Gregorianæ Constitutionis verbis, quæ plenissimo obsequio ac veneratione digna sunt, nonnulla ab aliis aut præterita, aut non satis elucidata, hic adduntur; et ea cumprimis Martyrologii Rubrica exscribitur, cujus Gregoriana Constitutio aperte meminit. Ea vero sic habet, ut sequitur:* Festa, de quibus eo die fit Officium, semper primo loco ponuntur, quod etiam servandum erit et in Festis mobilibus, quæ pronuntianda sunt, etc. Et in Sanctis propriis particularium Ecclesiarum, in hoc Martyrologio non appositis, qui in iis tantum Ecclesiis et locis, ubi præcipue memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, si de illis ibidem agatur Officium: si vero non agatur, post Sanctos in hoc Martyrologio descriptos, ordine suo, videlicet, Martyres post Martyres, Confessores post Confessores, et Virgines post Virgines. *Idcirco cum aliquorum, præcipue seraphici Ordinis Sodalium, ex approbata consuetudine, vel Indulto apostolico celebretur Officium, vel fiat Commemoratio, eorum nomina in propriis vel assignatis diebus, primo vel secundo loco pronuntiantur in hoc Martyrologio: quod similiter servandum est in Officiis votivis, de apostolicæ Sedis benignitate respective recitandis. Aliorum vero de quibus Officium in universo Ordine non celebratur, memoria tamen celebris in aliquibus Ecclesiis et locis habetur, juxta præscriptam regulam sive Rubricam, nomina proferantur suo loco et ordine in Lectione Martyrologii Romani. Quibus pro accurata ejusdem lectione adduntur sequentes regulæ: Anticipata Vigilia in Sabbato, non prævenitur ejus lectio in Martyrologio, licet anticipetur Officium seu Commemoratio cum jejunio, sed pronuntiatur in eodem Sabbato pro die Dominico; secus vero in Vigilia sancti Joannis*

*Baptistæ quando occurrit in Festo Corporis Christi; quo in casu solum jejunium anticipatur in feria quarta præcedenti, absque Officio vel Commemoratione ejusdem Vigiliæ, quamvis de ea in ipsa feria quarta primo loco legatur ante indictionem Festi Corporis Christi; quod in similibus servandum erit.*

*Si dies Octava occurrat in Festo primæ vel secundæ Classis, vel in Dominicis privilegiatis extra Quadragesimam et tempus, quo Octavarum ritus excluditur, dies Octava pronuntiatur secundo loco.*

*Festa toties pronuntiantur, quoties describuntur in Martyrologio Romano; et si in alteram diem ea perpetuo assignantur, iterum pronuntiari debent primo loco simpliciter absque elogio, nisi sint particularia Ordinis: quæ Festa non indicantur, quando per annum in aliam diem transferuntur.*

# JANUARIO.

Sabbato ante Dominicam secundam post Epiphaniam.

**FESTUM sanctissimi Nóminis Jesu, cujus cultum sanctus Bernardínus Senénsis mirífice propagávit; quod Clemens Séptimus in Ordine Minórum decimonóno Kaléndas Februárii solémniter agi præcépit, et Officio interveniéntibus, ac quinquies Oratiónem Dominicam, et Salutatiónem Angélicam recitántibus, indulgéntias concéssit, quæ ómnia Clemens Octávus confirmávit; ac tandem Innocéntius Decimustértius in univérsa Ecclésia Domínica secúnda post Epiphaniam celebrári mandávit.**

Quando vero impeditur ab eadem Dominica, vel ab alio Festo majoris ritus, tunc ne celebretur in Quadragesima, transfertur in diem 28 hujus tamquam sedes propria, ideo dicta dies relinquenda est vacua, neque assignari umquam poterit, tanquam sedes propria et fixa alicujus Sancti. Ubi autem dicta dies esset propria alicujus Sancti in ea occurrentis, vel ab aliquo Sancto dupl. secundæ class. cum Octava fuerit impedita, tunc reponendum est in aliam diem infra Octavam, translato quocumque alio Festo, nisi sit altioris ritus, S. R. C. 11. Septembris 1790. et tunc primo loco legitur: Festum sanctissimi Nóminis Jesu.

**14 Apud Utinum in Foro Júlii beáti Odoríci Confessóris, Ordinis Minórum, vitæ austeritáte, humilitáte, sciéntia, et oratióne conspícui, qui ferventissimis conciónibus multa infidélium míllia convértit ad Christum, et miraculórum fama clarus, post várias peregrinatiónes, decimonóno Kaléndas Februárii migrávit ad Dóminum.** Sancti Hilárii, etc.

**16 Maróchii in Africa pássio sanctórum Berárdi, Petri, atque Othónis Sacerdótum, Accúrsii et Adjúti laicórum, qui ob Christi confessiónem**

flagris et fústibus diríssime cæsi, consummáto agóne meruérunt esse primítiæ Mártyrum, quos Ordo Minórum transmisit ad Dóminum.

Deinde : Romæ, etc. Postea : Areláte, etc.

25 Jerosólymis Desponsátio beátæ Vírginis Maríæ cum sancto Joseph. Barcinóne, etc.

30 Vitérbii sanctæ Hyacínthæ de Mariscóttis Vírginis, Sanctimoniális Tértii Ordinis sancti Francísci, pœniténtia, et charitáte insígnis, quam Benedíctus Tertiusdécimus Beátis, et Pius Séptimus Sanctis adscrípsit. Romæ sanctæ Martínæ, etc.

# FEBRUARIO.

1 Pilei prope Anágniam in Látio beáti Andréæ de Comítibus Confessóris, Ordinis Minórum, qui fama sanctitátis et miraculórum in effugándis præcípue spirítibus immúndis clarus, non intermisso ibídem, ubi corpus ejus in Ecclésia sancti Lauréntii præfáti Ordinis requiéscit, fidélium cultu venerári méruit. Natális, etc.

Quando Purificatio B. Virginis Mariæ occurrit in Dominica privilegiata, et ipsa sub hoc mysterio non est Titularis, tunc Feria secunda, hoc est die 3 tamquam propria, primo loco legitur : Festum Purificatiónis beátæ Maríæ Vírginis.

3 Beátæ Viridiánæ Vírginis reclúsæ Ordinis Vallisumbrósæ, quæ a seráphico Patriárcha Francísco Tértio Ordini adscrípta, frúctibus pœniténtiæ dignis, et miraculórum glória spectábilis, apud Castrum Florentínum in Etrúria Kaléndis Februárii spíritum Deo réddidit. Sebáste, etc.

4 In óppido Amatrícis Reatínæ diœcésis Depositio sancti Joséphi a Leonissa, etc. ut in Martyrologio Romano pag. 24.

Floréntiæ, etc. et non repetitur : In óppido Amatrícis, etc.

6 Sancti Marcélli Papæ et Mártyris, cujus memória decimoséptimo Kaléndas Februárii recólitur. Cæsaréæ, etc.

11 Sanctæ Martínæ Vírginis et Mártyris, de qua ágitur tértio Kaléndas Februárii. In Africa, etc.

12 Beátæ Ludovícæ Albertóniæ víduæ, Tértii Ordinis sancti Francísci, vita et miráculis præcláræ, quæ Romæ prídie Kaléndas Februárii obdormívit in Dómino. Barcinóne, etc.

13 Sancti Ignátii Epíscopi et Mártyris, cujus natális dies Kaléndis Februárii recólitur. Antiochíæ, etc.

14 Beatórum Mártyrum Petri-Baptístæ, Martíni, et Francísci Sacerdótum, Philíppi, Gundisálvi, et altérius Francísci laicórum Ordinis

Minórum strictióris Observántiæ Discalceatórum, qui cum áliis viginti, quorum quíndecim in apostólico ministério consócii ad Tértium Ordinem sancti Francísci revocántur, quibus duo item accenséntur in cárcere ministrántes : qui omnes in regno Japóniæ pro cathólica fide in crucem acti, et lanceárum ictibus perfóssi, inter divínas laudes, ejusdémque fídei prædicatiónem Nonis Februárii gloriόse occubuérunt. Romæ, etc.

15 Patávii Translátio córporis sancti Antónii Lusitáni Confessóris, Ordinis Minórum, ab húmili Ecclésiæ loco ad aram máximam témpore Urbáni Papæ Quarti, cujus lingua a sancto Bonaventúra, séptimo post seráphicum Patriárcham Generáli Minístro, íntegra, recens, ac rubicúnda repérta, Benedícto Decimoquárto sedénte, ad sumptuósum sacéllum solémniter repósita fuit. Hæc autem translátio, quæ cóntigit séptimo Idus Aprílis, hac die ágitur, qua in túmulo pretiosióri sub Cleménte Sexto máxima celebritáte idem corpus fuit recónditum. Bríxiæ, etc.

16 Arétii in Etrúria beáti Gregórii Décimi Placentíni, ut in Martyrologio Romano pag. 32. penultimo loco : Natális beáti Onésimi, etc. et non repetitur : Arétii, etc.

17 Beáti Antónii de Stroncónio Confessóris, Ordinis Minórum, reguláris Observántiæ, virginitátis, prophetíæ dono, ac miraculórum fama illústris, qui Assísii in Umbria obdormívit in Dómino séptimo Idus Februárii. Romæ, etc.

18 Sancti Andréæ Corsíni Epíscopi, et Confessóris, cujus memória recólitur prídie Nonas Februárii. Jerosólymis, etc.

19 Neti in Sicília sancti Conrádi Confessóris, Tértii Ordinis sancti Francísci, humanárum rerum contémptu, vitæ austeritáte, crebrísque miráculis célebris. Romæ, etc.

20 Bitúricis in Aquitánia beátæ Joánnæ Valésiæ, olim Francórum Regínæ, a qua ordo sanctíssimæ Annuntiatiónis sub régula decem virtútum beátæ Maríæ Vírginis institútus, fratrum Minórum obediéntiæ et directióni subjícitur, quæ in cœlum evolávit prídie Nonas Februárii. Tyri, etc.

21 Sancti Raymúndi de Pénnafort Confessóris, de quo ágitur décimo Kaléndas Februárii. In Sicília, etc.

23 In anno Bissextili omittitur Vigília sancti Matthíæ Apóstoli, quia transfertur in sequentem diem, quæ est :

24 Vigília sancti Matthíæ Apóstoli.

Sanctæ Margarítæ Cortonénsis, quæ a perditiónis sémita in viam salútis divínitus revocáta, Tértii Ordinis sancti Francísci suscépto hábitu,

admirábili pœniténtia, et ubérrimis lácrymis anteáctæ vitæ sordes indesiuénter abstérsit; virtútibus clara pridie hujus diéi migrávit in cœlum, et a Benedicto Tertiodécimo Pontífice Máximo Sanctórum fastis annumeráta fuit. Apud Syrmium, etc.

Festa occurrentia diebus 24 25 26 27 28 mensis Februarii in anno communi; in Bissextili transferuntur in proximas sequentes dies 25 26 27 28 29 tamquam dies assignati; secus legeretur Martyrologium de Sancto, de quo jam factum fuisset Officium, quod esset improprium et præter ordinem lectionis Martyrologii, S. R. C. 1. Martii 1682. et tunc in die 25 tamquam propria primo legitur: Festum sancti Matthiæ Apóstoli.

25 vel 26 Sancti Petri Damiáni Cardinális, Epíscopi Ostiénsis, et Ecclésiæ Doctóris, cujus natális dies recólitur séptimo Kaléndas Mártii. In Ægypto, etc.

27 vel 28 Sancti Hilárii Epíscopi Pictaviénsis et Confessóris, de quo ágitur decimonóno Kaléndas Februárii. Romæ, etc.

Feria quinta post Dominicam Sexagesimæ.

Festum sacrórum quinque Vúlnerum Dómini nostri Jesu Christi.

# MARTIO.

1 In castro Múciæ prope Camerinum beáti Rizzéril Confessóris, discípuli sancti Patris nostri Francísci, virtútibus, et miráculis clari. Romæ sanctórum Mártyrum, etc.

2 Messánæ in Sicília beátæ Eustóchii Vírginis, quæ illústri génere Cátanæ orta, novum sub primæva sanctæ Claræ régula in Messanénsi urbe monastérium extrúxit, ejúsque prima Abbatissa elécta, illud sanctíssime gubernávit, ac virtútum méritis, et miraculórum fama illústris, tertiodécimo Kaléndas Februárii migrávit in cœlum. Romæ, etc.

3 Neápoli depositio sancti Joánnis Joséphi a Cruce Ordinis Minórum Excalceatórum, sancti Petri de Alcántara Itálicæ famíliæ promotóris, primíque Provinciális: qui sanctórum Francisci Assisiénsis, ac Petri de Alcántara stúdia æmulátus, vitæ sanctimónia, jugíque pœniténtia Ordini seráphico insígne decus áddidit, a Gregório Papa Decimoséxto in Sanctórum cánonem relátus. Antiochíæ, etc.

6 Apud Gandávum in Flándria sanctæ Colétæ Vírginis, quæ primum Tértii Ordinis sancti Francísci régulam proféssa; deinde divíno Spíritu afflàta, quamplúra Moniálium secúndi Ordinis monastéria primævæ disciplínæ restítuit, atque divínis exornáta virtútibus innúmeris cláruit

miráculis. Eam Pius Papa Séptimus sanctis Virginibus annumerávit. Nicomédiæ, etc.

9 Bonóniæ sanctæ Catharínæ Vírginis, Ordinis sanctæ Claræ, vitæ sanctitáte illústris, cujus corpus incorrúptum magno honóre ibídem cólitur; eámque Clemens Undécimus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscripsit. Romæ, etc. et non repetitur : Bonóniæ, etc.

11 Sanctæ Francíscæ víduæ Románæ, quæ séptimo Idus Mártii migrávit in cœlum. Carthágine, etc.

Feria sexta post Dominicam Passionis, quando Festum Septem Dolorum beatæ Mariæ Virginis impeditur ab alio Festo majoris dignitatis, vel ritus, tunc eadem Feria sexta pro sequenti Sabbato, et non ultra, primo loco legitur :

Festum Septem Dolórum beatíssimæ Vírginis Maríæ.

13 Panórmi in Sicília beáti Matthæi de Agrigénto, ejúsdem civitátis Epíscopi et Confessóris, Ordinis Minórum, sancti Bernardíni Senénsis sócii, ejúsque virtútum, imprímis vero pietátis erga Deíparam, et sanctíssimum Nomen Jesu imitatóris claríssimi, qui sancte gesto, ac póstea dimísso episcopáli múnere, quiévit in Dómino séptimo Idus Januárii, miraculórum fama, cultúque immemorábili ab apostólica auctoritáte comprobáto insígnis. Nicomédiæ, natális, etc.

14 Lugdúni in Gállia translátio córporis sancti Bonaventúræ Cardinális, Epíscopi Albanénsis, Doctóris seráphici, cujus caput a vitáli statu plane immutátum, post centésimum sexagésimum annum, témpore Eugénii Papæ Quarti repértum est. Romæ, etc.

15 Tudérti beáti Rogérii Confessóris, seráphici Patris sancti Francisci discípuli, qui exímia charitáte, vitæque perfectióne refúlgens ad cœléstia regna migrávit Nonis Januárii, signis, ac porténtis in vita, et post mortem illústris. Cæsaréæ in Cappadócia, etc.

16 Senis in Túscia beáti Petri Pectinárii Confessóris, Tértii Ordinis sancti Francísci, qui vitæ sanctitáte, et prophetíæ dono insignítus, e vita migrávit prídie Nonas Decémbris anno millésimo ducentésimo octogesimonóno. Romæ, pássio etc.

18 Sancti Gabriélis Archángeli, qui beátæ Maríæ Vírgini Incarnatiónis domínicæ mystérium nuntiávit. Cæsaréæ, etc.

19 In Judæa natális Patriárchæ sancti Joseph Sponsi beatíssimæ Vírginis Maríæ, peculiáris universi seráphici Ordinis tutelláris, ac patróni. Surrénti, etc.

20 Cameríni beáti Joánnis a Parma Confessóris, séptimi Ordinis Minórum Generális Minístri, virtútibus, Legatiónibus apostólicis, doctrína, et miraculórum fama in vita, et post mortem celebérrimi, cujus

immemorábilem cultum Pius Sextus Póntifex Máximus approbávit. In Judæa, etc.

22 Auxími in Picéno sancti Benvenúti Epíscopi, et Confessóris, Ordinis Minórum, sollicitúdine pastoráli, et vitæ integritáte conspícui, quem virtútibus et miráculis clarum Martínus Quartus Póntifex Máximus Sanctis adscrípsit. Narbónæ, etc. et non repetitur : Auxími, etc.

23 Beáti Salvatóris ab Horta, Hispáni, Confessóris, Ordinis Minórum de Observántia, qui virginitáte, vitæ sanctimónia, atque miráculis conspícuus, Cálari in Sardínia quintodécimo Kaléndas Aprílis obdormívit in Dómino. In Africa, etc.

Quando Annuntiat. B. Mariæ Virg. occurrit in Dominica, vel impeditur a festo altioris ritus, tunc Feria secunda hoc est die **26** tamquam propria, primo loco legitur : **Festum Annuntiatiónis beatíssimæ Genitrícis Dei Maríæ.** Quando vero occurrit a Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusive, tunc in ipsa Dominica pro Feria secunda tamquam propria, primo loco legitur : **Festum Annuntiatiónis, etc.**

30 Fulgínei in Umbria beátæ Angelæ víduæ, Tértii Ordinis sancti Francísci, sanctitátis fama celebérrimæ, quæ prídie Nonas Januárii evolávit in cœlum; cujus corpus ibídem in Ecclésia sancti Francísci Fratrum Minórum Conventuálium summa pópuli veneratióne cólitur. Romæ, etc.

# APRILI.

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pascha.

Festum Patrocínii Patriárchæ sancti Joseph, Sponsi beátæ Vírginis Maríæ, peculiáris univérsi seráphici Ordinis patróni.

3 Panórmi in Sicília sancti Benedicti Confessóris, cognoménto Nigri, Ordinis Minórum, qui signis, et virtútibus clarus prídie Nonas Aprílis in Dómino quiévit, et a Pio Papa Séptimo anno millésimo octingentésimo séptimo Sanctórum catálogo solémniter fuit adscríptus. Tauroménii in Sicília, etc.

12 Cúnei in Pedemóntio beáti Angeli a Clavásio Conféssóris, Ordinis Minórum, doctrína, prudéntia, et charitáte insígnis, qui plúries Cismontána ejúsdem Ordinis præfectúra, apostolicísque Legatiónibus præcláre functus ad cœléstia regna migrávit, et miraculórum fama étiam post mortem refúlsit. Verónæ, pássio, etc.

16 In Picéno apud Sirólum Anconitánæ diœcésis beáti Petri de Treja, olim Montículo, Confessóris, Ordinis Minórum, fama sanctitátis, et prædicatióne clari, ingénti quoque oratiónis fervóre erga beatíssimam

Vírginem, et sanctum Michaélem Archángelum devotióne, ac miraculórum grátia insignis, qui Kaléndis Mártii obdormívit in Dómino. Corinthi, etc.

18 Fabriáni in Picéno beáti Francísci Venimbéni Confessóris, Ordinis Minórum, qui verbi Dei prædicatióne exímius, ac virtútum, et miraculórum fama illústris, décimo Kaléndas Maji evolávit in cœlum, cultúmque ab immemorábili témpore ei delátum, Pius Papa Sextus Póntifex Máximus rite probávit. Romæ beáti Apollónii, etc.

19 Asculi in Picéno beáti Conrádi Miliáni Confessóris, Ordinis Minórum, qui quum Africam peragrándo plúrimos ad fidem convertisset, virtútibus ac signis admirándus, clarus óbiit in Pátria. Natális sancti Timónis, etc.

20 Bitécti in Apúlia beáti Jacóbi Illyrici Confessóris, Ordinis Minórum, virtútum glória, et miraculórum fama illústris : ejus ánima quinto Kaléndas Maji evolávit in cœlum. Romæ, etc.

23 Perúsiæ beáti Ægydii Confessóris, seráphici Patris nostri sancti Francísci sócii, qui paupertáte, castitáte, ceterisque virtútibus, supernisque donis insignis, miraculórum quoque fama, ante, et post óbitum resplénduit. Natális sancti Geórgii, etc.

24 Sevísii in Rhétia sancti Fidélis a Sigmaringa, etc. ut in Martyrologio Romano pag. 74.

Sabbato ante Dominicam quintam post Pascha.

Assisii in Umbria Dedicátio Basílicæ Patriárchæ sancti Francísci, quam Innocéntius Quartus ritu solémni consecrávit, et Gregórius Nonus Apostólicæ Sedi immediáte subjécit, atque univérsi seráphici Ordinis caput, et matrem constítuit, eamdémque Benedíctus Decimusquártus in patriarchálem, et capéllam papálem eréxit.

27 Sancti Geórgii Mártyris, cujus memória recólitur nono Kaléndas Maji. Nicomédiæ, etc.

28 Apud Pódium Bonítium in Etrúria beáti Lúcii Confessóris, Tértii Ordinis sancti Francísci, sanctitátis atque miraculórum fama illústris. Ravénnæ, etc.

## MAJO.

11 Recineti in Picéno beáti Benvenúti Maréni Confessóris, Ordinis Minórum, mira pietáte et signórum claritáte spectábilis. Hujus beáti viri cultum immemorábilem Pius Papa Séptimus ratum hábuit, festúmque cum Officio et Missa recoléndum indúlsit : ejus autem beáta mors áccidit tértio Nonas Maji. Romæ via Salária, etc.

13 Vallis-oléti sancti Petri Regaláti Confessóris, Ordinis Minórum, reguláris disciplinæ in Hispániæ cœnóbiis restitutóris, quem Benedictus

Decimusquártus Póntifex Máximus Sanctórum fastis annumerávit; ejus vero festum, ob córporis ipsíus translatiónem, hódie celebrátur. Romæ, etc.

14 Floréntiæ beáti Gherárdi a Villamágna Equitis auxiliárii Hierosolymitáni, Tértii Ordinis sancti Francísci, contemplatiónis, et pœniténtiæ stúdio præclári. Natális sanctæ Petronillæ, etc.

17 Apud Villam Regálem in regno Valéntiæ sancti Paschális Confessóris, Ordinis Minórum, strictióris Observántiæ Discalceatórum, miræ innocéntiæ, paupertátis, et pœniténtiæ viri, quem miráculis clarum Alexánder Octávus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscrípsit.

Pisis, etc. et non repetitur : Apud Villam Regálem, etc.

19 In Británnia minóri sancti Ivónis Presbyteri et Confessóris, Tértii Ordinis sancti Francísci, qui pro Christi amóre causas pupillórum, viduárum, ac paúperum deféndit; ac sanctitáte et miráculis conspícuus a Cleménte Sexto Pontífice Máximo, in Sanctórum cánonem relátus est.

Natális, etc. et non repetitur : In Británnia, etc.

20 Aquilæ in Vestínis sancti Bernardíni Senénsis Confessóris, Ordinis Minórum reguláris Observántiæ, qui verbo et exémplo Itáliam illustrávit, atque miráculis clarus a Nicoláo Quinto Pontífice Máximo Sanctis adscríptus est, cujus corpus in Ecclésia Fratrum Minórum sancti Francísci cónditum, témpore Sixti Papæ Quarti ad templum eorúmdem Fratrum de Observántia ejus nómini dicátum, quinto Kaléndas Június translátum, ibi incorrúptum religióse cólitur.

Romæ, etc. et non repetitur : Aquilæ, etc.

21 Sancti Felícis Confessóris Ordinis Minórum Capuccinórum, evangélica simplicitáte, et charitáte conspícui, qui migrávit in cœlum quintodécimo Kaléndas Június, et miráculis clarus a Cleménte Undécimo Pontífice Máximo Sanctórum fastis fuit annumerátus. In Mauritánia, etc.

22 Sancti Petri Cœlestíni Papæ et Confessóris, cujus ánima quartodécimo Kaléndas Július evolávit in cœlum. Romæ, etc.

23 Floréntiæ beátæ Humiliánæ de Cerchis víduæ, Tértii Ordinis sancti Francísci, géneris nobilitáte, abstinéntia, ac miráculis conspícuæ; quæ obdormívit in Dómino quartodécimo Kaléndas Június, ejúsque corpus ibídem in Ecclésia Sanctæ Crucis Fratrum Minórum cólitur. Apud Língonas, etc.

24 Maróchii in Africa, etc. ut in Martyrologio Romano pag. 96.

Antiochíæ, etc. et non repetitur : Maróchii, etc.

25 Assísii in Umbria Translátio córporis seráphici Patriárchæ sancti Francísci, Levítæ et Confessóris, ab Ecclésia sancti Geórgii ad Basílicam in ejus honórem constrúctam, témpore Gregórii Papæ Noni.

Salérni, etc. et non repetitur : Assísii, etc.

28 Sancti Gregórii Séptimi Papæ et Confessóris, cujus memória octávo Kaléndas Júnii recólitur. In Sardínia, etc.

29 Sancti Joánnis Nepomucéni Metropolitánæ Ecclésiæ Pragæ Canónici, cujus memória decimoséptimo Kaléndas Júnii recólitur. Romæ, etc.

30 Maróchii in Africa beáti Joánnis de Prado, Ordinis Minórum, qui prædicatióne Evangélii post víncula, cárceres, flagélla, plurimáque ália torménta pro Christo fórtiter toleráta, per ignem martyrium consummávit. Ejus autem memória nono Kaléndas Júnii recensétur. Romæ, etc.

31 Brixiæ sanctæ Angelæ Meríciæ Vírginis, Moniálium sanctæ Ursulæ institutrícis, de qua sexto Kaléndas Februárii. Romæ, etc.

# JUNIO.

1 Leopoli in Rússia beáti Jacóbi, ejúsdem urbis Archiepíscopi, Ordinis Minórum, pastoráli sollicitúdine, et virtútibus apostólicis illústris. Ejus cultum Pius Sextus Póntifex Máximus ratum hábuit, et ampliávit, concésso in ejus honórem Officio, et Missa. Romæ, etc.

2 Cameríni deposítio beátæ Baptistæ ex ejúsdem civitátis Princípibus Varáni, quæ primitívam sanctæ Claræ régulam proféssa, Camerinénse hujus Ordinis monastérium fundávit. Romæ natális, etc.

3 Hyspélli in Umbria beáti Andréæ Caccióli Confessóris, Ordinis Minórum, ex septuagintaduóbus seráphici Patriárchæ discípulis, primi Sacerdótis, cujus corpus ibidem in Ecclésia sancti Andréæ Apóstoli ejúsdem Ordinis, non intermíssa populórum veneratióne cólitur. Arétii, etc.

5 Ceredáni in diœcési Novariénsi beáti Pacífici Confessóris, Ordinis Minórum Reguláris Observántiæ, virtútum laude, et sanctis opéribus célebris. In Ægypto, etc.

12 Cortónæ in Túscia beáti Guidi Confessóris, Ordinis Minórum, ex septuagintaduóbus sancti Patris Francísci discípulis, cujus festum ob inventiónem ejus cápitis hódie celebrátur, cum ipse quarto Idus Maji ánimam Deo reddíderit. Salmánticæ, etc.

13 Patávii sancti Antónii Lusitáni Confessóris, Ordinis Minórum, vita, miráculis, prædicatióne, ac sciéntia illústris, qui ómnium primus ex eódem Ordine sacras litteras fuit interpretátus, quem Gregórius Nonus Sanctis adscrípsit; ejus autem corpus in Ecclésia præfáti Ordinis suo nómini dicáta, recónditum, frequénti fidélium concúrsu ac veneratióne cólitur. Romæ, etc.

15 Sancti Joánnis a sancto Facúndo Confessóris, qui óbiit pridie Idus Júnii. In Lucánia, etc.

16 Apud Gnesnam in Polónia beátæ Joléntæ, Bedæ Quarti Regis Hungarórum fíliæ, quæ Bolesláo majóri Polóniæ duci in matrimónio juncta, ab eóque solúta, monásticam vitam Ordinis sanctæ Claræ est profésssa, in qua omni génere virtútum sese exércuit, donec méritis, et virtútibus cumuláta migrávit ad Sponsum tértio Idus Június anno millésimo ducentésimo nonagesimonóno. Vesontióne, etc.

19 Pisaúri beátæ Michelínæ víduæ, Tértii Ordinis sancti Francísci, sánguinis nobilitáte, vitæ sanctitáte, ac miráculis conspícuæ, cujus corpus in Ecclésia Fratrum Minórum conventuálium cídem sancto Patriárchæ dicáta, præcípua veneratióne cólitur. Floréntiæ, etc.

20 Octáva sancti Antónii Lusitáni Confessóris, Ordinis Minórum. Natális, etc.

22 Festum sacrárum Reliquiárum, quæ in Ecclésiis univérsi seráphici Ordinis asservántur. Apud Nolam, etc.

23 Vigília sancti Joánnis Baptístæ.

Sanctæ Juliánæ Vírginis, cujus natális fuit tertiodécimo Kaléndas Július. Romæ, etc.

Quando Festum S. Joannis Baptistæ occurrit in Festo SS. Corporis Christi, tunc Feria sexta, hoc est die 25 tamquam propria Festum celebratur, et die præcedenti legitur primo loco:

Festum Nativitátis sancti Joánnis Baptístæ præcursóris Dómini.

27 Cornéti in Apúlia beáti Benvenúti Eugubíni Confessóris, Ordinis Minórum, fama sanctitátis, et miraculórum illústris. In Galátia, etc.

# JULIO.

8 Sanctæ Elísabeth víduæ, Lusitanórum Regínæ, Tértii Ordinis sancti Francísci, quæ quarto Nonas Július migrávit ad Dóminum; eámque virtútibus, et miráculis claram Urbánus Octávus in Sanctárum númerum rétulit. In Asia minóri, etc.

9 Tiférni sanctæ Verónicæ de Juliánis, Secúndi Ordinis sancti Francísci, Abbatíssæ ascetérii ejúsdem urbis, ex óppido Mercatélli Urbaniénsis diœcésis, insígni patiéndi stúdio, ceterísque virtútibus, ac cœléstibus charismátibus illústris, quam Gregórius Papa Decimusséxtus sanctárum Vírginum collégio adscripsit. Romæ, etc.

10 Briélæ in Hollándia pássio novémdecim Mártyrum Gorcomiénsium nuncupatórum, quorum úndecim, nimírum Nicoláus, Hierónymus, Guiláldus, Nicásius, Theodoricus, Antónius, Godefrídus, Franciscus, alter Antónius Sacerdótes, Petrus et Cornélius láici, omnes ex

Ordine Minórum reguláris Observántiæ, qui ob tuéndam Ecclésiæ Románæ auctoritátem, et reálem Christi in Eucharistía præséntiam, a Calviniánis hæréticis vária ludíbria et torménta perpéssi, extrémo supplício martyrium consummárunt, memoriáque recólitur séptimo Idus Július. Romæ, etc.

14 Lugdúni sancti Bonaventúræ Cardinális, Epíscopi Albanénsis, Confessóris et Doctóris, Ordinis Minórum, doctrína et vitæ sanctitáte celebérrimi, qui in œcuménico Concílio ibídem celebráto ad cœléstem Pátriam migrávit, et a Sixto Quarto Sanctórum cánoni annumerátus est. Romæ, etc.

15 Fulgínei in Umbria beátæ Angelínæ de Marsciáno víduæ, quæ quum illústri esset orta prosápia, sæculo renúntians, ac divitiárum jactántia, opibúsque contémptis, hábitum Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci, defúncto cónjuge, suscépit, ac prima ómnium vota monástica proféssa in monastério sanctæ Annæ a se extrúcto, sacræ Tertiariárium religióni inítium dedit, ac multárum prærogativa virtútum insígnis, miráculis in vita, et post mortem corúscat. Ejus cultum immemorábilem Leo Duodécimus Póntifex Máximus ratum hábuit. Bambérgæ sancti Henríci, etc.

16 Festum beátæ Vírginis Maríæ de monte Carmélo.

Assísii in Umbria canonizátio seráphici Patriárchæ sancti Francísci Levítæ et Confessóris, quem Gregórius Papa Nonus, ob admirábilem vitæ sanctitátem, et miraculórum magnitúdinem, biénnio ab ejus óbitu in ipsa sancti Geórgii Ecclésia, in qua ejúsdem beáti Patris sacrum corpus tunc recondebátur, insígni celebritáte Sanctórum fastis adscrípsit. Eódem die, etc.

18 Cracóviæ in Polónia beáti Simónis de Lypnica Confessóris, Ordinis Minórum, reguláris Observántiæ, fama sanctitátis, et miraculórum glória célebris. Sancti Camílli, etc.

19 Leópoli in Rússia beáti Joánnis de Dukla Confessóris, qui e cœnóbio Sanctæ Crucis ad Ordinem Minórum, reguláris Observántiæ secédens, virtútibus, et donis cœléstibus, ac potíssimum grátia sanitátum conspícuus, tértio Kaléndas Octóbris migrávit in cœlum; ejus vero corpus in Ecclésia sancti Andréæ Apóstoli corúmdem fratrum honoríﬁce requiéscit. Sancti Vincéntii, etc.

20 Antiochíæ pássio sanctæ Margarítæ Vírginis et Mártyris.

Sancti Hierónymi, etc. et non repetitur : Antiochíæ, etc.

21 Octáva sancti Bonaventúræ Cardinális Epíscopi, Confessóris, et Ecclésiæ Doctóris, Ordinis Minórum. Romæ, etc.

24 Vigília sancti Jacóbi Apóstoli.

Limæ in regno Peruáno sancti Francísci Soláni Confessóris, Ordinis

Minórum Reguláris Observántiæ, apud Indos Occidentáles, prædicatióne, signis, et virtútibus illústris, qui prídie Idus Júlii migrávit ad Dóminum; atque a Benedícto Decimotértio Pontífice Máximo Sanctórum fastis adscríptus est. Tyri, etc.. et non repetitur : Limæ, etc.

27 In monastério Sandacénsi beátæ Chunegúndis, quæ cum Bolesláo Pudíco Polóniæ duce illibátam virginitátem in matrimónio servávit, eóque defúncto, monásticam Ordinis sanctæ Claræ vitam proféssa, sanctimónia, et miráculis conspícua, ad cœléstem Sponsum migrávit nono Kaléndas Augústi. Nicomédiæ, etc.

30 Romæ sancti Camílli de Lellis Confessóris, clericórum Regulárium infírmis ministrántium institutóris, de quo prídie Idus Júlii ágitur. Romæ, etc.

# AUGUSTO.

2 Apud Assísium dedicátio Ecclésiæ sanctæ Maríæ Angelórum, de Portiúncula nuncupátæ, in qua seráphicus sanctus Pater Francíscus gloriosíssimæ Vírginis Deíparæ intervéntu, plenáriam indulgéntiam obtínuit a Christo Dómino pro cunctis fidélibus illuc hodiérna die confluéntibus, quam Honórius Tértius, tamquam Christi Vicárius, de ejúsdem Dómini mandáto confirmávit; aliíque summi Pontífices ad univérsas seráphici Ordinis Ecclésias, étiam pro Defúnctis ampliárunt. Nucériæ Paganórum sancti Alphónsi, etc.

In Locis, ubi hodie celebratur festum Consecrationis propriæ Ecclesiæ sub titulo sanctæ Mariæ Angelorum, primo loco legitur : Festum Dedicatiónis hujus Basílicæ. Apud Assísium, etc.

4 Bonóniæ sancti Patris Domínici Confessóris, Ordinis Fratrum Prædicatórum fundatóris, seráphico Patriárchæ Francísco íntima familiaritáte, ac perpétuæ charitátis vínculo conjúncti, viri sanctitáte, et doctrína claríssimi : qui virginitátem perpétuo illibátam servávit, et ob meritórum grátiam tres mórtuos suscitávit, cumque prædicatióne sua hæreses compressísset, ac plúrimos ad religiósam, et piam vitam instituísset, octávo Idus Augústi in pace quiévit. Thessalonícæ, etc.

6 In monte Thabor Transfigurátio Dómini nostri Jesu Christi, cujus Offício et Missæ interveniéntibus, Callístus Tértius Póntifex Máximus, eásdem indulgéntias, quæ in Festo sacratíssimi Córporis Christi dispensántur, perpétuo concéssit. Romæ, etc.

9 Vigília sancti Lauréntii Mártyris.

Sancti Vincéntii a Paulo Confessóris, cujus memória quartodécimo Kaléndas Augústi recólitur. Romæ, etc.

Die 11 apud Moniales sanctæ Claræ primo loco legitur : Vigília sanctæ Claræ.

11 Sancti Hierónymi Æmiliáni Confessóris, cujus memória tertiodécimo Kaléndas Angústi institúitur. Romæ, etc.

12 Assisii in Umbria sanctæ Claræ Vírginis, primæ plantæ paúperum Feminárum, Ordinis Minórum, sánguinis nobilitáte, mundi contémptu, vitæ innocéntia, ceterísque heróicis virtútibus, ac donis conspícuæ, quam miráculis célebrem Alexánder Quartus Póntifex Máximus in númerum Sanctárum Vírginum rétulit. Cátanæ, etc.

13 Sancti Henríci Primi Imperatóris, cujus festívitas Idibus Július celebrátur. Romæ, etc.

14 Vigília Assumptiónis beátæ Maríæ Vírginis.

Sancti Æmygdii Epíscopi et Mártyris, cujus natális dies Nonis Augústi recensétur. Romæ, etc.

16 In Gállia Narbonénsi apud montem Pessulánum depositio sancti Rochi Confessóris, Tértii Ordinis sancti Francísci, qui multas Itáliæ urbes a morbo epidémiæ signo Crucis liberávit : cujus corpus Venétias póstea translátum, et in Ecclésia ejus nómini consecráta honorificentíssime cónditum fuit. Cracóviæ, etc. et non repetitur : In Gállia, etc.

18 In Montefálco Umbriæ beátæ Claræ Vírginis, Tértio Ordini sancti Francísci adscríptæ, moniális Ordinis Eremitárum sancti Augustíni, in cujus viscéribus indivíduæ Trinitátis symbolum, et univérsæ Domínicæ Passiónis insígnia mirabíliter impréssa máxima cum devotióne venerántur. Prænéste, etc. et non repetitur : In Montefálco, etc.

19 In Província apud Castrum Bríncolam sancti Ludovíci Epíscopi Tolosáni Confessóris, filii Cároli Secúndi utriúsque Sicíliæ et Jerúsalem Regis, qui in ipsa adolescéntia juri primogenitúræ, et regno étiam Hungárico, ex matre hæréde, renúntians, Ordinem Minórum amplécti vóluit; quem vitæ sanctitáte et miráculis clarum Joánnes Vigesimussecúndus Sanctis adscrípsit. Quo sedénte, ejus corpus Massíliæ in templo sancti Francísci ejúsdem Ordinis repósitum, ad præsens Valéntiæ in Hispánia Tarraconénsi in Metropolitána Ecclésia venerátur.

Octáva sanctæ Claræ Vírginis. Romæ, etc. et non repetitur : In Província, etc.

21 Sancti Hyacínthi Confessóris, cujus memória decimoséptimo Kaléndas Septémbris recólitur. Annécii, etc.

25 Romæ et aliquibus in locis primo loco legitur : Sancti Bartholomæi Apóstoli, etc. ut in præcedenti lectione Martyrologii Rom. et prosequitur : Lutétiæ Parisiórum sancti Ludovíci Noni Regis Francórum, Confessóris, Tértii Ordinis sancti Francísci, ejúsque sodálium præcípui Patróni,

vitæ sanctitáte, et miraculórum glória illústris, quem Bonifácius Octávus Póntifex Máximus Sanctis adscripsit. Romæ, etc.

Ubi Festum S. Bartholomæi celebratur die 25 legitur :

26 Sancti Ludovíci Noni Regis Francórum, Confessóris, Tértii Ordinis sancti Francísci. Romæ, etc.

# SEPTEMBRI.

1 VALENTIÆ in Hispánia Tarraconénsi beatórum Mártyrum Joánnis Presbyteri, et Petri láici, Ordinis Minórum, qui ob liberam christiánæ fidei prædicatiónem, et sectæ Mahuméticæ reprobatiónem, ab Azóto Maurórum Rege jussi sunt decollári quarto Kaléndas Septémbris, quorum córpora Teruélam in Arragónia transláta, a fidélibus venerántur. In Provincia, etc.

Die 1 apud Tertiarios ubi Festum S. Ludovici Regis fuit 25 Augusti, primo loco legitur : Octáva sancti Ludovíci Regis et Confessóris.

Ubi vero fuit die 26 tunc die 2 primo loco legitur : Octáva, etc.

3 Apud Longum Campum in território Parisiénsi beátæ Isabéllæ Vírginis, Secúndi Ordinis, soróris sancti Ludovíci Noni Galliárum Regis, quæ, spretis mundi hujus oblectaméntis, Christo sponso in humilitáte, et paupertáte servíre máluit, ac multis clara miráculis séptimo Kaléndas Mártii migrávit ad Dóminum. Romæ sanctæ Serápiæ, etc.

4 Vitérbii sanctæ Rosæ Vírginis, Tértii Ordinis sancti Francísci, quæ ab ipsa infántia omni virtútum género ornáta, et prophetíæ dono prædita, migrávit ad Sponsum prídie Nonas Mártii : ejus tamen festum hac die recólitur, qua sacrum ipsíus corpus, sedénte Alexándro Quarto, incorrúptum, et flexíbile repértum, ad monastérium sanctæ Maríæ de Rosis, in quo vivens se mórtuam commoratúram prædíxerat, solémniter translátum est. In monte Nebo, etc. et non repetitur : Vitérbii, etc.

5 Turrínge in Pérside beáti Gentílis a Mathélica Mártyris, Ordinis Minórum, qui post multos exantlátos labóres in Evangélio disseminándo, pro Christi Fide a Sarracénis occísus, et Venétias translátus, in Ecclésia Fratrum Minórum honorífice cónditus est. Sancti Lauréntii, etc.

6 Sanctæ Joánnæ Francíscæ Frémiot de Chantal víduæ, cujus Festum celebrátur duodécimo Kaléndas Septémbris. Zacharíæ, etc.

7 Sancti Lauréntii Justiniáni primi Venetiárum Patriárchæ, cujus memória Nonis Septémbris recensétur. Nicomédiæ, etc.

9 Pisaúri beátæ Seraphínæ víduæ, Ordinis sanctæ Claræ, géneris nobilitáte, virtútibus, mira præsértim in advérsis patiéntia, ac miraculórum

fama illústris, quæ prídie hujus diéi migrávit in cœlum. Nicomédiæ, etc.

Sabbato infra Octavam Nativitatis B. Mariæ Virg.

Festum sanctíssimi Nóminis beátæ Maríæ Vírginis.

In Statibus vero Austriacæ domus hæreditariis additur : Cujus Missæ solémni interveniéntibus, Plenáriam, étiam pro Defúnctis, Innocéntius Decimustértius Póntifex Máximus Indulgéntiam perpétuo concéssit.

Quod similiter additur supra in elogio festi sanctissimi Nominis Jesu.

12 Phaleróni in Picéno beáti Peregríni Confessóris, Ordinis Minórum, qui humilitáte, et charitáte insígnis post suscéptam ad nostræ redemptiónis loca peregrinatiónem, in Itáliam redux, virtútibus et miraculórum fama in vita, et post mortem clarus sancti Severíni in pace quiévit, ejus immemorábilem cultum anno millésimo octingentésimo primo Pius Papa Séptimus approbávit. Commemorátio, etc.

13 Sancti Alphónsi Maríæ de Ligório Epíscopi et Confessóris, cujus festum quarto Nonas Augústi celebrátur. Alexandríæ, etc.

17 Commemorátio Impressiónis Sacrórum Stigmatum, quibus seráphicus Levíta sanctus Franciscus Conféssor, etc. ut in Martyrologio Romano pag. 180.

18 Auxími in Picéno sancti Joséphi a Cupertíno Confessóris, Ordinis Minórum Conventuálium, qui arctíssimæ paupertátis cultor exímius, et ferventíssimæ in Deum charitátis igne succénsus, a Benedícto Quartodécimo Pontífice Máximo inter Beátos, et a Cleménte Tertiodécimo inter Sanctos relátus est. Eódem die, etc.

25 Septémpedæ in Picéno depositio sancti Pacífici a sancto Severíno Confessóris, Ordinis Minórum sancti Francísci de Observántia Reformatórum, exímiæ patiéntiæ, et solitúdinis amóre illústris, quem Gregórius Papa Sextusdécimus in Sanctórum cánonem rétulit. In Castéllo Emmaus, etc.

26 Salérni Picentinórum beátæ Lúciæ Vírginis, Tértio Ordíni sancti Francísci adscríptæ, fama sanctitátis, et miraculórum illústris. Nicomédiæ, etc.

27 Parísiis sancti Elzcárii de Sabráno Cómitis, civitátis Ariáni in Lucánia, Confessóris, Tértii Ordinis sancti Francísci, qui cum beáta Delphína cónjuge virginitátem illibátam consérvans, méritis plenus migrávit ad Dóminum, eúmque miráculis clarum, Urbánus Quíntus Póntifex Máximus Sanctórum catálogo accénsuit. Ejus corpus, sedénte Joánne Vigesimosecúndo, Aptam in Província translátum, in Ecclésia sancti Francísci Fratrum Minórum honorífice cónditum est.

Ægéæ, etc. et non repetitur : Parísiis, etc.

28

28 Papíæ beáti Bernardíni Feltrénsis Confessóris, Ordinis Minórum reguláris Observántiæ, sanctitáte, et miráculis clari. In Bohémia, etc.

# OCTOBRI.

1 Orbæ in Sabaúdia beátæ Ludovícæ víduæ, quæ géneris nobilitáte illústris, primam régulam sanctæ Claræ sub reformatióne sanctæ Colétæ proféssa, vitæ sanctitáte fulsit. Rhemis in Gállia, etc.

3 Vigília seráphici Patriárchæ sancti Francísci.

Assísii in Umbria Translátio córporis sanctæ Claræ Vírginis, témpore Alexándri Papæ Quarti, ab húmili loco Ecclésiæ sancti Geórgii, quæ póstea sanctæ Claræ nuncupáta est, ad aram máximam, sub qua seráphici Patriárchæ corpus jamprídem depósitum aliquámdiu jacúerat. Romæ, etc.

4 Assísii in Umbria natális seráphici Patriárchæ sancti Francísci Levítæ et Confessóris, Trium Ordinum ínclyti fundatóris, cujus vitam sanctitáte, ac miráculis plenam, sanctus Bonaventúra Ecclésiæ Doctor conscrípsit; quem Gregórius Nonus Póntifex Máximus in Sanctórum númerum rétulit. Corínthi, etc.

5 In óppido Pinnæ sancti Joánnis Firmánæ diœcésis beáti Joánnis de Pinna Confessóris, Ordinis Minórum, qui paupertáte, patiéntia, et vitæ austeritáte émicans, spíritu étiam prophético, ac miráculis cláruit. Cultum ejus immemorábilem Pius Séptimus Póntifex Máximus rite probávit. Messánæ in Sicília, etc.

11 Octáva seráphici Patriárchæ sancti Francísci Confessóris. Tharsi in Cilícia natális, etc.

12 Asculi in Picéno sancti Seraphíni a monte Granário Confessóris, Ordinis Capuccinórum, vitæ sanctimónia, et humilitáte conspícui, quem Clemens Decimustértius Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscrípsit. Romæ, etc.

13 Apud Septam in Mauritánia Tingitána, pássio sanctórum Daniélis, Angeli, Samuélis, Leónis, Nicolái, Hugolíni Sacerdótum, et Domni láici, Ordinis Fratrum Minórum, qui ob Evangélii prædicatiónem, et Mahuméticæ sectæ confutatiónem, a Sarracénis contumélias, víncula et flagélla perpéssi, demum capítibus abscíssis, martyrii palmam adépti sunt sexto Idus Octóbris. In Anglia, etc. et non repetitur: Apud Septam, etc.

16 Sanctórum Cosmæ et Damiáni Mártyrum, quorum memória quinto Kaléndas Octóbris recólitur. In Africa, etc.

19 Arénis in Hispánia sancti Petri de Alcántara Confessóris, Ordinis

Minórum strictióris Observántiæ Discalceatórum, qui admirábili pœniténtia, ac summis virtútibus et dono prophetiæ exornátus, prídie hujus diéi migrávit in cœlum; quem multis miráculis gloriósum Clemens Nonus Póntifex Máximus Sanctórum número adscripsit. Romæ, etc.

20 Sancti Wenceslái Mártyris, cujus memória quarto Kaléndas Octóbris recensétur. In Polónia, etc.

21 Apud Colóniam Agrippínam natális sanctárum Ursulæ, et Sociárum, etc. In Cypro, etc. et non repetitur: Apud Colóniam, etc.

22 Varsóviæ in Polónia beáti Ladislái Confessóris, Ordinis Minórum, sanctitáte, eruditióne, et eloquéntia celebérrimi; qui migrávit ad Dóminum quarto Nonas Maji, ante et post óbitum miraculórum glória refúlgens. Jerosólymis, etc.

23 Apud Willáckum in Pannónia sancti Joánnis de Capistráno Confessóris, Ordinis Minórum Reguláris Observántiæ, vitæ sanctitáte, ac zelo cathólicæ fídei propagándæ illústris, qui Taurinum arcem, validíssimo Turcárum exércitu profligáto, suis précibus et miráculis ab obsidióne liberávit; quem Alexánder Octávus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscripsit. In Hispánia, etc.

24 Sancti Raphaélis Archángeli, ex septem qui adstant ante Dóminum, Dei medicínam suo nómine expriméntis. Venúsiæ, etc.

25 Sancti Eduárdi Confessóris, de quo tértio Idus Octóbris memória recólitur. Romæ, etc.

26 Ravélli in principátu Citerióri natális beáti Bonaventúræ a Poténtia Confessóris, Ordinis Minórum Conventuálium, qui obediéntia, et caritáte erga próximum in animárum salúte procuránda conspícuus, præclaríssimis donis a Deo cumulátus obdormívit in Dómino séptimo Kaléndas Novémbris anno millésimo septingentésimo undécimo, et a Pio Papa Sexto in Beatórum númerum relátus est. Romæ, etc.

27 Vigília sanctórum Apostolórum Simónis et Judæ.

Sancti Joánnis Cántii Confessóris, cujus memória tertiodécimo Kaléndas Novémbris recólitur. Abulæ in Hispánia, etc.

31 Vigília Omnium Sanctórum.

Reáte in Umbria natális beáti Thomæ a Floréntia Confessóris, Ordinis Minórum, qui una cum sancto Joánne a Capistráno in Palæstinam, mox Æthiópiam cum Fratre Albérto de Sarthiáno, et áliis Frátribus sui Ordinis proféctus, ibíque multa pro Christo ab Infidélibus passus, tandem in Itáliam redux, virtútibus, et miraculórum fama clarus quiévit in pace: ejus immemorábilem cultum Clemens Quartusdécimus Póntifex Máximus ratum hábuit. Romæ, etc.

# NOVEMBRI.

3 Commemoratio ómnium Fratrum, Sorórum, ac benefactórum univérsi seráphici Ordinis Defunctórum. Natális, etc.

4 Mediolàni sancti Cároli Borromæi Cardinális, et ejúsdem civitátis Epíscopi, atque Ordinis Minórum apud apostólicam Sedem eximii protectóris : quem miráculis clarum Paulus Quintus Póntifex Máximus in Sanctórum númerum rétulit.

Patávii beátæ Hélenæ Vírginis Ordinis sanctæ Claræ, géneris nobilitáte, mira patiéntia, ceterísque virtútibus, ac miraculórum fama illústris : ejus corpus pia fidélium devotióne ibídem cólitur. Bonóniæ sanctórum Mártyrum Vitális, etc.

5 Apud Burgum Sancti Sepúlchri in Umbria beáti Raynérii Aretini Confessóris, Ordinis Minórum, qui humilitáte, paupertáte, et patiéntia refúlgens, ad cœléstia regna migrávit Kaléndis Novémbris, miráculis in vita et post mortem illústris. Corpus ejus íntegrum, atque incorrúptum magna ibídem veneratióne cólitur. Sancti Zacharíæ, etc.

*Sabbato ante Dominicam secundam Novembris.*

Festum Patrocínii beatíssimæ semper Vírginis Dei Genitrícis Maríæ.

*In Dominiis vero catholico Hispaniarum Regi subjectis, ubi celebratur Dominica ab Ordinario loci designata, additur :* Cujus Missæ solémni interveniéntibus, Plenáriam Innocéntius Undécimus Póntifex Máximus Indulgéntiam perpétuo concéssit.

13 Sancti Didaci Confessóris, Ordinis Minórum Reguláris Observántiæ, humilitáte célebris, vita, virtútibus, ac miráculis gloriósi, qui Complúti in Hispánia prídie hujus diéi migrávit in cœlum, et a Sixto Quinto Pontífice Máximo solémni ritu Sanctórum catálogo fuit adscriptus. Ravénnæ, etc.

14 Ancónæ beáti Gabriélis Ferrétti Conféssóris, Ordinis Minórum, qui géneris nobilitáte, virtútibus, et miraculórum fama clarus, prídie Idus Novémbris obdormívit in Dómino, cujus in exéquiis sanctus Jacóbus Picénus de eo ad pópulum sermónem hábuit : ipsíus corpus ibídem in Ecclésia sui Ordinis asservátur. Heráclcæ in Thrácia, etc.

16 Assísii in Umbria sanctæ Agnétis Vírginis, sanctæ Claræ germánæ soróris, quæ illíus oratiónibus ad Agni núptias evocáta, ea puritáte, et sanctitáte enítuit, ut ad ejus sepúlchrum dæmones fugaréntur, et innúmera a Deo patraréntur mirácula. In Africa, etc.

17 Cracóviæ in Polónia beátæ Saloméæ, quæ Colománo, póstea Haliciórum Regi, matrimónio juncta, virginitátem admirábili virtúte

perpétuo illibátam servávit, a quo solúta, monásticam Ordinis sanctæ Claræ vitam profésssa, sanctitáte et miráculis conspicua migrávit ad Sponsum; cujus corpus in Ecclésia sancti Francísci Fratrum Minórum religiosissime cólitur. Neocæsaréæ, etc.

19 In óppido Marpurg in Germánia depositio sanctæ Elísabeth víduæ, Andréæ Regis Hungarórum fíliæ, Tértii Ordinis sancti Francísci, ejúsque Sorórum, et Moniálium præcípuæ patrónæ; quæ pietátis opéribus assídue inténta, miráculis clara migrávit ad Dóminum, et a Gregório Papa Nono Sanctárum catálogo adscrípta fuit. Eódem die, etc.

26 Aptæ in Província beátæ Delphínæ Vírginis, Tértii Ordinis sancti Francísci, géneris nobilitáte, glória virginitátis, quam in matrimónio servávit, virtútum ac miraculórum fama celebérrimæ; cujus corpus cum córpore sancti Elzeárii sui cónjugis ibídem in Ecclésia sancti Francísci Fratrum Minórum pia fidélium veneratióne cólitur. Alexandríæ, etc.

Apud Sorores et Moniales Tertii Ordinis, primo loco legitur:

Octáva sanctæ Elísabeth Hungáriæ víduæ, Tértii Ordinis sancti Francísci. Aptæ, etc. ut supra.

27 Sancti Gregórii Thaumatúrgi, Epíscopi et Confessóris, qui óbiit quintodécimo Kaléndas Decémbris. Antiochíæ, etc.

28 Neápoli in Campánia sancti Jacóbi Picéni Confessóris, Ordinis Minórum Reguláris Observántiæ, vitæ asperitáte, apostólica prædicatióne, ac plúribus pro re christiána óbitis legatiónibus præclári, quem Benedictus Decimustértius Póntifex Máximus Sanctórum fastis adjúnxit.

Romæ, etc. et non repetitur: Neápoli, etc.

29 Vigília sancti Andréæ Apóstoli.

Festívitas ómnium Sanctórum univérsi seráphici Ordinis, quæ hac die solémniter celebrátur, qua sanctíssimus Patriárcha ab Honório Papa Tértio per apostólicas lítteras, in Assisiénsi sancti Francísci Basílica religióse asservátas, confirmatiónem régulæ Fratrum obtinuit, et Clemens Duodécimus Románus Póntifex Indulgéntiam Plenáriam ómnibus utriúsque sexus seráphici Ordinis Sodálibus professiónem renovántibus tribuit. Romæ, etc.

# DECEMBRI.

Quando Festum omnium Sanctorum seraphici Ordinis, vel S. Andreæ occurrit in prima Dominica Adventus, tunc die 1. hujus si est libera; alias ad primam diem non impeditam primo loco legitur:

1 Festum ómnium Sanctórum univérsi seráphici Ordinis: vel Festum sancti Andréæ Apóstoli.

4 Nicomédiæ pássio sanctæ Bárbaræ Virginis et Mártyris. ut in Martyrologio Romano pag. 235.

Sancti Petri Chrysólogi, etc. et non repetitur : Nicomédiæ, etc.

5 Sancti Petri Chrysólogi Epíscopi et Confessóris, cujus memória quarto Nonas Decémbris recensétur. Mútalæ, etc.

7 Vigília Immaculátæ Conceptiónis beátæ Vírginis Maríæ, univérsi seráphici Ordinis patrónæ. Medioláni, etc.

8 Immaculáta Concéptio beatissimæ et gloriósæ semper Vírginis Genitrícis Dei Maríæ, præcípuæ, sub eódem mystério, univérsi seráphici Ordinis patrónæ, cujus Offício et Missæ per totam Octávam interveniéntibus, Sixtus Quartus Póntifex Máximus eásdem Indulgéntias, quas in Festo Sanctíssimi Córporis Christi fidéles lucrántur, perpétuo concéssit. Romæ, etc.

9 Valdséæ in diœcési Constantiénsi beátæ Elísabeth Vírginis, Tértii Ordinis sancti Patris nostri Francísci Sanctimoniális, cognoménto Bonæ, quæ supérnis charismátibus ditáta, séptimo Kaléndas Decémbris migrávit ad Sponsum : ejus immemorábilem cultum Clemens Tertiusdécimus rite probávit. Toléti in Hispánia, etc.

10 Lauréti in Picéno Translátio sacræ Domus Dei Genitrícis Maríæ, in qua Verbum caro factum est. Romæ, etc. et non repetitur : Lauréti, etc.

12 Assisii in Umbria Invéntio córporis seráphici Patris nostri sancti Francísci, témpore Pii Papæ Séptimi. Romæ, sancti Synésii, etc.

14 Sancti Silvéstri Abbátis, institutóris Congregatiónis Monachórum Silvestrinórum, cujus memória sexto Kaléndas Decémbris recensétur. Alexandríæ, etc.

15 Octáva Immaculátæ Conceptiónis beatíssimæ et gloriósæ semper Vírginis Genitrícis Dei Maríæ, univérsi seráphici Ordinis patrónæ. Eódem die, etc.

17 Apud Sorores et Moniales Tertii Ordinis, primo loco : Beátæ Delphínæ Vírginis, Tértii Ordinis sancti Francisci. Eleutherópoli, etc.

18 Festum Expectatiónis Partus beatíssimæ Vírginis Maríæ, quæ in divini Verbi Incarnatióne pro humáni géneris salúte Spíritu sancto ineffabíliter repléta fuit. Philíppis, etc.

19 In Insula prope Assísium in Umbria, quæ nunc Bastía dícitur, beáti Conrádi ab Ophyda Confessóris, Ordinis Minórum, oratióne, humilitáte, et charitáte conspícui, quem Deus innúmeris prope miráculis in vita, et post mortem mirificávit. Abiit in cœlum prídie Nonas Decémbris. Corpus ejus Perúsiam translátum, magna veneratióne cólitur. Alexandríæ in Ægypto, etc.

# LECTIONES PROPRIÆ

## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In festo Desponsationis beatæ Virginis Mariæ,

Lectio.

**In platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatizans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Tu autem Dómine, etc.**

In festo SS. Nominis Jesu,

Lectio.

**Omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in Nómine Dómini Jesu Christi fácite, grátias agéntes Deo, et Patri per ipsum. Tu autem Dómine, etc.**

In festo Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. C.

Lectio.

**Tradidit Christus in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est : et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit. Tu autem Dómine, etc.**

In festo sancti Gabrielis Archangeli,

Lectio.

**Scito ergo, et animadvérte : ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum Ducem, hebdómades septem, et hebdómades sexagínta duæ erunt. Tu autem Dómine, etc.**

In festo Patrocinii sancti Patriarchæ Joseph,

Lectio.

**Filius accréscens Joseph, fílius accréscens, et decórus aspéctu : Fíliæ discurrérunt super murum. Tu autem Dómine, etc.**

In festo sacratissimi Cordis D. N. J. C.

Lectio.

**Cantate Dómino, quóniam mirífice fecit, annuntiáte hoc in univérsa terra, exúlta et lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tui sanctus Israel. Tu autem Dómine, etc.**

In festivitatibus S. Antonii de Padua Confessoris,

Lectio.

**Mihi autem dedit Deus dícere ex senténtia, et præsúmere digna horum, quæ mihi dantur : quóniam ipse sapiéntiæ Dux est, et sapiéntium emendátor. Tu autem Dómine, etc.**

In festivitatibus S. Claræ Virginis,

Lectio.

Immortalitas est in cognatióne sapiéntiæ, et in amicítia illíus delectátio bona, et in opéribus mánuum illius honéstas. Tu autem Dómine, etc.

In festo Septem Dolorum B. Mariæ Virginis,

Lectio.

Deduc quasi torréntem lácrymas per diem et noctem : non des réquiem tibi, neque táceat pupílla óculi tui. Tu autem Dómine, etc.

In festivitatibus seraphici Patriarchæ S. Francisci,

Lectio.

De cétero nemo mihi moléstus sit. Ego enim Stigmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen. Tu autem Dómine, etc.

In festo S. Raphaelis Archangeli,

Lectio.

Tempus est, ut revértar ad eum, qui me misit; vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus. Tu autem Dómine, etc.

In festo Patrocinii B. Virginis Mariæ,

Lectio.

In platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Tu autem Dómine, etc.

In festivitate Immaculatæ Conceptionis B. Virg. Mariæ,

Lectio.

Beatus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit invéniet vitam, et haúriet salútem a Dómino. Tu autem Dómine, etc.

In festo Translationis Sacræ Domus B. Virg. Mariæ.

Lectio.

In platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Tu autem Dómine, etc.

In festo Expectationis Partus B. Virg. Mariæ.

Lectio.

Rorate cœli désuper, et nubes pluant Justum, aperiátur terra, et gérminet Salvatórem; et justítia oriátur simul : Ego Dóminus creávi eum. Tu autem Dómine, etc.

# INDEX SANCTORUM ET BEATORUM

## ORDINIS SERAPHICI

QUORUM MEMINIT MARTYROLOGIUM FRATRUM ORD. IPSIUS

### INDE CONVENTUALIUM NUNCUPATORUM.

# MARTYROLOGIUM
## FRATRUM ET MONIALIUM
## ORDINIS
## BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ
## DE MONTE CARMELO
## ANTIQUÆ OBSERVANTIÆ.

*Quum semper præcedenti die Lectio illa, quæ memorias Sanctorum sequentis diei continet, legenda sit, et Festa, de quibus eo die fit Officium, semper primo loco poni debeant, quod etiam servandum est in Sanctis propriis particularium Ecclesiarum in Martyrologio non appositis; ideo annotantur Lectiones earum Festivitatum, de quibus in Ordine beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo antiquæ Observantiæ particulare fit Officium, legendæ in Prima juxta Rubricas Martyrologii Romani, et Decreta a Generali Ordinis nostri Capitulo in anno 1680. coadunato; quod pariter servandum in Officiis de privilegio, ac Apostolico Indulto concessis. Quocirca, immediate post Kalendarum, et Lunæ pronuntiationem, aliis prætermissis, sequenti modo Festa enuntianda sunt.*

## OFFICIA MOBILIA.

Sabbato ante Dominicam primam post octavam Epiphaniæ.

**Festum dulcíssimi Nóminis Jesu, quod illi ab Angelo, priúsquam in útero Virginis conciperétur, impósitum est.**

Prima Feria quinta ante illam Feriam sextam, quæ post Octavam Paschæ libera reperietur, scilicet in qua non occurrit Offic. novem Lect.

**Festum sacratíssimæ Corónæ Dómini.**

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pascha.

**Festum Patrocinii sancti Joseph Sponsi beátæ Mariæ Vírginis, protectóris primárii Ordinis Carméli, a Seráphica Vírgine sancta Therésia restauráti, ab Innocéntio Undécimo sub ritu Dúplici majóri secundæ classis concéssum.**

Feria quinta in Octava Corporis Christi.

**Festum sacratíssimi Cordis Jesu.**

Sabbato ante Dominicam infra Oct. Assumpt. B. Mariæ Virg.
**Festum sancti Jóachim Patris beátæ Mariæ Vírginis, protectóris Ordinis Carmelitárum.**

Sabbato ante Dominicam post Oct. Assumpt B. Mariæ Virg.
**Festum sacri Cordis beátæ Maríæ Vírginis.**

Sabbato ante Dominicam secundam Octobris.
**Festum Maternitátis beátæ Mariæ Vírginis.**

Sabbato ante Dominicam tertiam Octobris.
**Festum Puritátis beátæ Mariæ Vírginis.**

Sabbato ante Dominicam secundam Novembris.
**Festum Patrocínii beátæ Mariæ Vírginis.**

Quando fit Officium de sanctissimo Sacramento.
**Commemorátio sacratissimi Córporis Christi in Féria quinta :** vel **extra Fériam quintam.**

Quando fit Officium de B. Virgine Maria.
**Commemorátio beátæ Maríæ Vírginis in Sábbato :** vel **extra Sábbatum.**

Quando fit Officium SS. Nominis Mariæ.
**Commemorátio sanctíssimi Nóminis Maríæ, quater in anno.**

Quando fit Officium S. P. N. Eliæ Prophetæ.
**Commemorátio sancti Patris nostri Eliæ Prophétæ, semel in mense.**

Quando fit Officium S. Theresiæ Virg. Ordinis Carmelitarum.
**Commemorátio sanctæ Therésiæ Vírginis, Ordinis Carmelitárum, semel in mense.**

Quando fit Officium S. Joannis a Cruce Ordinis Carmelitarum.
**Commemorátio sancti Joánnis a Cruce, Ordinis Carmelitárum, semel in mense.**

Quando fit Officium S. Andreæ Corsini Episc. et Confess. Ordinis Carmelitarum.
**Commemorátio sancti Andréæ Corsíni Epíscopi et Confessóris, Ordinis Carmelitárum, bis in mense.**

Quando fit Officium S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virginis Ordinis Carmelitarum.
**Commemorátio sanctæ Mariæ Magdalénæ de Pazzis Vírginis, Ordinis Carmelitárum, semel in mense.**

# JANUARIO.

1 Circumcisio Dómini nostri Jesu Christi, etc. ut in Martyrologio Romano, et in fine Lectionis adde :

Alexandriæ depositio sanctæ Euphrósinæ Vírginis, Ordinis Carmelitárum, quæ in monastério virtúte abstinéntiæ, ac miráculis cláruit ; ejus tamen festívitas prídie Idus Februárii recólitur.

5 Vigilia Epiphaniæ Dómini.

Romæ sancti Thelésphori Papæ, Ordinis Carmelitárum, qui sub Antoníno Pio post multos labóres pro Christi confessióne illústre martyrium duxit : ejus tamen festívitas Idibus Februárii ágitur. In Ægypto, etc.

6 Epiphania Dómini. ut in Mart. Rom. ubi quarto loco legatur :

Famaugústæ in Cypro depositio sancti Petri Thomæ, Ordinis Carmelitárum, et Ecclésiæ Constantinopolitánæ Epíscopi, qui post plures de sacræ Crucis inimícis victórias, postque plúrima conscrípta volúmina, ac patráta mirácula, die, et hora a se prædictis, obdormívit in Dómino : cujus festívitas sextodécimo Kaléndas Mártii celebrátur. Rhédonis in Gállia sancti Melánii, etc.

15 In Martyrologio Romano elogio S. Mauri Abbatis adde : Cujus festum décimo Kaléndas Mártii celebrátur. In Judæa, etc.

19 Sancti Dionysii Papæ et Confessóris, Ordinis Carmelitárum, cujus dies natális séptimo Kaléndas Januárii inscribitur. Sancti Canúti, etc.

22 Romæ ad Aquas Sálvias sancti Anastásii Persæ Mónachi, Ordinis Carmelitárum, qui post plúrima torménta cárceris, vérberum, et vinculórum, quæ in Cæsaréa Palæstínæ perpéssus fúerat, a Chósroa Persárum rege multis pœnis affćctus ad últimum decollátus est, cum prius septuagínta sócios in fluénte demérsos ad martyrium præmisísset. Ejus caput Romam delátum est una cum venerànda ejus imágine, cujus aspéctu fugári dæmones, morbósque curári, acta secúndi Concílii Nicæni testántur.

Valéntiæ in Hispánia Tarraconénsi sancti Vincéntii Levítæ et Mártyris, qui sub Daciáno impiíssimo Præside cárceres, famem, equúleum, distorsiónes membrórum, láminas candéntes, cratem férream ignítam, aliáque tormentórum génera perpéssus, ad martyrii præmium evolávit in cœlum, cujus passiónis nóbilem triúmphum Prudéntius luculénter vérsibus exéquitur, et beátus Augustínus, ac sanctus Leo Papa summis laúdibus commendant : ejus tamen festívitas decimotértio Kaléndas Mártii celebrátur. Ebredúni in Gállia, etc.

25 Desponsátio beátæ Maríæ Vírginis cum sancto Joseph.

Barcinóne sancti Raymúndi de Pénnafort : de ejus autem natáli ágitur séptimo Idus Januárii, et de ejus festo apud nos undécimo Kaléndas Mártii. Romæ sanctæ Emerentiánæ, etc.

28 Alexandríæ sancti Cyrílli ejúsdem urbis Epíscopi, Ordinis Carmelitárum, qui cathólicæ fidei præclaríssimus propugnátor, doctrina, et sanctitáte illústris quiévit in pace. Romæ sanctæ Agnétis, etc.

# FEBRUARIO.

3 In Martyrologio Romano elogio S. Blasii Episc. Mart. adde : Dies festus sancti Blásii apud nos décimo Kaléndas Mártii celebrátur. In Africa, etc. Omitte prædicta si contingat de S. Blasio hac die fieri commemoratio.

4 Floréntiæ sancti Andréæ Corsíni, etc. ut in Martyrologio Romano pag. 24. Romæ, etc.

6 De quarta die infra Octavam Purificationis. Elogio S. Dorotheæ Virg. Mart. adde, si contingat de ea agere fest. die 26 Febr. Sanctæ Vírginis et Mártyris Doróthcæ festum apud nos quarto Kaléndas Mártii celebrátur. Secundo loco legitur : Eódem die sanctórum Episcopórum Vedásti et Amándi, etc. ut ibi circa finem hujus lectionis : nec repetitur suo loco, sed prosequitur : Item eódem die sanctórum Mártyrum Saturníni, etc.

9 Octáva Purificatiónis beátæ Maríæ Vírginis. Elogio S. Apolloniæ adde : cujus festum quintodécimo Kaléndas Mártii celebrátur. Romæ, etc.

Si hodie vel præcedentibus diebus occurrat dies Cinerum, in lectione Martyrologii omitte : Octáva, etc. et incipe ut ibi, quod servandum erit et in sequenti Octava S. Andreæ Corsini.

11 Octáva sancti Andréæ Corsíni Epíscopi et Confessóris. In Africa, etc.

12 Alexandríæ sanctæ Euphrósinæ Vírginis, Ordinis Carmelitárum, quæ multis clara virtútibus migrávit ad Sponsum Kaléndis Januárii. Barcinóne in Hispánia, etc.

13 Sancti Thelésphori Papæ et Mártyris, Ordinis Carmelitárum, cujus natális memória Nonis Januárii recólitur. Antiochíæ natális, etc.

14 Sancti Petri-Thomæ Epíscopi et Mártyris, Ordinis Carmelitárum, de quo ágitur octávo Idus Januárii. Romæ via Flaminia, etc.

15 Sanctæ Apollóniæ Vírginis et Mártyris, cujus natális memória quinto Idus Februárii recensétur. Bríxiæ natális Sanctórum, etc.

16 Commemorátio Sanctórum, quorum córpora, et relíquiæ in Ecclésiis nostri Ordinis asservántur. Natális beáti Onésimi, etc.

17 Sancti Vincéntii Levítæ, et Mártyris, cujus festívitas undécimo Kaléndas Februárii celebrátur. Romæ pássio sancti Faustíni, etc.

19 Sancti Raymúndi de Pénnafort Confessóris, de cujus natáli ágitur séptimo Idus Januárii. Romæ natális sancti Gabíni, etc.

20 Sancti Mauri Abbátis, cujus memória decimooctávo Kaléndas Februárii inscribitur. Tyri in Phœnícia, etc.

21 Sancti Blásii Epíscopi et Mártyris, de quo tértio Nonas Februárii. In Sicília sanctórum, etc.

25 vel 26 Lucæ in Túscia beáti Avertáni Confessóris, Ordinis Carmelitárum, vitæ sanctitáte illústris, cujus corpus ob plúrima mox ejus intercessióne patráta mirácula, magna cum solemnitáte sepúltum fuit. In Ægypto natális sanctórum, etc.

26 vel 27 Sanctæ Margarítæ de Cortóna, Tértii Ordinis sancti Francísci, cujus memória octávo Kaléndas Mártii recensétur. Perge, etc.

27 vel 28 Sanctæ Dorótheæ Vírginis Mártyris, de qua octávo Idus Februárii. Romæ natális sanctórum Mártyrum Alexándri, etc.

## MARTIO.

3 VERCELLIS beáti Jacobíni Confessóris, láici Carmelítæ, oratiónis et pœniténtiæ stúdio præclári. Cæsaréæ in Palæstína, etc.

4 Lucæ in Túscia beáti Romæi Confessóris, Ordinis Carmelitárum. Vilnæ in Lithuánia beáti Casimíri fílii Casimíri Regis, quem Leo Décimus Románus Póntifex in Sanctórum númerum rétulit; ejus autem festum sequénti die recólitur. Romæ via Appia, etc.

5 Sancti Casimíri Confessóris, cujus natále prídie hujus diéi ágitur. Antiochíæ natális, etc.

6 In Terra Sancta sancti Cyrílli Confessóris, Ordinis Carmelitárum, qui doctrína, et sanctitáte multos ad fidem Christi perdúxit, suúmque Ordinem vigínti et septem annos summa cum laude rexit, ac tandem Philíppo, et Othóne Imperatóribus, beáto fine quiévit. Nicomédiæ, etc.

10 Sanctórum quadragínta Mártyrum, quorum passiónis triúmphus prídie hujus diéi memorátur. Apaméæ in Phrygia, etc.

13 In Thebáide depósitio sanctæ Euphrásiæ Vírginis, Ordinis Carmelitárum, quæ multis cumuláta méritis migrávit in cœlum. Nicomédiæ, natalis sanctórum, etc.

15 Bonóniæ beáti Ludovíci Morbióli Confessóris Carmelítæ, cujus natális dies habétur quinto Idus Novémbris. Cæsaréæ in Cappadócia, etc.

17 Elogio S. Gertrudis Virg. adde : cujus festum undécimo Kaléndas Aprílis celebrátur.

18 Festum sancti Gabriélis Archángeli, protectóris Ordinis Carmelitárum. Cæsaréæ in Palæstína, etc.

19 In Judæa natális sancti Joseph Sponsi beatíssimæ Vírginis Mariæ, protectóris primárii Ordinis Carmelitárum. Surrénti, etc.

22 Sanctæ Gertrúdis Vírginis in Brabántia, cujus natális memória decimoséxto Kaléndas Aprílis recólitur. Narbóne in Gállia, etc.

29 In monte Carmélo depositio beáti Bertóldi Confessóris, Ordinis Carmelitárum, qui quum multis annis religiónem sanctíssime gubernásset, multis virtútibus clarus migrávit ad Dóminum. In Pérsia, etc.

## APRILI.

8 Jerosolymis sancti Albérti, ejúsdem civitátis Epíscopi, qui Carmelitánæ famíliæ novam dedit régulam, ac multis virtútibus illústris ad cœléstem Jerúsalem translátus est decimooctávo Kaléndas Octóbris. Alexandríæ sancti Ædésii, etc.

18 Pontisaræ in Gálliis depositio beátæ Maríæ ab Incarnatióne, Moniálium Carmelitárum Excalceatárum in iisdem regnis fundatrícis, quæ difficíllimis tempóribus invíctæ patiéntiæ fœminam, Christi ac discipulórum ejus imitatrícem, ad miráculum usque se pródidit, ac postquam in sæculo in omni vitæ gradu admiránda sanctitáte vixísset, in monastérium se recépit, ubi professióne præ humilitáte sua in statu soróris convérsæ emissa, annos quátuor in singulári perfectióne vitæ exégit, ac tandem multárum palmárum victrix, ac miraculórum glória ante, et post óbitum clara placidíssime in Dómino obdormívit. Eam Pius Sextus Póntifex Máximus die vigesimaquárta Maji anno millésimo septingentésimo nonagesimoprímo in Beatórum Album solémni ritu referéndam esse decrévit. Ipsius autem Festum decimoséptimo Kaléndas Novémbris. celebrátur. Romæ, etc.

## MAJO.

5 Leocate in Sicília sancti Angeli Presbyteri, Ordinis Carmelitárum, qui ab hæréticis ob defensiónem cathólicæ fídei trucidátus est.

Romæ sancti Pii Papæ Quinti, ex Ordine Prædicatórum, qui Ecclesiásticæ disciplínæ restaurándæ, hærésibus extirpándis, et christiáni nóminis hóstibus conteréndis strénue, ac felíciter incúmbens, vitæ ac legum sanctitáte cathólicam Ecclésiam gubernávit; cujus festum prídie Idus Maji institúitur. Item Romæ sanctæ Crescéntiæ, etc.

11 Randátii in Sicília festum beáti Aloysii Rábata, Ordinis Carmelitárum, regulári observántia, charitáte, et inimicórum dilectióne mirábilis. Romæ via Salária, etc.

Si occurrat Vigilia Pentecostes non annuntiatur sequens Octava, quod erit observandum in sequentibus Octavis, si superveniat dicta Vigilia, vel Festum sanctissimi Corporis Christi.

12 Octáva sancti Angeli Mártyris. Romæ via Ardeatina sanctórum Mártyrum Nérei, Achillei, etc. quorum Elogio adde : horum vero festívitas sequénti die celebrátur. Item Romæ, etc.

13 Sanctórum Nérei, Achillei, Domitillæ Vírginis, atque Pancrátii Mártyrum, de quibus ágitur prídie hujus diéi. Romæ dedicátio, etc.

14 Sancti Pii Papæ Quinti, de quo tértio Nonas Maji. Natális sancti Bonifácii, etc.

16 Burdigalæ in Aquitánia depositio beáti Simónis cognoménto Stok, Confessóris, Ordinis Carmelitárum, qui ob singulárem erga Deíparam Vírginem devotiónem, ab eádem sacrum sui Ordinis Scapuláre méruit obtinére, et post multos in ejúsdem Vírginis religiónis gubernatióne exantlátos labóres, clarus miráculis migrávit ad præmium. Eugúbii sancti Ubáldi, etc. in cujus Elogio adde : cujus festum décimo Kaléndas Június celebrátur. In Isaúria, etc.

Elogio S. Joannis Nepomuceni adde : cujus festum sequénti die celebrátur. Ambiáni, etc.

17 Sancti Joánnis Nepomucéni Mártyris, de quo die præcedénti ágitur. Apud Villam Regálem sancti Paschális, etc. in cujus Elogio adde : cujus festum quinto Kaléndas Júnii celebrátur. Pisis, etc.

18 Elogio S. Felicis a Cantalicio adde : cujus festum quarto Kaléndas Júnii celebrátur.

21 Segóbiæ in Hispánia Translátio córporis sancti Joánnis a Cruce, Ordinis Carmelitárum. In Mauritánia, etc.

22 Sancti Ubáldi Epíscopi et Confessóris, cujus festívitas decimoséptimo Kaléndas Június celebrátur. Romæ sanctórum Mártyrum, etc.

23 Octáva sancti Simónis Confessóris. Apud Língonas, etc.

24 Festum beátæ Maríæ Vírginis sub título Auxílium Christianórum. Antiochiæ, etc.

25 Floréntiæ sanctæ Maríæ Magdalénæ, Ordinis Carmelitárum, vita et sanctitáte illústris. Salérni depositio beáti Gregórii, etc. in cujus Elogio adde : cujus festum sexto Kaléndas Júnii celebrátur. et ne repetas : Floréntiæ, etc.

Elogio S. Urbani Papæ Mart. adde : cujus festum tértio Nonas Június celebrátur. Doróstori, etc.

27 Sancti Gregórii Papæ Séptimi, cujus dies natális octávo Kaléndas Júnii recensétur. Natális sancti Joánnis, etc.

28 Sancti Paschális Confessóris, cujus natális dies sextodécimo Kaléndas Júnii celebrátur. In Sardínia, etc.

29 In Italia, et insulis adjacentibus Sancti Felicis a Cantalicio Confessóris, cujus dies natális quintodécimo Kaléndas Júnii recólitur. Romæ, etc.

31 In Statu ecclesiastico. Bríxiæ sanctæ Angelæ Merici Vírginis, Sanctimoniálium sanctæ Ursulæ institutricis, de qua sexto Kaléndas Februárii. Romæ sanctæ Petronillæ, etc.

## JUNIO.

1 Octava sanctæ Maríæ Magdalénæ Vírginis. Romæ sancti Juvéntii Mártyris, etc.

3 Sancti Urbáni Papæ, et Mártyris, cujus dies natális octávo Kaléndas Júnii recólitur. Arétii in Túscia, etc.

8 Pro commem. secundo loco legatur in Martyrológio Romano, Apud Suessiónes, etc. tertio loco Rhotómagi, etc. Postea Aquis, etc. deinde Ebóraci, etc. Apud Sénonas, etc.

14 Samaríæ in Palæstina sancti Patris nostri Eliséi Prophétæ, cujus sepúlcrhum dæmones perhorréscere, sanctus Hierónymus scribit : ubi et Abdías Prophéta quiéscit. Cæsaréæ in Cappadócia Ordinátio, etc. in fine hujus Elogii adde : cujus festívitas apud nos sequénti die celebrátur. Syracúsis, etc.

15 Sancti Basilii Epíscopi et Confessóris, de quo die præcedénti ágitur. In Lucánia, etc.

21 Octáva sancti Patris nostri Eliséi Prophétæ. Romæ, etc.

22 In monte Ararath pássio sanctórum Mártyrum decem míllium crucifixórum. Apud Nolam Campániæ, etc. et ne repetas : In monte, etc.

23 Vigília sancti Joánnis Baptístæ.

Sancti Aloysii Gonzágæ Confessóris, de quo festivitas celebrátur undécimo Kaléndas Július. Romæ sancti Joánnis, etc.

## JULIO.

9 Octava Visitatiónis beatíssimæ Vírginis Maríæ. Romæ ad Guttam júgiter manántem, etc. ut in Martyrol. Romano pag. 126. ubi in fine lectionis addatur :

Régii in Æmília beátæ Joánnæ Scopélli Vírginis Carmelitánæ, oratióne, ac pœniténtiæ spíritu præclaræ, quæ sacrárum Vírginum sui Ordinis in pátria monastérium fundávit. Ejus immemorábilem cultum

Clemens Decimusquártus apostólica auctoritáte approbávit, et festum celebrári quinto Idus Július in univérso Ordine Carmelitárum, atque ab utróque clero in ditióne ducis régii, et Mútinæ concéssit; cujus festum quinto Idus Július celebrátur.

11 Beátæ Joánnæ Scopélli Vírginis Ordinis Carmelitárum, cujus natális habétur séptimo Idus Július. Romæ beáti Pii, etc.

13 Albæ in Hispánia in monastério sanctíssimæ Incarnatiónis, Translátio incorrúpti córporis sanctæ Therésiæ Ordinis Carmelitárum.

Romæ sancti Anacléti Papæ Mártyris, qui post sanctum Cleméntem Ecclésiam Dei regens, eam glorióso martyrio decorávit; cujus festum quarto Idus Octóbris recensétur. Eódem die, etc.

14 Elogio S. Camilli de Lellis adde : cujus festum quartodécimo Kaléndas Septémbris celebrátur.

15 Vigília Commemoratiónis solémnis beátæ Maríæ Vírginis de monte Carmélo. Bambérgæ, etc.

16 Commemorátio solémnis beatíssimæ Vírginis Maríæ de monte Carmélo, cui Carmelitárum família, ob innúmera benefícia ab eádem sanctíssima Vírgine accépta, in servitútis insígne hanc diem cónsecrat. Eódem die natális sancti Fausti, etc.

17 Elogio S. Alexii Conf. adde : cujus festum tértio Kaléndas Augústi celebrátur. Carthágine, etc.

19 Elogio S. Vincentii a Paulo adde : cujus festum apud nos quintodécimo Kaléndas Septémbris celebrátur. Eódem die, etc.

20 In monte Carmélo sancti Elíæ Prophétæ ducis, et Patris nostri. Sancti Hierónymi Æmiliáni Confessóris, etc. in cujus Elogio adde : cujus festum octávo Idus Septémbris celebrátur. Antiochíæ, etc. et ne repetas : Inmonte Carmélo, etc.

22 Elogio S. Mariæ Magdalenæ adde : cujus festum apud nos quinto Nonas Octóbris celebrátur. Philíppis, etc.

23 Octáva Commemoratiónis solémnis beatíssimæ Vírginis Maríæ de monte Carmélo.

Natális sancti Apollináris Episcopi, qui ab Apóstolo Petro Romæ ordinátus, et Ravénnam missus, pro fide Christi divérsas et multíplices pœnas perpéssus est : póstea in Æmília Evangélium prædicans, plúrimos ab idolórum cultu revocávit : tandem Ravénnam revérsus, sub Vespasiáno Cæsare gloriósum martyrium consummávit, cujus festum apud nos sequénti die celebrátur. Romæ, etc.

24 Vigília sancti Jacóbi Apóstoli.

Sancti Apollináris Episcopi et Mártyris, de quo ágitur prídie hujus diéi. Tyri in Túscia, etc.

29.

27 Octáva sancti Eliæ Prophétæ Patris nostri. Nicomédiæ pássio, etc.

30 Sancti Aléxii Confessóris, cujus natális dies sextodécimo Kaléndas Augústi recólitur. Romæ sanctórum Mártyrum, etc.

# AUGUSTO.

5 Elogio S. Emygdii Episc. Mart. adde : cujus festum tértio Idus Augústi celebrátur. Antiochíæ, etc.

7 Messánæ in Sicília sancti Albérti Confessóris, Ordinis Carmelitárum, miráculis clari. Secundo loco : Arétii, etc. Tértio loco : Neápoli, etc.

Neápoli in Campánia, sancti Cajetáni Thienæi Confessóris, clericórum Regulárium fundatóris, qui singulári in Deum fidúcia pristinam apostólicam vivéndi formam suis coléndam trádidit, et miráculis clarus a Creménte Décimo inter Sanctos relátus est : cujus festívitas quinto Idus Augústi recólitur. Arétii, etc.

9 Vigília sancti Lauréntii Mártyris.

Sancti Cajetáni Confessóris, cujus dies natális séptimo Idus Augústi habétur. Romæ, etc.

11 Sancti Emygdii Episcopi Mártyris, de quo Nonis Augústi memória ágitur. Romæ inter, etc.

13 Beáti Angeli Augustíni Mazzinghi, Ordinis Carmelitárum Confessóris, cujus natális decimoséptimo Kaléndas Septémbris annotátur. Romæ beáti Hippólyti, etc.

14 Vigília Assumptiónis beátæ Maríæ Vírginis.

Octáva sancti Albérti Confessóris. Romæ, etc.

15 Elogio S. Stephani Reg. Conf. adde : de quo ágitur apud nos octávo Kaléndas Novémbris. Romæ, etc.

16 In Mart. Rom. pag. 155. penult. loco, seu post S. Rochum legatur:

Floréntiæ, beáti Angeli Augustíni Mazzinghi, Carmelítæ Confessóris, cujus immemorábilem cultum Clemens Decimustértius apostólica auctoritáte approbávit, et festum celebrándum decimoquínto Kaléndas Augústi in univérso Ordine Carmelitárum, atque ab utróque clero in civitáte Floréntiæ concéssit; nunc vero Idibus Augústi recólitur. Romæ sanctæ Serénæ, etc.

18 Sancti Vincéntii a Paulo Confessóris, cujus festum quartodécimo Kaléndas Augústi recólitur. Prænéste natális sancti Agapíti, etc.

19 Sancti Camílli de Lellis Confessóris, cujus festívitas quintodécimo Kaléndas Augústi celebrátur. Romæ sancti Júlii, etc.

24 Translátio córporis sancti Angeli Mártyris Ordinis nostri.

25 Elogio S. Ludovici adde : cujus festum die crástina celebrátur. Romæ, etc.

26 Sancti Ludovíci Confessóris, cujus memória heri recólitur.

Romæ sancti Zephyríni Papæ et Mártyris, cujus festum quarto Kaléndas Novémbris celebrátur. Ibídem, etc.

27 Transverberátio cordis sanctæ Therésiæ Vírginis Ordinis Carmelitárum.

Item sancti Joséphi a Calasánctio Confessóris, fundatóris Congregatiónis Paúperum Matris Dei, cujus festum tértio Nonas Septémbris celebrátur. Cápuæ, etc.

31 Dedicátio Ecclesiárum Ordinis beatíssimæ Vírginis Maríæ de monte Carmélo.

Cardónæ in Hispánia sancti Raymúndi Nonnáti Cardinális, et Confessóris, Ordinis beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum, vitæ sanctitáte et miráculis clari : cujus festívitas sequénti die recólitur. Tréviris, etc.

## SEPTEMBRI.

1 Sancti Raymúndi Nonnáti Confessóris, qui prídie hujus diéi evolávit in cœlum. In Província, etc.

2 In monte Carmélo beáti Brocárdi Confessóris, Ordinis Carmelitárum, miræ sanctitátis ac prudéntiæ viri.

Albæ in Pannónia sancti Stéphani Hungarórum Regis, qui divínis virtútibus exornátus, primus Húngaros ad fidem Christi convértit, et a Deipara Vírgine ipso die Assumptiónis suæ in cœlum recéptus fuit : ejus tamen festum ex constitutióne Innocéntii Papæ Undécimi hac die potíssimum recólitur, qua Budæ munitissima arx sancti Regis ope ab exércitu christiáno strénue recuperáta fuit : quod tamen festum in Kalendário nostro octávo Kaléndas Novémbris celebrátur. Romæ, etc.

3 Sancti Joséphi a Calasánctio Confessóris, de quo sexto Kaléndas Septémbris memorátum fuit. Romæ, etc.

6 Sancti Hierónymi Æmiliáni Confessóris, cujus dies festus inscríbitur decimotértio Kaléndas Augústi. Zacharíæ Prophétæ, etc.

7 Octáva Dedicatiónis Ecclesiárum Ordinis Carmelitárum. Nicomédiæ, etc.

22 Sedúni in Gállia in loco Agaúno natális sanctórum Mártyrum Thebæórum Mauritii, etc. ut in Martyrologio Romano pag. 184. secundo loco : Romæ, pássio, etc.

24 Circa finem Martyrologii Romani, ubi legitur de sancto Gerardo, dicatur : In Pannónia sancti Gerárdi Epíscopi et Mártyris, Hungarórum Apóstoli nuncupáti, Ordinis Carmelitárum, patrítii Véneti, qui primus Pátriam nóbili martyrio illustrávit; cujus tamen dies festus sexto Kaléndas Octóbris celebrátur.

Arvérnis depositio sancti Rústici Epíscopi et Confessóris.

In território Belvacénsi sancti Geremári Abbátis.

26 Sancti Gerárdi Epíscopi et Mártyris, Ordinis Carmelitárum, qui octávo Kaléndas Octóbris martyrii palmam proméruit. In castéllo Emmaus, etc.

# OCTOBRI.

1 Sancti Thomæ a Villanóva, Epíscopi et Confessóris, cujus dies natális sexto Idus Septémbris recólitur. Rhemis in Gállia, etc.

3 Sanctæ Maríæ Magdalénæ Pœniténtis, cujus natális dies undécimo Kaléndas Augústi celebrátur. Romæ, etc.

6 Octáva sancti Michaélis Archángeli.

In Calábria sancti Brunónis Confessóris, Ordinis Carthusianórum institutóris; cujus festívitas quinto Idus Octóbris recólitur. Laodicéæ, etc.

11 Sancti Brunónis Confessóris, de quo prídie Nonas Octóbris ágitur. Tharsi in Cilícia, etc.

12 Sancti Anacléti Papæ et Mártyris, cujus dies natális tértio Idus Július recensétur. Romæ sanctórum Mártyrum, etc.

15 Albæ in Hispánia, etc. ut in Martyrologio Romano pag. 200.

16 Festum beátæ Maríæ ab Incarnatióne, Sanctimoniálium Ordinis Carmelitárum Discalceatárum in Gálliis fundatrícis, cujus depositiónis memória decimoquárto Kaléndas Maji recensétur. In Africa, etc.

21 In Cypro natális sancti Hilariónis Abbátis, Ordinis Carmelitárum, cujus vitam virtútibus ac miráculis plenam sanctus Hierónymus scripsit. Apud Colóniam, etc.

22 Octáva sanctæ Therésiæ Vírginis Ordinis Carmelitárum. Jerosólymis, etc.

24 Festum sancti Raphaélis Archángeli. Venúsiæ in Apúlia, etc.

25 Sancti Stéphani Regis Confessóris, cujus ánima evolávit in cœlum decimooctávo Kaléndas Septémbris ac festum recensétur quarto Nonas Septémbris.

Suessióne in Gállia sanctórum Mártyrum Crispíni, et Crispiniáni, etc. ut in Martyrologio Romano pag. 207. Romæ sanctórum Mártyrum Chrysánthi, etc. ne repetas : Suessióne, etc.

26 Translátio córporis sancti Andréæ Corsíni Epíscopi et Confessóris, Ordinis nostri. Romæ sancti Evarísti, etc. in cujus Elogio adde : cujus festum sequénti die celebrátur. In Africa, etc.

27 Vigília sanctórum Apostolórum Simónis et Judæ.

Sancti Evaristi Papæ Mártyris, cujus memória prídie hujus diéi recólitur. Abulæ in Hispánia, etc.

29 Sancti Zephyríni Papæ, et Mártyris, cujus memória inscribitur séptimo Kaléndas Septémbris. In Lucánia sanctórum Mártyrum, etc.

30 Antiochíæ sancti Serapiónis Epíscopi, Ordinis Carmelitárum, eruditióne claríssimi. In Africa, etc.

31 Vigília ómnium Sanctórum.

In Gállia apud Augústam Veromanduórum sancti Quinctíni, etc. ut in Martyrologio pag. 211. circa finem. Romæ natális beáti Nemésii, etc. ne repetas : In Gállia, etc.

# NOVEMBRI.

Sabbato ante Dominicam secundam Novembris.

Festum Patrocínii beátæ Maríæ Vírginis.

9 Romæ dedicátio Basílicæ Salvatóris, ut in Martyrologio Romano pag. 217. et in fine Lectionis addatur :

Bonóniæ beáti Ludovíci Confessóris Ordinis Carmelitárum, pœniténtiæ laude, et vitæ austeritáte illústris, cujus festum celebrátur Idibus Mártii.

14 Festívitas ómnium Sanctórum Ordinis beatíssimæ Vírginis Maríæ de monte Carmélo. Heráclеæ, etc.

15 Commemorátio ómnium Defunctórum Ordinis Carmelitárum.

In Germánia sanctæ Gertrúdis Vírginis, Ordinis sancti Benedícti, quæ dono revelatiónum clara éxtitit, et quintodécimo Kaléndas Decémbris ad Sponsum migrávit; ejus tamen festum hac die recólitur. Natális, etc.

24 Ubédæ in Hispánia sancti Joánnis a Cruce Confessóris, in Carmelitárum reformatióne sanctæ Therésiæ sócii, cujus dies natális decimonóno Kaléndas Januárii recensétur. Ejus tamen festum jussu Cleméntis Papæ Duodécimi hac die celebrátur. Natális, etc.

26 In Statu ecclesiastico dicatur primo loco : Apud Fabriánum in Picéno beáti Silvéstri Abbátis institutóris Congregatiónis Monachórum Silvestrinórum. Alexandríæ, etc. et non repetas : Apud Fabriánum, etc.

28 Octáva Præsentatiónis beátæ Maríæ Vírginis. Romæ, etc.

# DECEMBRI.

1 Octava sancti Joánnis a Cruce Confessóris. Nahum Prophétæ, etc.

2 In Lectione Martyrologii Romani legatur de sancto Petro Chrysologo ut sequitur : Apud Forum Cornélii sancti Petri Episcopi Ravennátis cognoménto Chrysólogi, doctrína, et sanctitáte célebris, cujus festum Nonis Decémbris in nostro Kalendário recólitur. Verónæ, etc.

4 Omitte in Martyrologio Romano, Sancti Petri Chrysólogi, etc. et incipe Lectionem, Nicomédiæ pássio sanctæ Bárbaræ, etc. cum reliquis Lectionis.

5 Sancti Petri Chrysólogi Epíscopi et Confessóris, cujus memória quarto Nonas Decémbris recensétur. Mútalæ in Cappadócia, etc.

11 Ultimo loco in fine Lectionis Martyrologii Romani legatur de beato Franco, ut sequitur : Senis in Túscia beáti Franci Confessóris, Ordinis Carmelitárum, exímia vitæ austeritáte, ac frequénti Deíparæ apparitióne, prophetíæ spíritu, ac miraculórum glória illústris, qui inter Angelórum concéntus atque miríficum splendórem emísit spíritum, cujus festívitas sextodécimo Kaléndas Januárii celebrátur.

14 In Cypro ínsula natális beáti Spiridiónis Epíscopi, Ordinis Carmelitárum, qui unus fuit ex illis Confessóribus, quos Galérius Maximiánus, dextro óculo effósso, et sinístro póplite succíso, ad metálla damnáverat. Hic prophetíæ dono, et signórum glória ínclytus fuit, et in Nicæno Concílio philósophum éthnicum christiánæ religióni insultántem devícit, et ad fidem perdúxit.

Alexandríæ sanctórum Mártyrum Herónis, Arsénii, Isidóri, et Dióscori púeri; quorum tres primos judex in persecutióne Deciána váriis torméntis diláníans; cum pari constántia vidéret armátos, tradi ígnibus jubet : Dióscorus vero multipliciter flagellátus, divíno nutu ad consolatiónem fidélium demíssus est.

Antiochíæ natális sanctórum Mártyrum Drusi, Zósimi, et Theodósii.

Eódem die pássio sanctórum Justi et Abúndii, qui sub Numeriáno Imperatóre, et Olybrio Præside in ignem injécti, cum evasíssent illæsi, gládio percússi sunt.

Rhemis pássio sanctórum Nicásii Epíscopi, Eutrópiæ Vírginis sorōris ejus, et sociórum Mártyrum, qui a bárbaris Ecclésiæ hóstibus cæsi sunt.

Bérgomi sancti Viatóris Epíscopi et Confessóris.

Papíæ sancti Pompéji Epíscopi.

Neápoli in Campánia sancti Agnélli Abbátis, grátia miraculórum

illústris, qui obséssam urbem sæpe visus est Crucis vexillo ab hóstibus liberáre.

Ubédæ natális sancti Joánnis a Cruce Confessóris, Ordinis Carmelitárum, cujus festum jussu Cleméntis Papæ Duodécimi octávo Kaléndas Decémbris celebrátur.

Medioláni sancti Matroniáni Eremitæ.

15 Octáva Conceptiónis beátæ Maríæ Vírginis.

Eódem die ordinátio sancti Eusébii Epíscopi Vercelénsis, cujus natális dies Kaléndis Augústi recensétur, ac ejus festum jussu Benedícti Papæ Decimitértii sequénti die recólitur, et in nostro Kalendário decimotértio Kaléndas Januárii collocátur. Romæ, etc.

16 Floréntiæ in monastério sanctæ Maríæ Angelórum translátio córporis sanctæ Maríæ Magdalénæ de Pazzis, Vírginis Ordinis Carmelitárum. Trium puerórum, etc.

17 Beáti Franci Confessóris, Ordinis Carmelitárum, cujus dies natális ágitur tértio Idus Decémbris. Eleutherópoli, etc.

18 Festum Expectatiónis Partus beátæ Maríæ Vírginis. Philíppis, etc.

19 Sancti Pontiáni Papæ et Mártyris, cujus memória recólitur tertiodécimo Kaléndas Decémbris. Alexandríæ in Ægypto, etc.

20 Sancti Eusébii Epíscopi Vercelénsis et Mártyris, de quo Kaléndis Augústi, et decimooctávo Kaléndas hujus mensis refértur memória. Alexandríæ, etc.

26 Jerosólymis natális sancti Stéphani Protomártyris, qui a Judæis non longe post Ascensiónem Dómini lapidátus est.

Romæ sancti Maríni, órdinis senatórii, qui sub Numeriáno Imperatóre, et Marciáno Præfécto christiánæ religiónis causa compreliénsus, equúleo et úngulis servíli more punítus, in sartáginem deínde conjéctus, sed igne in rorem convérso liberátus, feris quoque objéctus, et ab illis servátus illæsus : tandem ad aram íterum ductus; cum idóla oratióne ejus corruíssent, percússus gládio, martyrii triúmphum adéptus est.

Item Romæ in via Appia deposítio sancti Dionysii Papæ, Ordinis Carmelitárum, qui multis pro Ecclésia impénsis labóribus, fídei documéntis clarus effúlsit : cujus festívitas prídie Idus Februárii celebrátur.

Ibídem sancti Zósimi Papæ et Confessóris.

In Mesopotámia sancti Archelái Epíscopi, doctrína et sanctitáte célebris.

Majúmæ sancti Zenónis Epíscopi.

Romæ sancti Theodóri Mansionárii Ecclésiæ sancti Petri, cujus méminit beátus Gregórius Papa.

# LECTIO BREVIS AD PRIMAM

## QUÆ QUOTIDIE LEGITUR, TRIDUO ANTE PASCHA EXCEPTO.

Lectio 2. Cor. 13.

**GRATIA Dómini nostri Jesu Christi, et cháritas Dei, et communicátio sancti Spíritus sit cum ómnibus nobis. Amen. Tu autem, Dómine, miserére nostri.**

Pro benefactoribus.

**Commemorátio fratrum, sorórum, confrátrum, familiárium, et benefactórum defunctórum Ordinis nostri.**

℣. **Requiéscant in pace.** ℟. **Amen.**

# INDEX SANCTORUM ET BEATORUM

## ORDINIS BEATISSIMÆ MARIÆ VIRGINIS DE MONTE CARMELO

ANTIQUÆ OBSERVANTIÆ.

# MARTYROLOGIUM SANCTORUM

## ORDINIS EREMITARUM

## SANCTI PATRIS AUGUSTINI.

*Festa, de quibus eo die fit Officium, semper primo loco ponuntur in Martyrologio. Quod etiam servandum erit in Festis mobilibus, et in Sanctis propriis particularium Ecclesiarum, in Romano Martyrologio non appositis, qui in iis tantum Ecclesiis et locis, ubi præcipue memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, si de illis ibidem agatur Officium, etc.*

*Idcirco hic necessarium duximus, Festa nostra quorum memoria in Martyrologio non agitur, vel si agitur, non principaliter, esse adscribenda, ut unumquodque post Kalendarum et Lunæ pronuntiationem immediate præponatur lectioni Martyrologii illius diei, in qua celebratur, videlicet.*

## JANUARIO.

15 Festivitas sancti Pauli primi Eremítæ, qui in Thebáide a sextodécimo ætátis suæ anno usque ad centésimum decimumtértium solus in erémo permánsit. Ejus ánimam quarto Idus Januárii, qui fuit natális dies ejúsdem, inter Apostolórum et Prophetárum choros ad cœlum ferri ab Angelis sanctus Antónius vidit. In território Andegavénsi, etc.

19 In Africa sancti Fulgéntii Ecclésiæ Ruspénsis Episcopi, Ordinis nostri, qui témpore Wandálicæ persecutiónis ob cathólicam fidem eximiámque doctrínam ab Ariánis multa perpéssus, et in Sardiniam relegátus, tandem ad própriam Ecclésiam redire permissus, vita et verbo clarus, Kaléndis Januárii sancto fine quiévit. Romæ via Cornélia, etc.

23 Jerosólymis Desponsátio beátæ Maríæ Virginis cum sancto Joseph. Romæ sanctæ Emerentiánæ, etc.

28 Medioláni in cœnóbio sanctæ Marthæ, beátæ Verónicæ Virginis Ordinis nostri, vitæ sanctitáte et mirabílium visiónum dono illústris, quæ Idibus Januárii migrávit ad Sponsum. Ejus tamen festum hac die celebrátur. Romæ, etc.

# FEBRUARIO.

3 ROMÆ depositio beáti Simónis de Cássia, ex Eremitárum sancti Augustíni Ordine, scriptóris et concionatóris laude exímii, virtútibus, ac prophetiæ, et miraculórum dono præclári. Sebáste, etc.

6 Commemorátio patrum, matrum, fratrum, sorórum, familiárium et propinquórum Ordinis nostri.

Amándulæ in Picéno beáti Antónii Confessóris Ordinis nostri, admirábili pœniténtia, exímia in míseros charitáte, ac miraculórum fama percélebris, cujus corpus ibidem magna fidélium veneratióne cólitur. Cæsaréæ, etc.

10 In Stábulo Rhodis territórii Senénsis in Túscia natális sancti Guiléłmi, Ordinis nostri instauratóris, olim Aquitániæ ducis, et Pictavórum cómitis, qui sancti Bernárdi Claræyalléusis ópera ad unitátem Ecclésiæ redúctus, principátu abdicáto, austeríssimum vitæ genus arripiens, sanctitáte et miráculis clarus migrávit in cœlum. Romæ, etc.

11 Apud montem Cassínum sanctæ Scholásticæ Vírginis, sorόris sancti Benedícti Abbátis, qui ejus ánimam instar colúmbæ migrántem e córpore, in cœlum ascéndere vidit. Ejus festum celebrátur quarto Idus Februárii; in nostro tamen Ordine hódie recólitur. In Africa natális, etc.

12 Aquilæ in Vestínis beátæ Christínæ Vírginis, Sanctimoniális Ordinis nostri, morum innocéntia ac jugi córporis mortificatióne illústris. Barcinóne in Hispánia, etc.

14 Spoléti in Umbria natális beátæ Christínæ Vírginis, quæ vicecómitum sánguine orta, tértii Ordinis sancti Augustíni hábitum suscépit, atque eremíticam vitam prius ducens, ægrótis póstmodum ac paupéribus minístrans, sancto fine quiévit. Romæ via Flamínia, etc.

17 Octáva sancti Guiléłmi. Romæ pássio, etc.

18 In óppido Sanctæ Crucis in Túscia beátæ Christiánæ Vírginis Ordinis nostri, quæ adhuc puélla, ut castitátis votum tútius serváret, fugam arrípere coácta, Juxiánum flúvium sicco pede tranávit. Fundáto dein monastério sanctæ Maríæ Novéllæ sub régula sancti Patris Augustíni, vitæ sanctimónia ac miráculis gloriósa, prídie Nonas Januárii migrávit in cœlum. Jerosólymis, etc.

19 Sancti Raymúndi de Pénnafort, cujus natális séptimo Idus Januárii recólitur. Romæ, natális sancti Gabíni, etc.

20 Sancti Canúti Regis Mártyris, cujus memória séptimo Idus Januárii apponitur. Tyri in Phœnícia, etc.

25 Apud Certáldum Etrúriæ óppidum beátæ Júliæ Vírginis, tértii

Ordinis sancti Augustini, quæ nobilitáte géneris, sed magis humilitátis virtúte et mundanárum rerum contémptu illústris, ad cœléstem Sponsum migrávit quinto Idus Januárii. In Ægypto natális, etc.

26 Sanctæ Margarítæ de Cortóna, tértii Ordinis sancti Francísci, de qua octávo Kaléndas Mártii. Perge in Pamphylia, etc.

28 vel 29 Papíæ Translátio córporis sancti Patris nostri Augustíni ex Sardínia ínsula, ópera et pietáte Luitprándi Longobardórum Regis: quod quidem in Ecclésia sancti Petri in cœlo Aúreo, nunc sancti Augustíni, máxima pópuli veneratióne requiéscit. Romæ natális, etc.

# MARTIO.

3 Bononiæ beáti Nicolái Albergáti Mónachi Carthusiáni, ejúsdem civitátis Epíscopi, et sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális, sanctitáte et apostólicis legatiónibus clari. Incidit ejus beáta mors sexto Idus Maji in Senénsi sancti Augustíni cœnóbio: hac tamen die in Ordine nostro, cujus olim fúerat protéctor, celebrátur. Cæsaréæ, etc.

5 Recinéti in Picéno beáti Hierónymi Ghirardútii, Confessóris Ordinis nostri, qui in procuránda proximórum pace et concórdia máxime enítuit. Antiochíæ natális, etc.

11 Festum Puritátis beátæ Maríæ Vírginis. Carthágine, etc.

13 Commemorátio ómnium Sanctórum, quorum relíquiæ in Ecclésiis Ordinis nostri asservántur. Nicomédiæ, etc.

17 In Hibérnia, natális sancti Patrítii Epíscopi et Confessóris, qui primus ibídem non solum Christum prædicávit, et máximis virtútibus ac miráculis cláruit; sed étiam sancti Patris nostri Augustíni exémpla secútus, feras inter gentes monásticum íntulit institútum, et felíciter propagávit. Jerosólymis, etc.

18 Festum sancti Gabriélis Archángeli, qui beátæ Vírgini Maríæ Incarnatiónis domínicæ mystérium nuntiávit. Cæsaréæ in Palæstina, etc.

20 Verónæ natális beatórum Evangelístæ et Peregríni Confessórum Ordinis nostri, qui virtútibus, præsértim obediéntiæ et humilitátis, ac miraculórum dono ante et post óbitum floruérunt. In Judæa, etc.

22 Cortónæ in Túscia beáti Ugolíni Zephyríni Confessóris Ordinis nostri, ex cujus látere in testimónium perpétuæ ejus virginitátis lília post mortem germinásse fertur. Narbóne in Gállia, etc.

28 Apud Monticiánum Senénsis ditiónis beáti Antónii de Patrítiis Confessóris Ordinis nostri, qui illústri génere ortus, illústrior virtútibus cláruit. Cæsaréæ, etc.

# APRILI.

1 In Palménsi monastério sanctæ Maríæ Magdalénæ majóris ínsulæ Baleáricæ beátæ Catharínæ Thomas, Vírginis Ordinis Canonissárum Regulárium sancti Patris Augustini, quæ méritis cumuláta ad cœléstem Sponsum evolávit. Romæ pássio, etc.

6 In monastério sanctæ Maríæ Sacri Montis supra Varísium beátæ Catharínæ de Palántia, Ordinis nostri, fundatrícis ejúsdem cœnóbii, singulári mansuetúdine, atque ardentíssimo erga domínicæ Passiónis mystéria devotiónis affectu conspícuæ. Romæ, etc.

8 Urbe Véteri beáti Cleméntis de sancto Elpídio, vulgo dicti de Auxímo, Confessóris Ordinis nostri, magnæ cleméntiæ ac pietátis viri; qui Prióris Generális múnere semel atque íterum egrégie functus, ita Augustiniáni institúti leges ad regulárem disciplínam fovéndam restítuit et auxit, ut alter illárum cónditor ab ómnibus haberétur. Diébus tandem plenus ac méritis hac die quiévit in pace. Alexandríæ, etc.

9 Romæ Translátio córporis sanctæ Mónicæ, matris beáti Patris nostri Augustíni Epíscopi, quod ex óstiis Tiberínis, Martíno Quinto Summo Pontífice, in Urbem delátum, primo in Ecclésia sancti Tryphónis, deínde in templo ejúsdem beáti Patris Augustíni honorífice recónditum fuit, ubi pie cólitur. Antiochíæ, etc.

11 In pago montis Regális Reatínæ diœcésis depositio beáti Andréæ Confessóris Ordinis nostri, admirábili patiéntia, vitæ asperitáte, doctrína, ac evangélicæ prædicatiónis laude claríssimi. Romæ, etc.

12 Sancti Leónis Papæ Confessóris, cognoménto Magni, cujus natális dies prídie hujus diéi perágitur. Verónæ pássio, etc.

20 Bonóniæ depositio beáti Simónis Tudertíni, multis miráculis clari, cujus corpus in Ecclésia Ordinis nostri sancti Jacóbi cólitur. Romæ sanctórum Mártyrum, etc.

26 In óppido Genestáni Prænestínæ diœcésis festum sacræ Imáginis beátæ Maríæ Vírginis, de Bono Consílio nuncupátæ, quæ, Paulo Secúndo Summo Pontífice sedénte, mirabíliter in Ecclésia nostri Ordinis appáruit, ac miraculórum magnitúdine et præstántia célebris, frequénti populórum concúrsu, maximáque religióne cólitur. Romæ natális, etc.

27 Sanctórum Cleti et Marcellíni Pontíficum Mártyrum, quorum natális prídie hujus diéi recensétur. Nicomédiæ, etc.

28 Senis in Túscia beáti Augustíni Novélli Confessóris Ordinis nostri, cujus tanta fuit humílitas, ut régimen univérsi Ordinis, quod non nisi jubénte Summo Pontífice suscéperat, biénnio post dimíserit, in

erémum secédens sancti Leonárdi, ubi tandem virtútibus cumulátus obdormívit in Dómino. Ravénnæ, etc.

# MAJO.

4 Apud óstia Tiberina natális sanctæ Mónicæ, beáti Augustini Patris nostri dupliciter matris, quippe quæ et mundo et cœlo eum péperit; assíduis ad Deum précibus ac lácrymis conténdens, ut ad religiónis orthodóxæ veritátem adduceréfur. Tantæ matris præcláram vitam in libro nono Confessiónum testátam relíquit ejus fílius Augustinus. In Metállo, etc.

5 Medioláni Convérsio sancti Patris nostri Augustíni, quem beátus Ambrósius Epíscopus cathólicæ fídei veritátem dócuit, et hac die lustrálibus lymphis expiávit annos natum triginta tres, cuíque sanctus Simpliciánus monásticæ vitæ ratiónem osténdit, quam ipse cum amícis ampléxus in Africam mox invéxit, ibique longe latéque propagávit. Romæ, etc.

11 Octáva sanctæ Mónicæ, matris beáti Augustíni Patris nostri. Romæ, etc.

13 Festum beátæ Maríæ Vírginis de Succúrsu. Romæ dedicátio, etc.

14 Floréntiæ sancti Antoníni Epíscopi Ordinis Prædicatórum, sanctitáte ac doctrína célebris, qui migrávit in cœlum sexto Nonas Maji: nos tamen hódie illius celebrámus memóriam. Natális sancti Bonifácii, etc.

15 Romæ sancti Pii Papæ Quinti ex Ordine Prædicatórum; qui ecclesiásticæ disciplínæ restituéndæ, hærésibus extirpándis, et christiáni nóminis hóstibus conteréndis strénue ac felíciter incúmbens, vitæ ac legum sanctitáte cathólicam Ecclésiam gubernávit; cujus festum celebrátur tértio Nonas Maji, in nostro tamen Ordine hódie recólitur. In Hispánia, etc.

17 Mirándulæ in Æmília sancti Possídii Calaménsis Epíscopi, discípuli sancti Patris nostri Augustíni, ejúsque mirábilis vitæ scriptóris accuratíssimi. Apud Villam, etc.

22 Cássiæ in Umbria beátæ Ritæ víduæ, Moniális Ordinis nostri, quæ post sæculi núptias ætérnum sponsum Christum únice diléxit, et vitæ sanctitáte ac miraculórum virtúte máxime cláruit. Romæ, etc.

23 Sancti Joánnis Nepomucéni Mártyris, cujus memória decimoséptimo Kaléndas Júnii recensétur. Apud Língonas in Gállia, etc.

24 Pro Statu ecclesiastico. Festum beátæ Maríæ Vírginis sub título Auxílium Christianórum. Antiochíæ natális, etc.

Alibi. Apud Villam Regálem in regno Valentíno sancti Paschális, Ordinis Minórum, cujus memória ágitur sextodécimo Kaléndas Júnii, in nostro tamen Ordine hódie recólitur. Antiochíæ, etc.

28 In Statu ecclesiastico legitur de S. Paschale, ut supra. In Sardínia, etc.

31 Bríxiæ sanctæ Angelæ Meríciæ Vírginis, Societátis sanctæ Ursulæ institutrícis, cujus memória in Ordine nostro hac die celebrátur. Romæ sanctæ Petronillæ, etc.

## JUNIO.

1 Festum beátæ Maríæ Vírginis de Grátia. Romæ sancti Juvéntii, etc.

5 Romæ Canonizátio sancti Nicolái de Tolentino, Ordinis nostri, quem Eugénius Quartus ob egrégiam vitæ sanctimóniam et miraculórum magnitúdinem in sanctórum Confessórum númerum rétulit anno salútis millésimo quadringentésimo quadragesimoséxto, ipsa die Pentecóstes tum incurrénte. In Ægypto, etc.

12 Salmánticæ in Hispánia sancti Joánnis a sancto Facúndo, Confessóris Ordinis nostri, fídei zelo, vitæ sanctimónia, et miráculis clari, qui prídie quiévit in Dómino. Romæ, etc.

19 Octáva sancti Joánnis a sancto Facúndo, Confessóris Ordinis nostri. Mediolánі, etc.

20 Floréntiæ sanctæ Juliánæ Falconériæ Vírginis, Sorórum Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis institutrícis, quam Clemens Duodécimus Póntifex Máximus in sanctárum Vírginum númerum rétulit. Ejus festum celebrátur tertiodécimo Kaléndas Július; in nostro tamen Ordine hódie recólitur. Natális sancti Silvérii, etc.

22 Placéntiæ beáti Philíppi Confessóris Ordinis nostri, sæculi fastus contémptu, ánimi demissióne, orandíque stúdio illústris. Apud Nolam, etc.

## JULIO.

7 Commemoratio ómnium benefactórum Ordinis nostri. Romæ sanctórum, etc.

9 In Statu ecclesiastico. Tiphérni sanctæ Verónicæ de Juliánis, secúndi Ordinis sancti Francisci, Abbatíssæ ascetérii ejus urbis, ex óppido Mercatélli Urbaniénsis diœcésis, insígni patiéndi stúdio, ceteríisque virtútibus ac cœléstibus charismátibus illústris, quam Gregórius Decimusséxtus sanctárum Vírginum collégio adscrípsit. Romæ, etc.

21 Verónæ natális beatórum Benígni et Cari, qui sæculum pertæsi ad erémum juxta locum Malsesénium in Episcopátu Veronénsi confugiéntes, et in Mónachos attónsi, puritáte vitæ et multis miráculis claruérunt. Romæ, etc.

24 Vigília sancti Jacóbi Apóstoli.

Aquilæ in Vestinis beáti Antónii Turriáni, Confessóris Ordinis nostri, qui, post peragrátas religiónis causa várias orbis regiónes, Aquilam missus ad sedándas cívium discórdias, árduum opus charitáte, prudéntia, ac verbi Dei potestáte complévit. Tyri, etc.

27 Amériæ in Umbria beátæ Lúciæ Bufalári, Priorissæ nostri Ordinis Mantellatárum, cujus corpus ibídem summa devotióne cólitur, et liberándis a dæmone obséssis præcípue invocátur. Nicomédiæ, etc.

# AUGUSTO.

2 Reate beáti Joánnis Reatini Améríæ nóbili génere orti, choristæ Ordinis Eremitárum sancti Augustíni, qui quum cordis simplicitáte præcípue eluxisset, Kaléndis Augústi obdormívit in Dómino. Romæ, etc.

9 Vigília sancti Lauréntii Mártyris.

Asculi in Picéno sancti Æmygdii Episcopi et Mártyris, qui a sancto Marcéllo Papa Episcopus ordinátus, et illuc ad prædicándum Evangélium missus, in confessióne Christi sub Diocletiáno Imperatóre mártyrii corónam accépit; cujus festum celebrátur Nonis Augústi, in nostro tamen Ordine hódie recólitur. Romæ, etc.

11 Fabriáni memória beatórum Petri et Joánnis Becchétti consanguineórum, qui eremíticam vitam inter Augustinénses ampléxi, et verbi Dei prædicatióne, sed magis aspérrima pœniténtia, ferventissimáque in domínicam Passiónem devotióne illústres, finem felíciter consummárunt. Romæ inter duas lauros, etc.

13 Medioláni natális sancti Simpliciáni Episcopi et Confessóris, qui sanctum Patrem Augustínum ad monásticam vitam adhortátus est, quique Ecclésiæ Románæ quondam alúmnus, sancto Ambrósio advérsus Ariános laboránti áffuit, et in ejus locum póstea subrogátus, sanctitáte et doctrína conspícuus quiévit in pace. Romæ, etc.

14 Vigília Assumptiónis beátæ Maríæ Vírginis.

In monastério sanctæ Maríæ Sacri Montis supra Varisium beátæ Juliánæ a Busto Arsítio, Vírginis Ordinis nostri, invícta ánimi fortitúdine, admirábili patiéntia, et assídua cœléstium contemplatióne célebris. Romæ, etc.

16 Tagáste in Africa sancti Alípii Epíscopi et Confessóris, qui beáti Patris Augustíni olim discípulus, póstea in conversióne sócius, in múnere pastoráli colléga, et in certamínibus advérsus hæréticos commílito strénuus, ac demum in cœlésti glória consors fuit. Romæ, etc.

18 In Montefálco Umbriæ beátæ Claræ Vírginis, Moniális Ordinis nostri, vitæ puritáte ac præcláris virtútibus illústris; in cujus viscéribus domínicæ Passiónis mystéria renováta máxima cum devotióne Fidéles venerántur. Prænéste, etc.

19 Cracóviæ in Polónia sancti Hyacínthi Confessóris Ordinis Prædicatórum, quem Clemens Papa Octávus in Sanctórum númerum rétulit. Ejus tránsitus fuit decimoséptimo Kaléndas Septémbris; hódie tamen in Ordine nostro celebrátur. Romæ, etc.

23 Carthágine in Africa sanctórum Mártyrum Liberáti Abbátis, Bonifácii Diáconi, Servi et Rústici Subdiaconórum, Rogáti et Séptimi Monachórum, et Máximi púeri, Ordinis nostri, qui in persecutióne Wandálica sub Hunnerico Rege pro confessióne cathólicæ fidei ac únici Baptísmatis defensióne váriis et inaudítis supplíciis exagitáti, demum super ligna, quibus concremándi erant, clavis confíxi, cum ignis sæpius accénsus fuísset, ac divínitus semper extínctus, ejus jussu remórum véctibus percússi, et comminútis cérebris enecáti, speciósum cursum certáminis sui, coronánte Dómino, perfecérunt. Antiochíæ, etc.

26 vel 27 Tudérti sancti Philíppi Benítii Florentíni, Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis propagatóris, quem Clemens Décimus Sanctórum número adscrípsit. Ejus festum celebrátur décimo Kaléndas Septémbris; a nobis tamen hódie recólitur. Romæ sancti Zephyríni, etc.

27 Vigília sancti Patris nostri Augustíni Epíscopi et Confessóris. Romæ depositio, etc.

28 Hippóne Régio in Africa natális sancti Patris nostri Augustíni, Epíscopi, et Ecclésiæ Doctóris exímii; qui beáti Ambrósii Epíscopi ópera ad cathólicam fidem convérsus et baptizátus, cam advérsus Manichæos, Pelagiános, aliósque hæréticos acérrimus propugnátor strénue deféndit, multísque áliis pro Ecclésia Dei perfúnctus labóribus, ad præmia migrávit in cœlum. Ejus relíquiæ primo de sua civitáte propter bárbaros in Sardíniam delátæ, et póstea a Luitprándo rege Longobardórum Ticínum translátæ, ibi honorífice cónditæ sunt. Romæ, etc.

## SEPTEMBRI.

4 OCTAVA sancti Patris nostri Augustíni Epíscopi et Confessóris, ac Ecclésiæ Doctóris exímii. In monte Nebo, etc.

5 Appámiis in Gállia sancti Antoníni Mártyris, qui Theodoríci Regis Francórum nepos religiósam vitam juxta régulam sancti Patris Augustíni ampléxus, multis virtútibus ac miráculis clarus, ab ímpiis ob christiánam fidem martyrio coronátur. Passus est quarto Nonas Septémbris, ejúsque relíquiæ in Ecclésia Palentína magna veneratióne asservántur. Romæ, etc.

6 Génuæ in monastério sancti Thomæ beátæ Limbániæ Vírginis Ordinis nostri, admirábili pœniténtia, et altíssima contemplatióne insígnis, cujus ánima evolávit ad cœlum decimonóno Kaléndas Septémbris. Zacharíæ Prophétæ, etc.

7 Cardóne in Hispánia sancti Raymúndi Nonnáti Cardinális et Confessóris, Ordinis beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum, vitæ sanctitáte et miráculis clari. Ejus natális fuit prídie Kaléndas Septémbris; at hac die in Ordine nostro solémnis habétur. Nicomédiæ, etc.

9 Limæ in Peruáno regno sanctæ Rosæ de sancta María, Vírgine tértii Ordinis sancti Domínici, cujus festum celebrátur tértio Kaléndas Septémbris; in nostro tamen Ordine hódie recólitur. Nicomédiæ, etc.

10 Tolentíni in Picéno deposítio sancti Nicolái Confessóris Ordinis nostri, virginitáte, abstinéntia, miraculórum magnitúdine, maximísque virtútibus mirífice illústris. In Africa, etc.

11 Sancti Alphónsi Maríæ de Ligório Epíscopi Confessóris, cujus memória recólitur quarto Nonas Augústi. Romæ via Salária, etc.

Pro Statu ecclesiastico. Sanctæ Rosæ Vírginis Viterbiénsis, de qua tértio Idus Septémbris : hódie vero a nobis recólitur. Romæ via Salária, etc.

12 Pro Statu ecclesiastico Sancti Alphónsi Maríæ de Ligório Epíscopi Confessóris, cujus memória recólitur quarto Nonas Augústi. Commemorátio, etc.

17 Octáva sancti Nicolái de Tolentíno Confessóris Ordinis nostri. Romæ, etc.

18 Valéntiæ in Hispánia sancti Thomæ de Villanóva Epíscopi et Confessóris Ordinis nostri, qui propter insígnem et flagrántem in paúperes charitátem Pater paúperum mérito appellátur. Ab Alexándro Séptimo Kaléndis Novémbris in Sanctórum númerum relátus est, cujus jussu festum hac die celebrátur. Auxími, etc.

22 Sancti Joseph de Cupertíno Confessóris, de quo ágitur quartodécimo Kaléndas Octóbris. Sedúni in Gállia in loco Agaúno, etc.

25 Octáva sancti Thomæ de Villanóva Epíscopi et Confessóris Ordinis nostri. In Castéllo, etc.

26 Romæ via Appia beáti Cornélii Papæ et Mártyris, qui in persecutióne

30.

Décii post exílii relegatiónem jussus est plumbátis cædi, et sic cum áliis viginti et uno promíscui sexus decollári.

In Africa pássio sancti Cypriáni Episcopi Carthaginénsis, sanctitáte et doctrína clarissimi, qui sub Valeriáno et Galliéno Princípibus post durum exílium detruncatióne cápitis martyrium consummávit sexto milliário e Carthágine juxta mare. Pássio utriúsque gloriósa íncidit decimo-octávo Kaléndas Octóbris; hac tamen die in Ordine nostro celebrátur. Nicomédiæ natális, etc.

# OCTOBRI.

3 Albæ in Pannónia sancti Stéphani Regis, qui divínis virtútibus exornátus, primus Húngaros ad fidem Christi convértit. Ejus memória celebrátur quarto Nonas Septémbris; in nostro tamen Ordine hódie recólitur. Romæ ad Ursum, etc.

5 Commemorátio Impressiónis sacrórum Stígmatum, quibus sanctus Franciscus, Ordinis Minórum institútor, in suis mánibus, pédibus, et látere mira Dei grátia in monte Alvérniæ in Etrúria impréssus fuit; quæ a quintodécimo Kaléndas Octóbris ad hanc diem in Ordine nostro perpétuo transláta est. Messánæ, etc.

7 In Bohémia sancti Wenceslái ducis Bohemórum et mártyris, sanctitáte et miráculis gloriósi, qui in domo fratris sui necátus, victor pervénit ad palmam quarto Kaléndas Octóbris, licet a nobis hódie celebrétur. Romæ, etc.

11 Cálaris in Sardínia Translátio córporis sancti Patris Augustíni ex Hippóne Régio, ópera inprímis sancti Fulgéntii Episcopi Ruspénsis, quod una cum multis aliórum Sanctórum relíquiis, mitra et báculo pastoráli, in eádem civitáte recónditum, multis miráculis cláruit. Tharsi, etc.

12 Sancti Lauréntii Justiniáni, primi Venetiárum Patriárchæ, qui pontificálem Cáthedram, quam Nonis Septémbris invítus ascéndit, virtútum ac miraculórum glória illustrávit, cujus natális dies sexto Idus Januárii recensétur; a nobis tamen ad hanc diem festívitas ejus transfértur. Romæ, etc.

16 In Africa sanctórum Mártyrum Martiniáni et Saturiáni cum duóbus eórum frátribus; qui témpore Wandálicæ persecutiónis, sub Genserico Rege Ariáno, cum essent servi cujúsdam Wándali, a sancta Máxima Vírgine, eórum consérva, ad Christi fidem convérsi, et ut religiósam vitam in cœnóbio Trebacénsi Ordinis sancti Patris Augustíni profiteréntur, persuási, pro constántia fídei cathólicæ primum nodósis

fústibus cæsi sunt, et usque ad ossa laniáti : sed cum multo témpore tália pateréntur, et sequénti die nihilóminus semper incólumes redderéntur, exilio tandem in vastam erémum inter Mauros relegántur. Ubi cum multos barbarórum ad fidem Christi convertissent, et a Románo Pontifice Presbyterum aliósque minístros, qui eos baptizárent, obtinuíssent, novíssime, vinctis pédibus, post terga curréntium quadrigárum, inter spinósa loca silvárum jussi sunt páriter interire. Máxima vero post multos superátos agónes divínitus liberáta, in monastério multárum Vírginum mater sancto fine quiévit. Ibídem sanctórum, etc.

21 In Lusitánia beáti Gundisálvi de Lagos Confessóris Ordinis nostri, qui puritáte morum, verbi Dei prædicatióne, ac púeros rudésque hómines christiánæ religiónis præcéptis erudiéndi zelo máxime enítuit. In Cypro, etc.

22 In óppido Verúculi territórii Ariminénsis beáti Gregórii Celli, Confessóris Ordinis nostri, non una tantum géneris claritáte, sed virtútum ómnium splendóre ac cathólicæ fídei stúdio conspícui. Jerosólymis, etc.

23 Mántuæ beáti Joánnis Boni, Ordinis nostri, pœniténtiæ virtúte et miraculórum præstántia insígnis, cujus præcláram vitam sanctus Antonínus scripsit. In Hispánia, etc.

24 Festum sancti Raphaélis Archángeli. Venúsiæ, etc.

# NOVEMBRI.

13 Festum ómnium Sanctórum Ordinis nostri. Ravénnæ, etc.

14 Commemorátio ómnium fratrum et sorórum defunctórum Ordinis nostri.

Complúti in Hispánia sancti Dídaci Confessóris, Ordinis Minórum, humilitáte célebris, quem Sixtus Quintus Sanctórum catálogo adscripsit. Natális illíus pridie Idus Novémbris refértur, sed hac die a nobis cólitur. Herácleæ, etc.

20 Romæ sancti Gelásii Papæ, qui e schola et monastério sancti Patris nostri Augustíni, ex Africa, Wandálica persecutióne, in Itáliam véniens, prope Neápolim in Campánia monásticam vitam egit; sed ob egrégiam ipsius sanctitátem ac doctrínæ præstántiam a clero Románo in Summum Pontíficem eléctus, singulári sapiéntia et integritáte Pontificátum gessit. Messánæ, etc.

24 Apud Rhégium Lépidi sancti Prósperi Aquitáni, ejúsdem urbis Epíscopi, eruditióne ac pietáte insígnis; qui advérsus Pelagiános pro

fide cathólica, et pro doctrína sancti Patris Augustíni sui magístri strénue decertávit. Ejus memória séptimo Kaléndas Júnii in tábulis ecclesiásticis habétur; hac tamen die a nobis ipsíus festum celebrátur. Natális, etc.

26 Sancti Felícis de Valois Confessóris, cujus memória celebrátur duodécimo Kaléndas Decémbris; a nobis tamen ejus festívitas ad hanc diem transfértur. Alexandríæ, etc.

Pro Statu ecclesiastico. Apud Fabriánum in Picéno beáti Silvéstri Abbátis, institutóris Congregatiónis Monachórum Silvestrinórum. Alexandríæ natális sancti Petri, etc.

27 Ubédæ in Hispánia sancti Joánnis a Cruce Confessóris, in Carmelitárum reformatióne sanctæ Terésiæ sócii; cujus festum ágitur octávo Kaléndas Decémbris, a nobis tamen hac die celebrátur. Antiochíæ, etc.

28 Pro Statu ecclesiastico. Sancti Felícis de Valois Confessóris, cujus memória celebrátur duodécimo Kaléndas Decémbris; a nobis tamen ejus festívitas ad hanc diem transfértur. Romæ sancti Rufi, etc.

## DECEMBRI.

7 Mediolani Ordinátio sancti Ambrósii Epíscopi, et Ecclésiæ Doctóris, cujus sanctitáte et doctrína universális Ecclésia decorátur, ejúsque ópera sanctus Pater Augustínus ad cathólicam fidem convérsus et baptizátus fuit. Alexandríæ, etc.

10 Pro Statu ecclesiastico et alibi. Lauréti in Picéno Translátio sacræ Domus Dei Genitrícis Maríæ, in qua Verbum caro factum est. Romæ sancti Melchíadis, etc.

16 In Africa pássio plurimárum sanctárum Vírginum Ordinis nostri, quæ in persecutióne Wandálica sub Hunneríco Rege Ariáno suspéndia, póndera, laminásque ignítas tolerántes, martyrii agónem felíciter consummárunt. Trium puerórum, etc.

17 Ordinátio sancti Eusébii Epíscopi Vercellénsis, cujus natális dies Kaléndis Augústi recensétur; nos tamen hódie illíus celebrámus memóriam. Eleutherópoli in Palæstína, etc.

18 Festum Expectatiónis Partus beátæ Vírginis Maríæ. Philíppis, etc.

# FESTA MOBILIA.

Sabbato ante Dominicam secundam post Epiphaniam.

**Festum sanctíssimi Nóminis Jesu, quod os Dómini nominávit, et vocátum est ab Angelo priúsquam in Vírginis útero Salvátor ipse conciperétur.**

Feria secunda post Dominicam Septuagesimæ.

**Festum Oratiónis Dómini nostri Jesu Christi in monte Olivéti.**

Feria secunda post Dominicam Sexagesimæ.

**Festum Commemoratiónis Passiónis Dómini nostri Jesu Christi.**

Feria quinta post Cineres.

**Festum sacræ Spíneæ Corónæ Dómini nostri Jesu Christi.**

Feria quinta post Dominicam primam Quadragesimæ.

**Festum Lánceæ et Clavórum Dómini nostri Jesu Christi.**

Feria quinta post Dominicam secundam Quadragesimæ.

**Festum sacratíssimæ Síndonis Dómini nostri Jesu Christi.**

Feria quinta post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

**Festum sacrórum quinque Vúlnerum Dómini nostri Jesu Christi.**

Feria quinta post Dominicam quartam Quadragesimæ.

**Festum pretiosíssimi Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi.**

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pascha.

**Festum Patrocínii sancti Joseph Sponsi beátæ Maríæ Vírginis.**

Feria quinta in Octava Corporis Christi.

**Festum sacratíssimi Cordis Jesu.**

Sabbato ante Dominicam primam post Festum S. P. N. Augustini.

**Beátæ Maríæ Vírginis de Consolatióne, principális Solémnitas Archiconfraternitátis Consodálium Cincturatórum.**

Sabbato ante Dominicam secundam Octobris.

**Festum Maternitátis beátæ Maríæ Vírginis.**

Sabbato ante Dominicam secundam Novembris.

**Festum Patrocínii beátæ Maríæ Vírginis.**

# LECTIONES PROPRIÆ

## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In Festo Orationis D. N. J. C.

Lectio. Oráte, etc. In Martyrologio pag. 263.

In Festo Commemorationis Passionis D. N. J. C.

Lectio. Generatiónem, etc. In Martyrologio pag. 263.

In Festo sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C.

Lectio. In die illa, etc. In Martyrologio pag. 263.

In Festo Lanceæ, et Clavorum D. N. J. C.

Lectio. Qui peccáta nostra, etc. In Martyrologio pag. 263.

In Festo sacratissimæ Sindonis D. N. J. C.

Lectio. Circumspéxi, etc. In Martyrologio pag. 263.

In Festo sacrorum quinque Vulnerum D. N. J. C.

Lectio. Trádidit Christus, etc. In Martyrologio pag. 263.

In Festo pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

Lectio. Accipiens Moyses, etc. In Martyrologio pag. 263.

In Commemoratione omnium Sanctorum, quorum reliquiæ asservantur in Ecclesiis Ordinis nostri,

Lectio.

Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis; quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus spíritus, super vos requiéscit. Tu autem, etc.

In Festivitate S. Gabrielis Archangeli,

Lectio. Scito ergo, etc. In Martyrologio pag. 264.

In Festivitate Patrocinii S. Joseph,

Lectio. Filius accréscens, etc. In Martyrologio pag. 264.

In Festo sacratissimi Cordis Jesu,

Lectio. Cantáte Dómino, etc. In Martyrologio pag. 264.

In Festivitate S. Matris Monicæ,
Lectio.

Conserva, fili mi, præcépta patris tui, et ne dimíttas legem matris tuæ: liga eam in corde tuo júgiter, et circúmda gútturi tuo. Cum ambuláveris, gradiántur tecum; cum dormíeris, custódiant te; et evígilans lóquere cum eis. Tu autem, etc.

In Festivitate S. P. N. Augustini,
Lectio.

Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Tu autem, etc.

In Festivitate S. Joannis a S. Facundo,
Lectio.

Filioli mei, non diligámus verbo, neque lingua, sed ópere et veritáte. Tu autem, etc.

In Festivitate S. Nicolai de Tolentino,
Lectio.

Audivit enim eum et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ. Tu autem, etc.

In Festivitate S. Thomæ de Villanova,
Lectio.

Qui facit misericórdiam, fœnerátur próximo suo: et qui prævalet manu, mandáta servat. Tu autem, etc.

In Festivitate S. Raphaelis Archangeli,
Lectio. Tempus est, etc. In Martyrologio pag. 264.

In Festivitate omnium Sanctorum Ordinis nostri,
Lectio.

Hæreditas sancta nepótes eórum; et in testaméntis stetit semen eórum: et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Tu autem, etc.

In Festivitate Expectationis Partus B. Mariæ Virg.
Lectio. Roráte cœli, etc. In Martyrologio pag. 264.

# INDEX SANCTORUM ET BEATORUM

## ORDINIS EREMITARUM

## SANCTI P. AUGUSTINI.

# MARTYROLOGIUM
## ORDINIS
## SERVORUM B. MARIÆ VIRG.

*Ut Officia ex concessione sanctæ apostolicæ Sedis ab alumnis Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis persolvenda rite annuntientur in Prima præcedentis diei, dum Martyrologium legitur, utque Sanctorum, ac Beatorum Ordinis ipsius elogia uniformiter recolantur, necessarium apparuit præsens Martyrologium efformare, deinceps a Fratribus et Sororibus ejusdem Instituti adhibendum.*

## JANUARIO.

1 Circa finem hujus Lectionis elogium B. Bonfilii ita enuntiandum est :

**Túsciæ in monte Senário beáti Bonfilii Confessóris, qui quum socius fúerit alíórum sex Beatórum, qui post Dei Matrem primam institutrícem mirificam, apparénte, jubentéque ipsa, mœrorísque vestes eis assignánte, sacram fundavérunt Famíliam Servórum sanctíssimæ Vírginis, ibíque virtútibus præclaríssime fúlserit, ab ipsa inópine ad ætérnam vitam vocátus, cœlésti audíta voce, sanctíssime hinc emigrávit. Alexandríæ depositío sanctæ Euphrósynæ, etc.**

**23 Festum Desponsatiónis beátæ Maríæ Vírginis cum sancto Joseph. Romæ sanctæ Emerentiánæ, etc.**

## FEBRUARIO.

**6 Sanctæ Hyacínthæ de Mariscóttis, cujus memória tértio Kaléndas Februárii recólitur. Cæsaréæ, etc.**

**9 Octáva Purificatiónis beátæ Maríæ Vírginis. Alexandríæ, etc.**

**11 In sacra erémo montis Senárii Solémnitas septem beatórum Fundatórum Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, quorum córpora ibi requiéscunt. In Africa natális, etc.**

**17 Floréntiæ beáti Aléxii Falconérii Confessóris, qui quum unus fúerit ex septem Fundatóribus Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, prope ædem Annuntiátæ Vírgini dicátam, septuagesimoséptimo, postquam Deo se vóverat, anno, ætátis vero centésimo décimo, adstántibus**

sub visibili forma Jesu et Angelis, beáto fine quiévit. Romæ pássio sancti Faustíni, etc. ne repetas : Floréntiæ, etc. in fine hujus Lectionis.

18 Octáva septem beatórum Fundatórum Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis. Jerosólymis, etc.

19 Mántuæ beátæ Elísabeth Picenárdiæ, Vírginis tértii Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, vitæ innocéntia, humilitáte, oratiónis, prophetíæ, et miraculórum dono illústris, quæ inter Angelórum concéntus Jesum, ejúsque Matrem suáviter contémplans, in Dómino quiévit. Romæ natális sancti Gabíni, etc.

20 Sancti Ildephónsi Epíscopi Toletáni et Confessóris, cujus natális décimo Kaléndas Februárii celebrátur. Tyri in Phœnícia, etc.

21 Sancti Raymúndi de Pénnafort Confessóris, de cujus natáli ágitur séptimo Idus Januárii. In Sicília natális, etc.

25 Sanctæ Margarítæ Cortonénsis tértii Ordinis sancti Francísci, cujus memória octávo Kaléndas Mártii recensétur. In Ægypto, etc.

# MARTIO.

17 Jerosolymis sancti Joseph ab Arimathæa nóbilis Decuriónis, discípuli Dómini, qui ejus corpus de Cruce depósitum in monuménto suo novo sepelívit. In Hibérnia natális, etc.

18 Festum sancti Gabriélis Archángeli, qui beatíssimæ Vírgini Maríæ Incarnatiónis Domínicæ mystérium nuntiávit. Cæsaréæ, etc.

20 Sancti Patrítii Epíscopi Confessóris, de quo sextodécimo Kaléndas Aprílis. In Judæa, etc.

27 Sancti Nicodémi Mártyris, discípuli Dómini, qui sacratíssimum ipsíus corpus myrrha, et áloe condidísse in Evangélio légitur. Drizíparæ, etc.

# APRILI.

1 Ubi Festum Annuntiationis Deiparæ celebratur cum Octava, et extra Quadragesimam, dicatur :

Octáva Annuntiatiónis beátæ Maríæ Vírginis. Romæ pássio, etc.

9 In Judæa sanctæ Maríæ Cléophæ, soróris sanctíssimæ Dei Genitrícis Maríæ. Antiochíæ, etc. ne repetas circa finem : In Judæa, etc.

10 In monte Senário prope Floréntiam beáti Ubáldi de Adimáriis, Confessóris Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, qui prídie hujus diéi migrávit ad Dóminum, ejúsque immemorábilem cultum Pius Séptimus Póntifex Máximus confirmávit. Ezechiélis Prophétæ, etc.

16 Senis in Túscia beáti Joachími Piccolómini, Confessóris Ordinis

Servórum beátæ Maríæ Vírginis. Coríntlii natális, etc. ne repetas in fine Lectionis : Senis in Túscia, etc.

18 In fine hujus Lectionis elogium B. Amidei sic enuntiandum :

Etrúriæ in monte Senário beáti Amidéi Confessóris, unius ex septem Fundatóribus Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, qui quum christiánis virtútibus, tantáque charitáte excellúerit, ut præ ingénti ardóre idéntidem pectus nudáre ob refrigérium áliquod cogerétur, et præstans ea flamma, virtutúmque odor suavíssimus, in quibus obíbat, patérent, in eo beáto fine Senárius mons conflagráre totus appáruit, gratissimóque odóre repléri.

24 Sancti Boni Latrónis, qui in Cruce Christum conféssus ab eo audire méruit : Hódie mecum eris in Paradíso : ejúsque memória octávo Kaléndas Aprílis refértur. Sevisii in Rhétia, etc.

27 Sancti Fidélis a Sigmarínga Mártyris, cujus natális octávo Kaléndas Maji recólitur. Nicomédiæ, etc.

30 Forolivii sancti Peregríni Confessóris, Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, cujus natális prima die sequéntis mensis recólitur. Romæ, etc.

## MAJO.

3 In fine hujus Lectionis elogium beatorum Sostenei, et Uguccionis enuntiandum ut sequitur :

In monte Senário prope Floréntiam beatórum Sosténci, et Ugucciónis Confessórum, qui quum duo fúerint ex septem beátis Fundatóribus Ordinis Servórum sanctíssimæ Maríæ Vírginis, vitæque sanctitáte illústres floruérint, tandem post auditam cœléstem vocem, quæ citum tránsitum una simul eis prænuntiábat, eádem die ac hora, salutatiónem Angélicam recitántes, in médio Angelórum ad Deum evolavérunt, visi a sancto Philippo Benítio velut duo lília, quæ a tellúre præcidebántur ab Angelis, Virginíque in cœlis exhibebántur.

7 Octáva sancti Peregríni Confessóris Ordinis nostri. Cracóviæ, etc.

11 Convérsio sancti Augustíni Epíscopi Confessóris, Ecclésiæ Doctóris, et Legislatóris nostri, cujus memória tértio Nonas Maji recensétur. Romæ via Salária, etc.

13 Sanctæ Catharínæ Senénsis Vírginis, cujus natális prídie Kaléndas Maji ágitur. Romæ, etc.

14 Sancti Stanislái Epíscopi et Mártyris, qui Nonis Maji martyrio coronátus est. Natális, etc.

17 Sancti Joánnis Nepomucéni Mártyris, cujus natális recólitur decimoséptimo Kaléndas Június. Apud Villam Regálem, etc.

22 Sancti Paschális Baylon, de quo sextodécimo Kaléndas Júnii. Romæ sanctórum, etc.

24 Festum beátæ Maríæ Vírginis, título Auxílium Christianórum. Antiochíæ natális, etc.

28 Faventíæ in Æmília beáti Jacóbi Philíppi Bertóni, Confessóris Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, qui octávo Kaléndas Júnii migrávit ad Dóminum. In Sardínia, etc.

## JUNIO.

8 SENIS in Túscia beáti Francísci Patrítii, Confessóris Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, qui Kaléndis Maji obdormívit in Dómino. Aquis in Gállia, etc.

19 Floréntiæ sanctæ Juliánæ Falconériæ Vírginis, Mantellatárum Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis institutrícis, quæ dum moritúra sacram deglutíre, ob diutúrnam córporis maceratiónem, non posset Eucharistíam, hæc vix péctori ejus admóta, statim dispáruit, suique effígiem in sui péctoris látere indelebíliter impréssam relíquit in eódem instánti, quo ipsa transívit ad Sponsum. Medioláni sanctórum, etc.

20 Montichiélli in Túscia beáti Benincásæ Confessóris, Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, qui quum diu in solitúdine vixísset, obdormívit in Dómino séptimo Idus Maji. Natális sancti Silvérii, etc.

26 Octáva sanctæ Juliánæ Falconériæ. Romæ, etc.

27 Sanctórum Joánnis et Pauli fratrum Mártyrum, qui prídie hujus diéi martyrio coronáti sunt. In Galátia sancti Crescéntis, etc.

## JULIO.

9 OCTAVA Visitatiónis beátæ Maríæ Vírginis. Romæ ad Guttam, etc.

21 Urbevéteri beáti Thomæ Cursíni Confessóris Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, qui undécimo Kaléndas Júlii quiévit in Dómino. Romæ, etc.

## AUGUSTO.

9 VIGILIA sancti Lauréntii Mártyris.

Sancti Emygdii Epíscopi et Mártyris, de cujus passióne Nonis Augústi ágitur. Romæ, etc.

20 In fine hujus Lectionis elogium B. Manetti enuntiandum ut seq.

In sacra erémo Senárii montis Florentínæ diœcésis beáti Manétti

Conféssóris, qui quum unus fúerit e septem Beátis, qui Servórum sanctíssimæ Vírginis Ordinem instituérunt, præstantissiméque splendúerit virtútibus, præcípue vero prudéntia, pietatéque exquisita in Deíparam, huic dicens in óbitu hymnos, in Dómino sancte obdormívit.

23 Vigília sancti Bartholomæi Apóstoli.

Tudérti sancti Patris nostri Philíppi Benítii Confessóris, Ordinis propagatóris, a Cleménte Décimo Sanctórum número adscrípti, in quo summa humílitas refúlsit, ob quam étiam suprémam Ecclésiæ tiáram sibi oblátam, fúgiens, recusávit. Antiochiæ natális, etc.

28 Hippóne Régio in Africa natális sancti Augustíni Epíscopi, Ecclésiæ Doctóris eximii, et Legislatóris nostri, qui beáti Ambrósii, etc, ut in Martyrologio pag. 164.

30 Octáva sancti Patris nostri Philíppi Benítii Ordinis propagatóris. Sanctæ Rosæ a sancta María, etc.

31 In fine hujus Lectionis elogium B. Bonajunctæ Confessoris pronuntiandum ut sequitur :

Juxta Floréntiam in monte Senário beáti Bonajúnctæ Confessóris, uníus inter septem beátos Servórum beátæ Maríæ Vírginis institutóres, qui egrégiis méritis ínclytus, quum, Sacrifício absolúto, in sacris véstibus super Passióne domínica verba confrátribus fáceret, ac ad illud Evangélicum pervenísset : Et crucifixérunt eum, apértis bráchiis, et mánibus, ac si esset cruci affigéndus, enarrátis póstmodum illis : In manus tuas comméndo spíritum meum, in manu Dómini súbito trádidit spíritum.

# SEPTEMBRI.

1 Florentiæ beátæ Joánnæ Soderíniæ Vírginis, tértii Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, innocéntia et vitæ asperitáte célebris. In Províncía Narbonénsi, etc.

3 Burgi Sancti Sepúlchri beáti Andréæ Dotti, Confessóris Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, qui evangélica prædicatióne multis locis peragrátis, in erémum tandem secédens, prídie Kaléndas Septémbris prodigióso fine quiévit. Romæ sanctæ Serápiæ, etc.

4 Octáva sancti Augustíni Epíscopi Confessóris, Ecclésiæ Doctóris, et Legislatóris nostri. In monte Nebo, etc.

6 Sanctæ Rosæ a sancta María Vírginis, cujus dies natális séptimo Kaléndas Septémbris recensétur. Zacharíæ Prophétæ, etc.

7 Sanctæ Rosæ Viterbiénsis Vírginis, de qua prídie Nonas Septémbris. Nicomédiæ natális, etc.

25 Sancti Thomæ a Villanóva Archiepiscopi et Confessóris, de quo décimo Kaléndas Octóbris. In castéllo Emmaus, etc.

26 Tudérti translátio tértia sancti Patris nostri Philíppi Benítii, cujus ossa ex Ecclésia sancti Marci ad Ecclésiam sanctæ Maríæ Gratiárum, nunc sancti Philíppi Benítii nuncupátam, solémni pompa, et miraculórum glória transláta sunt undécimo Kaléndas Octóbris. Nicomédiæ, etc.

## OCTOBRI.

7 Beati Jacóbi Eleemosynárii in civitáte Plebis, tértii Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis. Romæ, etc.

8 Natális beáti Simeónis Senis, qui in Evangélio Dóminum Jesum suis in ulnis suscepísse légitur. Sanctæ Birgíttæ, etc. ne repetas eodem die: Beáti Simeónis, etc.

11 Sanctæ Birgíttæ víduæ, cujus memória ágitur octávo Idus Octóbris. Tharsi in Cilícia, etc.

22 Jerosólymis sanctæ Maríæ Salómæ, quæ in Evangélio légitur circa Dómini sepultúram sollícita. Jerosólymis beáti Marci, etc. ne repetas: Jerosólymis, in fine Lectionis.

23 Festum sanctíssimi Redemptóris Jesu. In Hispánia, etc.

24 Festum sancti Raphaélis Archángeli. Venúsiæ, etc.

25 Medioláni in convéntu sanctæ Maríæ Servórum beáti Joánnis Angeli Porri, Confessóris Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, qui prídie hujus diéi beáto fine quiévit. Romæ sanctórum, etc.

30 Commemorátio ómnium Sanctórum, quorum córpora, et relíquiæ in Ecclésiis Ordinis nostri asservántur. In Africa, etc.

## NOVEMBRI.

14 Festum ómnium Sanctórum, et Beatórum Ordinis nostri. Heráclеæ in Thrácia, etc.

28 Octáva Præsentatiónis beátæ Maríæ Vírginis. Romæ, etc.

## DECEMBRI.

8 Immaculata Concéptio gloriósæ semper Vírginis Genitrícis Dei Maríæ. Romæ, etc.

10 Lauréti in Picéno translátio Sacræ Domus Dei Genitrícis Maríæ, in qua Verbum caro factum est. Romæ sancti Melchíadis, etc.

12 Tiférni Metaúri beáti Hierónymi Ranútii Confessóris Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, qui sciéntiam Sanctórum in solitúdine, ac siléntio assecútus, Deo, et homínibus diléctus migrávit ad Dóminum. Romæ sancti Synésii, etc.

14 Urbevéteri beáti Bonaventúræ Bonaccúrsii Confessóris Ordinis Servórum beátæ Maríæ Vírginis, cujus pretiósam mortem plúribus miráculis decorátam fuisse monuménta ferunt. Alexandríæ, etc.

15 Octáva Immaculátæ Conceptiónis beátæ Mariæ Virginis. Eódem die ordinátio, etc.

18 Festum Expectatiónis Partus beátæ Maríæ Vírginis. Philíppis, etc.

# FESTA MOBILIA.

Feria secunda post Dominicam Septuagesimæ.

Commemorátio Oratiónis Dómini nostri Jesu Christi in monte Olivéti.

Feria secunda post Dominicam Sexagesimæ.

Festum sacratíssimæ Sindonis, in qua involútum fuit sanctissimum corpus Dómini nostri Jesu Christi.

Feria tertia post Dominicam primam Quadragesimæ.

Commemorátio Passiónis Dómini nostri Jesu Christi.

Feria tertia post Dominicam secundam Quadragesimæ.

Festum sacratíssimæ Spíneæ Corónæ Dómini nostri Jesu Christi.

Feria tertia post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

Festum sacratíssimæ Lánceæ et Clavórum Dómini nostri Jesu Christi.

Feria tertia post Dominicam quartam Quadragesimæ.

Festum sacrórum quinque Vúlnerum Dómini nostri Jesu Christi.

Feria tertia post Dominicam Passionis.

Festum pretiosíssimi Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi.

Feria quinta post Dominicam Passionis.

Commemorátio solémnis Septem Dolórum beátæ Maríæ Vírginis.

Sabbato ante Dominicam secundam post Pascha.

Festum Dedicatiónis sacrosánctæ nostræ Ecclésiæ sacri convéntus montis Senárii.

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pascha.

Festum Patrocínii sancti Joseph Confessóris, Sponsi beátæ Maríæ Virginis.

Feria quinta in Octava Corporis Christi.

**Festum sacratissimi Cordis Jesu.**

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pentecosten.

**Festum purissimi Cordis beátæ Maríæ Vírginis.**

Sabbato ante Dominicam tertiam Septembris.

**Solémnitas Septem Dolórum beatissimæ Vírginis Dei Genitrícis Maríæ, Ordinis nostri fundatrícis principális, et patrónæ.**

Sabbato ante Dominicam quartam Septembris.

**Octáva Septem Dolórum beátæ Maríæ Vírginis.**

Sabbato ante Dominicam secundam Octobris.

**Festum Maternitátis beátæ Maríæ Vírginis.**

Sabbato ante Dominicam tertiam Octobris.

**Festum Puritátis beátæ Maríæ Virginis.**

Sabbato ante Dominicam tertiam Novembris.

**Festum Patrocínii beátæ Maríæ Vírginis.**

# LECTIONES

## PRONUNTIANDÆ PRIMO LOCO

QUANDO FIUNT OFFICIA DE INFRASCRIPTIS COMMEMORATIONIBUS.

Prima die non impedita post Quatuor Tempora.

**Commemorátio sancti Joánnis Apóstoli et Evangelístæ, discípuli Dómini, et Vírginis filii.**

Prima die mensis non impedita.

**Commemorátio Immaculátæ Conceptiónis beátæ Maríæ Vírginis.**

Secunda die mensis non impedita.

**Commemorátio sanctíssimi Nóminis beátæ Maríæ Virginis.**

Tertia die mensis non impedita.

**Commemorátio beatórum septem Patrum Fundatórum.**

Quarta die mensis non impedita.

**Commemorátio sancti Patris nostri Philíppi Cónfessóris.**

Qualibet Feria quinta non impedita.

**Commemorátio sanctíssimi Córporis Christi.**

Qualibet Feria sexta non impedita.

**Commemorátio Septem Dolórum beátæ Maríæ Vírginis.**

Quolibet Sabbato non impedito.

**Commemorátio beátæ Maríæ Vírginis.**

# LECTIONES PROPRIÆ.

## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In festo Desponsationis B. M. V.
Lectio.

In platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Tu autem, etc.

In commemoratione Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti.
Lectio.

Orate pro persequéntibus, et calumniántibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est. Tu autem, etc.

In festo sacratissimæ Sindonis D. N. J. C.
Lectio.

Circumspexi, et non erat auxiliátor, quæsívi, et non fuit, qui adjuváret, et salvávit mihi bráchium meum; et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi. Tu autem, etc.

In festo septem BB. PP. Fundatorum.
Lectio.

Filii eórum propter illos usque in ætérnum manent. Semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Tu autem, etc.

In commemoratione sacratissimæ Passionis D. N. J. C.
Lectio.

Generationem ejus quis enarrábit? Quia abscíssus est de terra vivéntium, propter scelus pópuli mei percússi eum. Tu autem, etc.

In festo sacratissimæ Spineæ Coronæ D. N. J. C.
Lectio.

In die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, et sertum exultatiónis resíduo pópuli sui. Tu autem, etc.

In festo sacratissimæ Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.
Lectio.

Qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum: ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus: cujus livóre sanáti estis. Tu autem, etc.

In festo sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. C.
Lectio.

Tradidit Christus in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est: et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit. Tu autem, etc.

In festo pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

Lectio.

Accipiens Moyses sánguinem vitulórum, et hircórum, cum aqua, et lana coccínea, et hyssópo, ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit dicens : hic sanguis Testaménti, quod mandávit ad vos Deus. Tu autem, etc.

In commemoratione solemni Septem Dolorum B. M. V.

Lectio.

Deduc quasi torréntem lácrymas per diem et noctem, non des réquiem tibi, neque táceat pupílla óculi tui. Tu autem, etc.

In festo S. Gabrielis Archangeli.

Lectio.

Scito ergo et animadvérte : Ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem hebdómades septem, et hebdómades sexaginta duæ erunt. Tu autem, etc.

In festo S. Boni Latronis.

Lectio.

Tu autem, Dómine, eruisti ánimam meam, ut non períret : projecisti post tergum tuum ómnia peccáta mea. Tu autem, etc.

In festo S. Peregrini Latiosi.

Lectio.

Venerunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætátus sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Tu autem, etc.

In festo Patrocinii S. Joseph Sponsi B. M. V.

Lectio.

Filius accréscens Joseph, fílius accréscens, et decórus aspéctu : fíliæ discurrérunt super murum. Tu autem, etc.

In Conversione S. Augustini Episc.

Lectio.

Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Tu autem, etc.

In festo B. Virginis sub titulo Auxilii Christianorum.

Lectio. In platéis, etc. ut in festo Desponsationis.

In festo SS. Cordis D. N. J. C.

Lectio.

Cantate Dómino, quóniam mirífice fecit, annuntiáte hoc in univérsa terra. Exúlta, et lauda habitátio Sion, quia magnus in médio tui sanctus Israel. Tu autem, etc.

In festo purissimi Cordis B. M. V.

Lectio. In platéis, etc. ut in festo Desponsationis.

In festo S. Julianæ Falconeriæ Virg.

Lectio.

INTRANS in domum meam conquiéscam cum illa : non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, sed lætítiam et gaúdium. Tu autem, etc.

In festo S. P. N. Philippi Benitii Conf.

Lectio.

AUDIVIT enim eum, et vocem ipsius, et indúxit illum in nubem, et dedit illi coram, præcépta, et legem vitæ, et disciplinæ. Tu autem, etc.

In festo S. Augustini Episc.

Lectio. Quasi stella, etc. ut in festo Conversionis ejusdem.

In festo Translationis tertiæ S. P. N. Philippi.

Lectio. Audivit, etc. ut in festo ejusdem.

In Solemnitate Septem Dolorum B. M. V.

Lectio. Deduc, etc. ut in commemorat. solemni eorumdem Dolorum.

In festo Maternitatis B. M. V.

Lectio. In platéis, etc. ut in festo Desponsationis.

In festo Puritatis B. M. V.

Lectio. In platéis, etc. ut in festo Desponsationis.

In festo SS. Redemptoris. Lectio.

DIGNUS es, Dómine Deus noster, accipere glóriam et honórem et virtútem, quóniam occísus es, et redemisti nos Deo in sánguine tuo, ex omni tribu et lingua, et pópulo et natióne, et fecisti nos Deo nostro regnum. Tu autem, etc.

In festo S. Raphaelis Archangeli. Lectio.

TEMPUS est, ut revértar ad eum, qui me misit; vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus. Tu autem, etc.

In commemoratione omnium Sanctorum, quorum corpora et reliquiæ in ecclesiis Ordinis nostri asservantur.

Lectio.

SI exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis, quoniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiéscit. Tu autem, etc.

In festo omnium Sanctorum et Beatorum Ordinis nostri.

Lectio.

HI sunt viri misericórdiæ, quorum pietátes non defuérunt. Cum sémine eórum pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum. Tu autem, etc.

In festo Patrocinii B. M. V.

Lectio. In platéis, etc. ut in festo Desponsationis.

In festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V.

Lectio.

BEATUS homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et haúriet salútem a Dómino. Tu autem, etc.

In Translatione sacræ Domus Lauretanæ.

Lectio. In platéis, etc. ut in festo Desponsationis.

In festo Expectationis Partus B. M. V.

Lectio.

RORATE cœli désuper, et nubes pluant Justum, aperiátur terra, et gérminet Salvatórem; et justítia oriátur simul: Ego Dóminus creávi eum. Tu autem, etc.

In commemoratione S. Joannis Apostoli.

Lectio.

IN médio Ecclésiæ apéruit os ejus, et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, et intelléctus, et stolam glóriæ índuit eum. Tu autem, etc.

In commemoratione Immaculatæ Conceptionis B. M. V.

Lectio. Beátus homo, etc. ut in festo.

In commemoratione SS. Nominis B. M. V.

Lectio. In platéis, etc. ut in festo Desponsationis.

In commemoratione septem BB. PP. Fundatorum.

Lectio. Filii eórum, etc. ut in festo.

In commemoratione S. P. N. Philippi.

Lectio. Audivit, etc. ut in festo.

In commemoratione SS. Corporis Christi.

Lectio.

QUICUMQUE manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit Córporis et Sánguinis Dómini. Tu autem, etc.

In commemoratione Septem Dolorum B. M. V.

Extra tempus Paschale.

Lectio. Deduc, etc. ut in festo.

Tempore Paschali.

Lectio.

REPLEVIT me amaritudínibus, inebriávit me absynthio, divisiónes aquárum dedúxit óculus meus in contritióne. Tu autem, etc.

In commemoratione B. M. V.

Lectio. In platéis, etc. ut in festo Desponsationis.

# INDEX SANCTORUM ET BEATORUM

## ORDINIS

## SERVORUM B. MARIÆ VIRG.

# MARTYROLOGIUM

AD USUM FRATRUM ET MONIALIUM

ORDINIS MINORUM

# SANCTI PATRIS FRANCISCI

CAPUCCINORUM.

NOTATIONES PRO LECTIONE MARTYROLOGII

1 Circa *Martyrologii lectionem hæc præcipue sunt notanda : Primo, quod illi Sancti, de quibus eo die fit Officium, vel ex usu Romanæ Ecclesiæ, vel ex concessionibus Summorum Pontificum, aut sacræ Rituum Congregationis, vel ex consuetudine particularium Ecclesiarum, aut locorum, semper primo loco ponuntur ex Rubrica Martyrologii Romani.*

*2 Quod alii Sancti, de quibus non fit Officium, sed sola commemoratio, si fiat Officium de Feria, ponuntur primo loco; sed si de Sancto, ponuntur secundo loco, ut in eodem Martyrologio Romano observatur.*

*3 Quod si dies Octava, et Festum primæ, et secundæ Classis occurrant, primum ipsum Festum, deinde Octava sunt annuntianda juxta exemplum Kalendis Januarii in Romano Martyrologio datum.*

*4 Quod Vigiliæ Sanctorum semper primo loco pronuntiantur, ut patet in Martyrologio Romano. Et translata Vigilia in Sabbatum, non anticipatur Lectio de Vigilia in Martyrologio, licet anticipetur Officium seu Commemoratio cum jejunio, Gav. sect. 5. cap. 21. num. 11. Quod dictum est de Vigiliis universalis Ecclesiæ, intelligitur etiam de Vigiliis Sanctorum propriorum, ut apud nos Vigilia sancti Patris Francisci, et si quæ aliæ dantur apud alios : nam est eadem ratio de hujusmodi Vigiliis, ac de aliis Sanctorum universalis Ecclesiæ, quæ primo loco annuntiantur, seu ponuntur in Martyrologio Romano.*

*5 Quod illi Sancti, quorum Festa fixe in alteram diem translata, seu potius mutata sunt, juxta Decretum sacræ Rituum Congregationis in reformatione Kalendarii FF. Minorum de Observ. die 18. Octobris 1696. scilicet: Quod quando plura Officia de præcepto eadem die occurrentia, ita fixe occurrant, ut translatio alicujus, vel aliquorum sit perpetua : tunc prima dies proxime non impedita assignata censeatur in perpetuum pro die propria Festi translati respective : bis pronuntiari possunt in lectione Martyrologii, prima vice in eorum die natali, suo loco : Martyres scilicet post Martyres,*

*Confessores post Confessores, etc. indicando quonam die eorum festivitas celebretur, cum hac, vel simili verborum formula.*

Ejus tamen festum, *vel* natális dies, *vel etc.* apud nos (*Kalendarum dies, et mensis*) celebrátur.

*Secunda vice, et primo loco ea die, quæ est pro eorum Officii celebratione assignata, addendo, quando eorum natalis dies evenerit, si Officii celebratio postponatur, vel eveniet, si anteponatur. Exempli gratia.*

Cujus natális memória (*dies dicatur et mensis*) recólitur.

*De ista duplici pronuntiatione Festorum plurima habentur exempla in Martyrologio Romano, quæ hic brevitatis gratia non recensentur. Decretum S. R. C. 5. Maji. 1736. etiam favet huic duplici pronuntiationi Festorum in Indice Decr. Tom. 2. Oper. P. Merati num. 306. et 314.*

6 *Quod supra dictum est pro prima vice, ut Martyres post Martyres, Confessores post Confessores, etc. pronuntientur, intelligi debet de Sanctis, qui in Martyrologio Romano non sunt descripti: illi vero, qui in eo descripti sunt, absque mutatione pronuntiari debent eo loco, in quo ponuntur: ut præscribit Decretum S. R. C. 5. Maji 1736. ut supra.*

7 *Quod translato Festo alicujus Sancti accidentaliter, non fit translatio de eodem in lectione Martyrologii, sed semper nominatur ea die, in qua habetur in ipso Martyrologio. Gavant. sect. 5. cap. 21. num 9.*

8 *Secundum ergo supradictas notationes, et novissimam reformationem, et approbationem Kalendarii ad usum nostri Ordinis Capuccinorum ex Dec. S. R. C. sub die 23. Januarii 1740. compositum est præsens Martyrologium Minoritanum, et pro commodo ac uniformitate omnium Ecclesiarum ejusdem præfati Ordinis impressum. Si autem pro Festis propriis Diœcesum, vel locorum oporteat aliquam fieri mutationem, vel additionem, facili negotio id fiet juxta easdem notationes, regulas, et exempla Martyrologii Romani.*

# JANUARIO.

Dominica prima post Octavam Epiphaniæ.

FESTUM sanctíssimi Nóminis Jesu, quod Clemens Séptimus ob insígnem triúmphum, Romæ sub Eugénio Quarto reportátum a sancto Bernardíno Senénsi, apud fratres Minóres quotánnis die decimaquárta Januárii celebrándum indúlsit, et Clemens Octávus indulgéntiis auxit. Cujus tandem festi ánnuam solemnitátem Innocéntius Décimus ad universálem Ecclésiam exténdit, ac Domínica secúnda post Epiphaníam celebrári mandávit.

14 Panórmi beáti Bernárdi a Corleóne Confessóris Ordinis nostri Capuccinórum, qui insígni pœniténtia, charitáte, cæterísque virtútibus

clarus, in vita et post mortem plúrimis éxtitit miráculis gloriósus, a Cleménte Tertiodécimo inter Beátos adscríptus fuit. Nolæ in Campánia, etc.

16 Maróchii in Africa pássio sanctórum Mártyrum Berárdi, Petri, Accúrsii, Adjúti, et Othónis; qui post públicam Christi confessiónem, in cárcerem trusi, póstea duríssime flagéllis et fústibus cæsi, donec pene víscera apparérent, et ossa; ac per totam noctem super téstulas volutáti, tandem cápitis detruncatióne primas Mártyrum Ordinis Minórum corónas meruérunt. Romæ, etc. postea, Areláte, etc.

23 Jerosólymis Desponsátio beátæ Maríæ Vírginis cum sancto Joseph. Romæ sanctæ Emerentiánæ, etc. omisso hodie S. Raymundo juxta regul. Martyrolog.

30 Vitérbii beátæ Hyacínthæ de Mariscóttis Vírginis, Moniális tértii Ordinis sancti Patris Francísci, quæ sæculi illécebris, sexúsque blandítiis, divína pulsánte grátia, fórtiter superátis, cœlésti Sponso in charitáte, humilitáte, mortificatióne, ac lácrymis júgiter placére conténdit, quæque a Benedicto Decimotértio inter Beátos, demum a Pio Papa Séptimo solémniter inter Sanctos annumeráta est. Antiochíæ pássio, etc. omissa S. Martina pro hac die.

31 Romæ beátæ Ludovícæ de Albertónibus víduæ, tértii Ordinis sancti Patris Francísci, quæ præ céteris virtútibus, singulári erga paúperes charitáte, vitæ exemplaritáte et miráculis insígniter fulsit. Vide ne repetas idem in fine Lectionis. Deinde, Romæ, etc. omisso hodie S. Petro Nolasco.

## FEBRUARIO.

1 Pilei prope Anágniam beáti Andréæ de Comítibus Confessóris, Ordinis Minórum, géneris nobilitáte, et vitæ sanctitáte illustríssimi, qui recusáta cardinalítia dignitáte sibi obláta, in humilitáte et simplicitáte méruit Christo famulári, et cópia miraculórum cœlitus exornári. Natális sancti Ignátii, etc.

3 Sancti Petri Nolásco Confessóris, qui octávo Kaléndas Januárii obdormívit in Dómino; ejus tamen festum licet ab Ecclésia universáli prídie Kaléndas hujus mensis celebrétur, a nobis tamen hac die recólitur. Sebáste, etc.

4 In óppido Amatrícis Reatínæ diœcésis deposítio sancti Joséphi a Leonissa, Ordinis Minórum Capuccinórum: quem ob fídei prædicatiónem a Mahumetánis dira perpéssum, apostólicis labóribus, et miráculis clarum Benedictus Decimusquártus Póntifex Máximus in sanctórum Confessórum cánonem rétulit. Romæ sancti Eutíchii, etc. omisso hodie S. Andrea Corsino.

5 In regno Japóniæ pássio vigíntisex Mártyrum, e quibus tres Sacerdótes totidémque láici ex Ordine Minórum, nimírum Petrus Baptísta, ejúsque sócii enumerántur, qui pro cathólica fide in crucem acti, et lanceárum íctibus perfóssi, inter divínas laudes, ejusdémque fídei prædicatiónem glorióse occubuérunt. Cátanæ, etc.

6 Sanctæ Agathæ Vírginis et Mártyris, cujus natális éxtitit prídie hujus diéi, sed hódie a nobis celebrátur. Cæsaréæ, etc.

7 Assísii in Umbria beáti Antónii a Stroncónio Confessóris, Ordinis Minórum, qui virginitátem incontaminátam custodivit, et prophetíæ dono exornátus, sanctitáte quoque vitæ, ac miraculórum glória fuit insígnis, quem Innocéntius Undécimus inter Beátos adscrípsit. Augústæ, etc. omisso hodie S. Romualdo.

11 Beátæ Viridiánæ Vírginis, tértii Ordinis sancti Patris Francísci, frúctibus pœniténtiæ dignis, et miraculórum glória spectábilis, quæ apud Castrum Florentínum in Etrúria Kaléndis hujus mensis spíritum Deo réddidit. In Africa, etc.

12 Sancti Romuáldi Abbátis, cujus festum ab Ecclésia universáli séptimo Idus Februárii celebrátur, sed a nobis hódie recólitur. Barcinóne, etc.

13 Fulgínei in Umbria beátæ Angelæ víduæ, tértii Ordinis sancti Patris Francísci, quæ oratióne, paupertáte, abstinéntia et charitáte insigniter cláruit, atque in cœlum evolávit prídie Nonas Januárii. Antiochíæ, etc.

14 Sancti Andréæ Corsíni Episcopi Fesuláni, cujus festum ab Ecclésia cathólica celebrátur prídie Nonas Februárii. Romæ, etc.

15 Patávii translátio sancti Antónii Lusitáni, Ordinis Minórum, témpore Urbáni Papæ Quarti, cujus lingua ita íntegra, recens, et rubicúnda invénta est post elápsos trigínta duos annos a felíci ejus tránsitu, ac si ipsa die obiisset. Bríxiæ, etc.

16 Sancti Marcélli Papæ et Mártyris, cujus natális éxtitit decimoséptimo Kaléndas Februárii, apud nos autem hac die celebrátur. Natális, etc.

17 Sancti Raymúndi de Pénnafort Confessóris, Ordinis Prædicatórum, de cujus natáli ágitur séptimo Idus Januárii, sed a nobis hódie celebrátur. Romæ, etc.

18 Sanctæ Martínæ Vírginis et Mártyris, cujus festum tértio Kaléndas Februárii ab Ecclésia venerátur. Jerosólymis, etc.

19 Apud Netínos in Sicília sancti Conrádi Confessóris, tértii Ordinis sancti Patris Francísci, qui géneris nobilitáte, ac virtútum splendóre nitéscens, prophetíæ dono, atque crebérrimis miráculis in vita et post mortem nunc usque corúscat. Romæ, etc.

20 Sancti Ignátii Epíscopi, et Mártyris, cujus natális íncidit Kaléndis hujus mensis, sed a nobis hódie recólitur. Tyri, etc.

21 Sancti Hilárii Epíscopi Confessóris, cujus natális ab universáli Ecclésia Idibus Januárii pie recólitur. In Sicilia, etc.

23 Quando annus non est Bissextilis, primo dicitur: Vigília sancti Matthíæ Apóstoli. Deinde, Cortónæ in Túscia, etc.

Cortónæ in Túscia, sanctæ Margarítæ, tértii Ordinis sancti Patris Francísci, cujus corpus per quátuor et ámplius sæcula mirabíliter incorrúptum, suavémque spirans odórem, et crebris miráculis clarum, ibídem magno cum honóre cólitur; colendúmque per orbem magis státuit Benedictus Decimustértius, qui ultro examinátis insígnis pœniténtis méritis, et virtútibus, inter Sanctas solémniter eam adscrípsit. Apud Sírmium, etc.

25 Faventíæ sancti Petri Damiáni Cardinális, et Epíscopi Ostiénsis, doctrína et sanctitáte célebris, cujus memória apud nos hodiérna die recólitur. In Ægypto, etc.

## MARTIO.

5 Neapoli depositio sancti Joánnis Joséphi a Cruce, Ordinis Minórum Excalceatórum sancti Petri de Alcántara, Itálicæ famíliæ promotóris, primíque Provinciális, qui sanctórum Francísci Assisiénsis, et Petri de Alcántara stúdia æmulátus, vitæ sanctimónia, jugíque pœniténtia Ordini seráphico insígne decus áddidit, a Gregório Papa Decimoséxto in Sanctórum cánonem relátus. Antiochíæ natális, etc. et ne repetas Neápoli, etc. in fine Lectionis.

6 Apud Gandávum in Flándria beátæ Colétæ Vírginis, quæ primum tértii Ordinis sancti Patris Francísci régulam proféssa, deinde divíno spíritu affláta, atque Ordinem sanctæ Claræ Vírginis ingréssa, plura tum fratrum, tum sorórum Clarissárum monastéria prístino nitóri et paupertáti restítuit, plúraque ália de novo extrúxit, cujus sanctitátem omni género virtútum ornátam, spíritu prophético, dono linguárum, et cópia miraculórum, ante et post mortem Deus réddidit gloriósam. Nicomédiæ, etc. ne repetas: Apud Gandávum, etc. in fine Lectionis.

11 Sanctæ Catharínæ Bononiénsis Vírginis, secúndi Ordinis sancti Patris Francísci, sanctitáte, et miráculis in vita, et post mortem claríssimæ, cujus natális éxtitit séptimo Idus Mártii. Carthágine, etc.

13 Tudérti beáti Rogérii Confessóris, inter primos seráphici Patris Francísci discípulos enumeráti, cujus exímiam charitátem, vitæque perfectiónem, signis, ac porténtis in vita, et post óbitum, qui cóntigit

Nonis Januárii, Deus exornávit, et cujus Festum ántea agebátur tértio Nonas Mártii. Nicomédiæ, etc.

14 Lugdúni translátio sancti Bonaventúræ Cardinális et Epíscopi Albanénsis, Doctóris seráphici, témpore Eugénii Papæ Quarti; cujus sacrum caput, capillaméntum, lábia, dentes, et lingua post centésimum sexagésimum annum in nullo a vitáli statu, et colóre demutáta repérta sunt. Romæ, etc.

18 Cáralis in Sardínia beáti Salvatóris ab Horta Confessóris, Ordinis Minórum, qui et virginitátem perpétuo illibátam servávit, et vitæ sanctitáte, atque innúmeris miráculis nunc usque corúscat. Cæsaréæ, etc.

22 Auxími in Picéno sancti Benvenúti Epíscopi et Confessóris primi Ordinis sancti Patris Francísci, qui sollicitúdine pastorá li, et vitæ integritáte præfúlsit: quem sanctitáte étiam, ac miráculis conspícuum Martínus Papa Quartus in Sanctórum número rétulit. Narbónæ, etc.

24 Festum sancti Gabriélis Archángeli, qui beátæ Vírgini Maríæ Incarnatiónis domínicæ mystérium nuntiávit, cujus Officium in univérso Minórum Ordine, ex concessióne Alexándri Papæ Sexti celebrátur. Romæ, etc.

# APRILI.

5 Panormi sancti Benedícti a sancto Philadélpho Confessóris, Ordinis Minórum, ob córporis nigrédinem cognoménto Nigri, qui signis, et virtútibus clarus prídie Nonas Aprílis in Dómino quiévit, et a Pio Séptimo Pontífice Máximo in Sanctórum númerum relátus. Tauroménii, etc. ne repetas: Panórmi, etc. in fine Lectionis.

15 Apud Pódium Bonítium in Etrúria beáti Lúcii a sancto Cassiáno Confessóris, qui multis virtútibus exornátus hábitum tértii Ordinis sancti Patris Francísci suscépit, in quo tot sanctitátis indícia prætulit, quot magnália ante et post óbitum cœlitus ab eo fuére patráta. Romæ, etc.

24 Sevísii in Rhætia sancti Fidélis a Sigmarínga Ordinis nostri Capuccinórum, qui illuc ad prædicándum cathólicam fidem missus, ab hæréticis interémptus martyrium consummávit, et a Benedícto Decimoquárto Pontífice Máximo inter sanctos Mártyres relátus est. Romæ, etc.

28 Abulæ in Hispánia in convéntu Arenárum translátio sancti Petri de Alcántara Confessóris, Ordinis Minórum, a priváto in públicum sepúlchrum, ab Antístite ejúsdem urbis una cum nóbili sacéllo suis impénsis ædificátum. Ravénnæ, etc.

Dominica tertia post Pascha.

Festum Patrocínii sancti Joseph Confessóris, Sponsi beátæ Vírginis

Maríæ, ex concessióne sacræ Rituum Congregatiónis in univérso Ordine nostro celebrándum.

Feria secunda Rogationum.

Complúti in Hispánia translátio córporis sancti Didaci Confessóris, Ordinis Minórum, quod post ducéntos fere annos ab ejus óbitu, íntegrum, incorrúptum, ac tractábile, et odórem suavíssimum spirans fuit repértum.

# MAJO.

Dominica quinta post Pascha.

Assisii in Umbria dedicátio Basílicæ patriarchális sancti Patris Francísci, quam Innocéntius Quartus ritu solémni consecrávit, et Gregórius Nonus Apostólicæ Sedi subjécit, atque caput et matrem constítuit.

13 Vallis-oléti sancti Petri Regaláti Confessóris Ordinis Minórum, reguláris disciplínæ in Hispániæ cœnóbiis restitutóris, quem Benedíctus Décimusquártus Póntifex Máximus Sanctórum fastis annumerávit. Romæ, etc.

15 Aquilæ in Vestínis translátio sancti Bernardini Senénsis, quæ facta est quintodécimo Kaléndas Júnii témpore Sixti Papæ Quarti, hac tamen die apud nos celebrátur. In Hispánia, etc.

17 Apud Villam Régiam in regno Valéntiæ, depositio sancti Paschális Confessóris, Ordinis Minórum, miræ innocéntiæ, et pœniténtiæ viri; cujus exímiam sanctitátem miraculórum maximórum multitúdo quotídie comméndat. Vide ne repetas idem in fine Lectionis. Deinde, Pisis, etc.

18 Romæ sancti Felícis a Cantalício, Confessóris Ordinis nostri Capuccinórum, evangélica simplicitáte, et charitáte conspícui, quem Clemens Undécimus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscrípsit. Camerini, etc. ne repetas: Romæ, etc. in fine Lectionis.

21 Sancti Venántii Mártyris, cujus passiónis memória a quintodécimo Kaléndas Júnii ad diem hunc in Ordine nostro perpétuo transláta est. In Mauritánia, etc.

22 In Statu ecclesiastico primo loco legatur: Sancti Joánnis Nepomucéni Mártyris, cujus natális éxtitit decimoséptimo Kaléndas Júnii; ejus tamen festum, licet in Statu ecclesiástico sextodécimo Kaléndas Júnii celebrétur ex Indúlto Cleméntis Decimitértii, a nobis tamen hac die celebrátur. Arétii, etc.

23 Romæ depositio beáti Crispíni a Vitérbio Confessóris, Ordinis Minórum Capuccinórum, a Pio Papa Séptimo Beatórum número adscrípti. Apud Língonas, etc.

24 Festum beátæ Maríæ Vírginis título Auxílium Christianórum ex concessióne Pii Papæ Séptimi. Antiochíæ, etc.

25 Assísii in Umbria translátio sancti Patris Francísci témpore Gregórii Papæ Noni. Ne repetas circa finem. Deinde, Salérni, etc.

27 Sancti Gregórii Papæ Séptimi, cujus depositiónis memória octávo Kaléndas Június ab Ecclésia celebrátur. Omissa hodie S. Maria Magdalena de Pazzis. Deinde, Item natális sancti Joánnis, etc.

28 Sanctæ Maríæ Magdalénæ Vírginis, Ordinis Carmelitárum, quæ octávo Kaléndas Június migrávit ad Sponsum, licet a nobis hódie illíus mérita recolántur. In Sardínia, etc.

29 Floréntiæ beátæ Humiliánæ víduæ, tértii Ordinis sancti Patris Francísci, virtúte abstinéntiæ, patiéntiæ, et miraculórum glória insignis; quiévit in Dómino quartodécimo Kaléndas Június, ejus autem festum a nobis hódie celebrátur. Romæ, etc.

30 Sancti Joánnis de Prado Mártyris Ordinis nostri, cujus pássio nono Kaléndas Június recensétur. Romæ via Aurélia, etc.

31 Bríxiæ sanctæ Angelæ Meríci Vírginis, Moniálium sanctæ Ursulæ institutrícis, de qua sexto Kaléndas Februárii. Romæ, etc. ne repetas: Romæ, etc. in fine Lectionis.

Feria quinta in Octava Corporis Christi.

Festum sacratissimi Cordis Jesu.

## JUNIO.

3 Beati Andréæ ab Hyspéllo Confessóris, uníus ex septuaginta duóbus discípulis sancti Patris Francísci. Arétii, etc.

12 Cortónæ in Túscia beáti Guidi Confessóris, seráphici sancti Patris Francísci discípuli, qui vitam in jejúniis, paupertáte, humilitáte et asperitáte ducens, verbo et exémplo cunctis máxime prófuit; signísque ac prodígiis vivus, et mórtuus valde refúlsit, étiam in die Inventiónis cápitis ipsíus, quæ solémniter quotánnis ibídem cólitur. Salmánticæ, etc.

13 Sancti Joánnis a sancto Facúndo Confessóris, Ordinis Eremitárum sancti Augustíni : cujus festum ab Ecclésia universáli prídie Idus Június celebrátur. In Lucánia, etc.

20 Octáva sancti Antónii Lusitáni Confessóris, Ordinis Minórum. Natális sancti Silvérii, etc.

27 Cornéti in Apúlia beáti Benvenúti Eugubíni Confessóris, Ordinis Minórum; qui nobilitáte ac milítia clarus, humilitáti, charitáti, patiéntiæ, ac obediéntiæ sic stúduit, ut et his paupertátem, oratiónem, et siléntium adjíciens, innúmeris miráculis coruscárit. In Galátia, etc.

# JULIO.

7 Brundusii urbe regni Neapolitáni beáti Lauréntii a Brundúsio Confessóris, totíus Ordinis Minórum sancti Francísci Capuccinórum Minístri Generális, qui post imménsos pro cathólica religióne, et animárum salúte exantlátos labóres, virtútibus, et prodígiis clarus Ulyssipóne undécimo Kaléndas Augústi beáto fine quiévit; cujus memória religiosíssime cólitur. Romæ, etc.

8 Conímbriæ in Lusitánia sanctæ Elísabeth víduæ Portugálliæ, regínæ, quæ pietáte et oratióne, patiéntia et charitáte, atque castimónia insígnis, necnon sub hábitu tértii Ordinis sancti Patris Francísci humilitátis, et misericórdiæ, ac pœniténtiæ opéribus júgiter inténta, miráculis in vita, et post mortem cláruit, eámque Urbánus Octávus in Sanctárum númerum rétulit. In Asia minóri, etc.

9 Tiférni sanctæ Verónicæ Vírginis de Juliánis Ordinis Minórum Capuccinórum, Abbatíssæ ascetérii ejus urbis, ex óppido Mercatélli Urbaniénsis diœcésis, insígni patiéndi stúdio, cæterísque virtútibus, ac cœléstibus charismátibus illústris, quam Gregórius Papa Decimus-séxtus sanctárum Vírginum collégio adscrípsit. Romæ ad Guttam, etc. ne repetas : Tiférni, etc. in fine Lectionis.

11 Briélæ in Hollándia pássio novémdecim Mártyrum Gorcomiénsium nuncupatórum, quorum úndecim fuérunt Ordinis Minórum : vidélicet, Nicoláus Píkius Guardiánus Gorcomiénsis convéntus, Hierónymus ejúsdem Vicárius, Guiláldus, Nicásius, Theodóricus, Antónius Godefrídus, Francíscus, alter Antónius, Petrus et Cornélius, qui ob tuéndam Ecclésiæ Románæ auctoritátem, et reálem Christi in Eucharistía præséntiam, a calviniánis hæréticis vária ludíbria et torménta perpéssi, extrémo supplício martyrium consummárunt, quorum festum ántea celebrabátur séptimo Idus Júlii. Romæ beáti Pii, etc.

15 Sancti Camílli de Lellis Confessóris, cujus natális prídie hujus diéi recensétur. Bambérgæ, etc.

16 In Martyrologio Romano post festum B. Mariæ Virginis de monte Carmelo secundo loco legatur :

Commemorátio canonizatiónis sancti Patriárchæ Francísci Assisiénsis a Gregório Papa Nono celebrátæ. Eódem die natális, etc.

Dominica tertia Julii.

Festum sanctíssimi Redemptóris, cujus Offícium in toto Ordine nostro sancta Sedes recitári concéssit.

**18** **Cracóviæ beáti Simónis de Lypnica Confessóris, Ordinis Minórum, qui vitæ integritáte, abstinéntia, et castitáte præditus, miráculis quamplúrimis extat gloriósus. Tibure, etc.**

**19** **Leópoli in Rússia beáti Joánnis de Dukla Confessóris, Ordinis Minórum, virtútibus et grátia sanitátum conspícui. Eódem die, etc.**

**20** In Martyrologio Romano omisso elogio S. Hieronymi Æmiliani, legatur primo loco : **Antiochíæ pássio sanctæ Margarítæ Vírginis Mártyris. In monte Carmélo, etc.**

**21** **Octáva sancti Bonaventúræ Episcopi et Doctóris. Romæ, etc.**

**24** **Vigília sancti Jacóbi Apóstoli.**

**Limæ in Peruáno regno, sancti Francísci Soláni Confessóris, Ordinis Minórum, apud Indos Occidentáles prædicatióne, signis, et virtútibus illústris; quem Benedíctus Decimustértius Póntifex Máximus Sanctórum fastis adscripsit. Tyri, etc.**

**27** **Polóniæ in monastério Sandacénsi beátæ Chunegúndis Vírginis, Ordinis sanctæ Claræ, quæ Bolesláo pudico Polóniæ duci desponsáta, cum eo annos quadragínta immaculáto thoro transégit, et viro orbáta, atque monásticam vitam proféssa, sanctimónia et stupéndis miráculis coruscávit, ac tandem bonórum óperum méritis cumuláta migrávit ad cœléstem Sponsum nono Kaléndas Augústi. Nicomédiæ, etc.**

**30** **Sancti Vincéntii a Paulo Confessóris, qui obdormívit in Dómino quinto Kaléndas Septémbris; ejus tamen festum a cathólica Ecclésia cólitur quartodécimo Kaléndas Augústi. Romæ, etc.**

## AUGUSTO.

**2** **Assisii in Umbria dedicátio Ecclésiæ sanctæ Maríæ Angelórum, quæ étiam de Portiúncula nuncupátur, a seráphico Patre Francisco summo in honóre hábitæ, quam et caput sui Ordinis instituit, et in ea indulgéntiam plenáriam a Christo Dómino, sanctíssimæ Deíparæ Vírginis intervéntu, obtínuit pro cunctis fidélibus, quam Honórius Papa Tértius, ut Christi Vicárius, de ejúsdem Christi mandáto confirmávit, ac Gregórius Decimusquártus ad omnes Ecclésias Ordinis Minórum ampliávit; et Innocéntius Undécimus étiam pro defúnctis concéssit; Benedíctus vero Decimustértius eámdem indulgéntiam ad oratória pro nostris infírmis, et sacra Congregátio ad hospítia permanéntia exténdi declarávit. Romæ, etc.**

At in locis ubi hodie recurrit Anniversarium Dedicationis propriæ Ecclesiæ, prius dicatur : **Festum Dedicatiónis hujus nostræ Ecclésiæ.** Deinde, **Assísii in Umbria, etc.** ut supra.

32

4 Bonóniæ sancti Domínici Confessóris, fundatóris Ordinis Fratrum Prædicatórum, viri sanctitáte et doctrina claríssimi, quem divína providéntia una cum seráphico sancto Patre Francisco ad cathólicæ Ecclésiæ fulciméntum perpétua germanitáte dispósuit; qui virginitátem perpétuo illibátam servávit, et ob singulárem meritórum grátiam tres mórtuos suscitávit: cumque prædicatióne sua hæreses compressisset, ac plúrimos ad piam vitam instituísset: octávo Idus mensis hujus in pace quiévit; ejus tamen festívitas ex Constitutióne Pauli Papæ Quarti hac die celebrátur. Thessaloníca, etc.

11 Octáva sancti Domínici Confessóris. Romæ, etc.

13 Sancti Hierónymi Æmiliáni Confessóris, Congregatiónis Somáschæ institutóris, quem plúribus in vita et post mortem miráculis illústrem, Benedíctus Decimusquártus Beatórum, Clemens vero Decimustértius Sanctórum fastis solémniter adscrípsit: ejus tamen festum penes nos hódie ágitur. Romæ, etc.

14 Vigília Assumptiónis beátæ Maríæ Vírginis.

Sancti Alphónsi Maríæ de Ligório, de quo quarto Nonas Augústi. Romæ, etc.

16 In Gállia Narbonénsi apud montem Pessulánum depositio beáti Rochi Confessóris, qui nóbili génere ortus, sed pro Christo pauper et húmilis efféctus, tértii Ordinis sancti Patris Francisci insígnia détulit. Hic multas Itáliæ urbes a morbo epidémiæ signo crucis liberávit; ac tandem patiéntia, castitáte, et miráculis conspícuus ad cœléstem pátriam transívit. Cujus corpus Venétias póstea translátum, et in Ecclésia ejus nómine consecráta honorificentíssime cónditum fuit. Hujus virtus contra morbum epidémiæ máxime clúcet. Cave ne illud in fine repetas.

Dominica infra Octavam Assumptionis B. Virginis Mariæ.

Sancti Jóachim patris beátæ Maríæ Vírginis, qui tertiodécimo Kaléndas Aprílis obdormívit in Dómino; ejus tamen festum ad hanc Domínicam sancta Sedes perpétuo transférri ordinávit.

18 Apud montem Falcónem in Umbria beátæ Claræ Vírginis, quæ primum tértii Ordinis sancti Patris Francisci régulam proféssa, póstmodum divíno Spíritu affláta, Ordinis Eremitárum sancti Augustíni moniális effécta est, atque ob exímia ejus mérita, elécta Abbatíssa, toti monastério sanctíssime præfuit. Tandem spíritu prophético, dono sciéntiæ, ac miraculórum glória rénitens, ad Christum sponsum migrávit in cœlum; in cujus viscéribus domínicæ Passiónis mystéria renováta, máxima cum devotióne venerántur. Vide ne repetas in fine.

19 In Província apud Castrum Brinéolam depositio sancti Ludovíci Epíscopi Tolosáni, Ordinis Minórum sancti Patris Francisci, vitæ

sanctitáte, et miráculis clari : cujus corpus inde Massíliam translátum, in Ecclésia fratrum Minórum honorífice cónditum fuit. Deinde, Item octáva sanctæ Claræ Vírginis. Postea, Romæ, etc. ut ibi suprad. Elog.

21 Sancti Hyacínthi Confessóris, Ordinis Prædicatórum : cujus festum in univérsa Ecclésia Clemens Papa Octávus celebrári præcépit decimoséptimo Kaléndas Septémbris, a nobis autem hac die recólitur. Romæ, etc.

25 Lutétiæ Parisiórum sancti Ludovíci Regis Francórum, Confessóris tértii Ordinis sancti Patris Francísci, vitæ sanctitáte ac miraculórum glória illústris, quem Bonifácius Papa Octávus in Sanctórum númerum rétulit. Romæ sanctórum Mártyrum, etc.

26 Annécii in Sabaúdia sanctæ Joánnæ Francíscæ Frémiot de Chantal, Ordinis Sanctimoniálium Visitatiónis sanctæ Mariæ institutrícis, de qua ágitur Idibus Decémbris. Romæ sancti Zephyríni, etc.

# SEPTEMBRI.

1 Apud Longum Campum in território Parisiénsi beátæ Isabéllæ Vírginis, Ordinis sanctæ Claræ, soróris sancti Ludovíci Galliárum regis; quæ spretis hujus mundi oblectaméntis, Christo sponso in humilitáte, et paupertáte inservíre máluit, a quo crebris miráculis ante, et post óbitum mirificáta est in terris. In Província, etc.

3 Valéntiæ in Hispánia beatórum Mártyrum Joánnis de Perúsia Sacerdótis, et Petri de Saxoferráto láici Ordinis Minórum, qui ob Christi líberam prædicatiónem, et Mahuméticæ legis damnatiónem, váriis ac máximis torméntis excruciáti, ab Azóto Maurórum Rege jussi sunt cápite plecti quarto Kaléndas Septémbris. Eórum tamen festívitas, annuénte Apostólica Sede, hac die apud nos celebrátur. Romæ, etc.

4 Vitérbii translátio córporis sanctæ Rosæ Vírginis a templo sanctæ Maríæ de Pódio, trigínta post círciter menses ab ejus óbitu íntegri atque incorrúpti repérti, ad monastérium sanctæ Maríæ de Rosis, in quo vivens se mórtuam commoratúram prædixit; quod póstea sanctæ Rosæ dumtáxat nuncupátum est. In monte Nebo, etc.

9 Pisaúri beátæ Seraphínæ víduæ, Ordinis sanctæ Claræ, sánguinis claritáte, virtútibus, mira præsértim in advérsis patiéntia, ac miráculis illústris, quæ prídie hujus diéi ad cœlum evolávit; ejúsque corpus incorrúptum in monastério córporis Christi, quod sanctíssime réxerat, pio cultu honorátur. Nicomédiæ pássio, etc.

11 Ophydæ in Picéno diœcésis Asculánæ beáti Bernárdi, Ordinis nostri Capuccinórum, qui cordis simplicitáte, vitæque innocéntia clarus, ac mira in Deum, et hómines, paúperes præsértim, et egénos

charitáte flagrans, in pátria undécimo Kaléndas Septémbris ex obediéntia ad cœlum evolávit. Eum post mortem, conspícuis fulgéntem signis, Pius Sextus Póntifex Máximus in Basílica Vaticána Beatórum albo insígni pompa adscrípsit. Romæ, etc.

Dominica tertia Septembris.

Festum Septem Dolórum beátæ Maríæ Vírginis.

18 Auxími in Picéno sancti Joséphi a Cupertíno Confessóris, Ordinis Minórum Conventuálium, qui, arctíssimæ paupertátis cultor exímius, et ferventíssimæ in Deum charitátis igne succénsus, a Benedicto Quartodécimo Pontífice Máximo inter Beátos relátus est; Clemens vero Tertiusdécimus Sanctórum cénsui adscrípsit. Natális, etc.

25 Septémpedæ in Picéno depositio sancti Pacífici a sancto Severíno Confessóris, Ordinis Minórum sancti Francísci de Observántia Reformatórum, exímiæ patiéntiæ, et solitúdinis amóre illústris, quem Gregórius Papa Decimusséxtus in Sanctórum cánonem rétulit. In castéllo Emmaus, etc. ne repetas: Septémpedæ, etc. in fine Lectionis.

26 Salérni Picentinórum beátæ Lúciæ Vírginis, tértii Ordinis sancti Patris Francísci, quæ plúrimis fulsit virtútibus, gloriosísque miráculis. Nicomédiæ, etc.

28 Papíæ beáti Bernardíni de Féltria Confessóris, Ordinis Minórum, qui verbo prædicatiónis, et zelo salútis animárum refúlgens, post plúrimos pro Christo exantlátos labóres, bonis opéribus plenus migrávit in cœlum, dono spíritus prophetíæ, et glória miraculórum illústris. In Bohémia, etc.

## OCTOBRI.

3 Vigilia sancti Patris Francísci.

Assísii in Umbria translátio córporis sanctæ Claræ Vírginis, témpore Alexándri Papæ Quarti, e monastério sancti Damiáni ad Ecclésiam sancti Geórgii, ubi sancti Patris Francísci corpus vigínti octo annis ante pósitum fúerat: quasi quodam præságio futurórum, ut qui viam vitæ vivénti paráverat, et moriénti locum débite præparáret. Romæ, etc.

4 Assísii in Umbria natális seráphici sancti Patris Francísci Confessóris, Trium Ordinum fundatóris, cujus vitam sanctitáte et miráculis plenam, sanctus Bonaventúra Episcopus Cardinális, ac ejúsdem institúti alúmnus, fidéliter conscrípsit. Corínthi, etc. ut in Martyrol. Romano.

Prima die non impedita Officio duplici de præcepto, aut Dominica, post festum S. Patris Francisci, dicitur:

Commemorátio ómnium nostræ Congregatiónis fratrum, qui in Dómino quievérunt.

11 Octáva seráphici sancti Patris Francísci. Tharsi in Cilícia, etc.

12 Asculi in Picéno sancti Seraphini a monte Granário Confessóris, Ordinis nostri Capuccinórum, virtútibus, et signis conspicui, quem Clemens Tertiusdécimus novis coruscántem miráculis Sanctórum fastis adscripsit. Romæ, etc.

13 Primo loco. Apud Septam in Mauritánia, etc. ut in Martyrologio Romano, post medium, omisso hodie S. Eduardo.

16 Sancti Eduárdi regis et Confessóris, qui Nonis Januárii defúnctus, tértio Idus Octóbris in univérsa Ecclésia potíssimum cólitur, ob ejus córporis translatiónem : apud nos vero hac die celebrátur. In Africa, etc.

20 Sancti Elzeárii de Sabráno, cómitis Ariáni, Confessóris tértii Ordinis sancti Patris Francísci, qui una cum beáta Delphína cónjuge sua virginitátem illibátam consérvans, plenus méritis migrávit ad Dóminum quinto Kaléndas Octóbris; quem in vita, et post mortem miráculis clarum Urbánus Quintus Póntifex Máximus in Sanctórum númerum rétulit. Ejus tamen festum apud nos hac die celebrátur. In Aviénsi, etc.

21 Apud Colóniam Agrippínam, etc. ut in Mart. Rom. secundo loco.

22 Varsóviæ in Polónia beáti Ladisláі a Giélniow Confessóris, Ordinis Minórum, fama sanctitátis, eruditióne, et eloquéntia celebérrimi, qui quarto Nonas Maji obdormívit in Dómino, ante et post óbitum miraculórum glória refúlgens. Omisso hodie S. Wenceslao.

23 Apud Willáckum in Pannónia sancti Joánnis de Capistráno Confessóris, Ordinis Minórum, vitæ sanctitáte, doctrína, ac zelo cathólicæ fídei propagándæ illústris, qui innúmeros gentíles, Judæos, hæréticos, atque schismáticos redúxit ad Christum, et Taurinum arcem, validíssimo Turcárum exércitu profligáto, suis précibus et miráculis ab obsidióne liberávit. Qui tandem máximis pro Ecclésia perfúnctus labóribus, quiévit in Dómino, quamplúrimis áliis signis et prodígiis in vita et post mortem celebérrimus. Adverte ne idem repetas.

24 Sancti Raphaélis Archángeli, unius ex septem, qui adstant ante Dóminum, ac Dei medicínam suo nómine expriméntis, cujus memóriam solémni Offício in univérso nostro Ordine Benedíctus Papa Decimustértius celebrári concéssit. Venúsiæ, etc.

25 Sancti Wenceslái ducis Bohemórum et Mártyris, cujus festívitas in Ecclésia occúrrit quarto Kaléndas Octóbris. Romæ, etc.

26 Ravélli in principátu citerióri beáti Bonaventúræ a Poténtia, Ordinis Minórum sancti Francísci Conventuálium, virtútibus et signis conspícui. Nicomédiæ natális, etc.

27 Primo loco. Sancti Ivónis Confessóris, tértii Ordinis sancti Patris Francísci, qui pro Christi amóre causas pupillórum, viduárum, ac

paúperum defféndens, sanctitáte et miráculis illústris, Lohanéti in território Trecorénsi obdormívit in Dómino quartodécimo Kaléndas Júnii; licet ejus solémnis memória hac die a nobis celebrétur, qua sacrum ipsius corpus Trecórium fuit translátum témpore Cleméntis Papæ Sexti. Abulæ, etc.

29 Sancti Joánnis Cántii Confessóris, qui nono Kaléndas Januárii migrávit in cœlum.

30 In óppido Acrii citerióris Calábriæ beáti Angeli Confessóris, Ordinis Minórum Capuccinórum, quem Leo Duodécimus Póntifex Máximus Beatórum fastis adscrípsit anno jubilæi millésimo octingentésimo vigesimoquinto. In Africa natális, etc.

# NOVEMBRI.

Dominica secunda a Kalendis Novembris.

Festum Patrocínii beátæ Mariæ Vírginis, ex concessióne Benedicti Papæ Decimitértii in univérso Ordine nostro celebrándum.

12 Complúti in Hispánia sancti Didaci Confessóris, Ordinis Minórum, humilitáte célebris, quem Sixtus Quintus Sanctórum catálogo adscrípsit; cujus festum in Ecclésia universáli celebrándum propónitur die sequénti. Ne repetas idem in fine Lectionis.

13 Sancti Martíni Papæ, et Mártyris, qui prídie hujus diéi victor migrávit in cœlum. Sancti Dídaci, etc.

14 Ancónæ beáti Gabriélis Ferrétti Confessóris, Ordinis Minórum, qui géneris nobilitáte, ac miráculis clarus, prídie Idus Novémbris obdormívit in Dómino: cujus in exéquiis sanctus Jacóbus Picénus de eo ad pópulum sermónem hábuit, ejúsque corpus íntegrum adhuc et suávem spirans odórem, ibidem fidélium devotióne cólitur. Herácleæ, etc.

15 Sanctæ Gertrúdis Vírginis, Ordinis sancti Benedicti, quæ dono revelatiónum clara, et miraculórum grátia illústris, quintodécimo Kaléndas Decémbris migrávit ad Dóminum; ejus tamen festum jussu Cleméntis Duodécimi hac die celebrátur. Eódem die natális, etc.

16 Sanctæ Agnétis Vírginis, secúndi Ordinis, soróris sanctæ Claræ. In Africa, etc.

17 Cracóviæ in Polónia beátæ Salómeæ Vírginis, Ordinis sanctæ Claræ, quæ prius Halciórum regi matrimónio juncta, virginitátem admiránda virtúte conservávit; vitæque sanctitáte, et miraculórum frequéntia fuit illústris. Neocæsaréæ, etc.

24 Ubédæ in Hispánia sancti Joánnis a Cruce Confessóris, in Carmelitárum reformatióne sanctæ Therésiæ sócii, qui decimonóno Kaléndas

Januárii in pace quiévit : ejus tamen festívitas jussu Cleméntis Papæ Duodécimi hac die celebrátur. Natális, etc.

26 Beátæ Delphínæ Vírginis, tértii Ordinis sancti Patris Francísci, génere, sanctitáte, ac miraculórum glória illustríssimæ, quæ Aptæ in Phocénsi Gálliæ província hac die migrávit ad Sponsum. Alexandríæ, etc.

27 Sancti Gregórii Thaumatúrgi Neocæsariénsis Epíscopi, cujus natális ab Ecclésia cathólica celebrátur quintodécimo Kaléndas Decémbris. Antiochíæ, etc.

28 Neápoli deposítio sancti Jacóbi Picéni Confessóris, Ordinis Minórum, vitæ asperitáte, apostólica prædicatióne, ac plúribus pro re christiána óbitis legatiónibus præclári, quem Benedictus Decimusquártus Póntifex Máximus Sanctórum fastis adjúnxit. Romæ, etc.

29 Vigília sancti Andréæ Apóstoli.

Festum ómnium Sanctórum univérsi seráphici Ordinis, quod ex indúlto Románæ Sedis hac die potíssimum celebrátur, qua seráphicus Pater ab Honório Papa Tértio per apostólicas lítteras confirmatiónem régulæ Ordinis Minórum obtínuit; et Clemens Papa Duodécimus indulgéntiam plenáriam nostris frátribus professiónem renovántibus tríbuit. Romæ, etc.

# DECEMBRI.

1 Nicomediæ pássio, etc. ut in Martyrologio Romano. Omisso S. Petro Chrysologo hac die.

5 Sancti Petri Epíscopi Ravennátis, cognoménto Chrysólogi, doctrína et sanctitáte célebris, cujus natális éxtitit quarto Nonas Decémbris : licet ab Ecclésia prídie Nonas ejúsdem mensis celebrétur, et a nobis hódie colátur. Mútalæ in Cappadócia, etc.

8 Concéptio gloriósæ semper Vírginis Genitrícis Dei Maríæ, únicæ ac singuláris sub eódem Immaculátæ Conceptiónis Mystério Ordinis nostri Capuccinórum patrónæ. Romæ beáti Eutychiáni, etc.

10 Lauréti in Picéno translátio sacræ Domus Dei Genitrícis Maríæ, in qua Verbum caro factum est, cujus Offícium sacra Rituum Congregátio in univérso Ordine nostro recitári indúlsit. Vide ne idem repetas in fine.

12 Assísii in Umbria Invéntio córporis seráphici Patris nostri sancti Francísci témpore Pii Papæ Séptimi. Romæ, etc.

18 Festum Expectatiónis Partus beátæ Maríæ Vírginis, quæ repléta Spíritu sancto, mundo péperit Salvatórem Jesum Fílium Dei. Philíppis in Macedónia, etc.

# LECTIONES PROPRIÆ

## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In festo Desponsationis B. M. V.

Lectio.

In platéis, sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Tu autem, etc.

In festo S. Gabrielis Archangeli.

Lectio.

Et audívi vocem viri inter Ulái, et clamávit, et ait: Gábriel fac intelligere visiónem istam. Tu autem, etc.

In festo Patrocinii S. Joseph Sponsi B. M. V.

Lectio.

Filius accréscens Joseph, filius accréscens, et decórus aspéctu; fíliæ discurrérunt super murum. Tu autem, etc.

In festo S. Antonii de Padua Confessoris.

Lectio.

Mihi autem dedit Deus dícere ex senténtia, et præsúmere digna horum, quæ mihi dantur: quóniam ipse sapiéntiæ dux est, et sapiéntium emendátor. Tu autem, etc.

In solemnitate SS. Redemptoris.

Lectio.

Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam et honórem et virtútem, quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo, ex omni tribu et lingua, et pópulo, et natióne, et fecísti nos Deo nostro regnum. Tu autem, etc.

In festo sacratissimi Cordis Jesu.

Lectio.

Impropérium expectávit cor meum, et misériam. Et sustínui, qui simul contristarétur, et non fuit; qui consolarétur, et non invéni. Tu autem, etc.

In festo Septem Dolorum B. Mariæ Virg.

Lectio.

Deduc quasi torréntem lácrymas per diem, et noctem: non des réquiem tibi, neque táceat pupílla óculi tui. Tu autem, etc.

In festo S. P. N. Francisci.

Lectio.

De cétero nemo mihi moléstus sit. Ego enim Stigmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres, Amen. Tu autem, etc.

In festo S. Raphaelis Archangeli.

Lectio.

Tempus est, ut revértar ad eum, qui me misit; vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus. Tu autem, etc.

In festo Patrocinii B. M. V.

Lectio. In platéis, etc. ut supra.

In festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V.

Lectio.

Beatus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino. Tu autem, etc.

In festo Translationis Almæ Domus B. M. V.

Lectio. In platéis, etc. ut supra.

In festo Expectationis Partus B. M. V.

Lectio.

Rorate cœli désuper, et nubes pluant Justum, aperiátur terra, et gérminet Salvatórem; et justítia oriátur simul : Ego Dóminus creávi eum. Tu autem, etc.

## INDEX SANCTORUM ET BEATORUM

### ORD. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

# MARTYROLOGIUM
## SANCTORUM ET BEATORUM
# ORDINIS SANCTI HIERONYMI
### CONGREGATIONIS
## BEATI PETRI DE PISIS.

Ordo *Eremitarum S. Hieronymi Congregationis a B. Petro de Pisis institutæ sub regula S. Augustini, quum peculiaria sua Festa ex Summorum Pontificum, et sacræ Rituum Congregationis Decretis concessa celebret, quomodo hæc in lectione Martyrologii rite annuntianda sint, sequens Martyrologium indicat, pro memorata Congregatione ordinatum.*

## JANUARIO.

26 Apud Béthlehem Judæ dormítio sanctæ Paulæ víduæ, matris Eustóchii Virginis Christi : quæ quum esset e nobilíssimo Senatórum génere, renúntians sæculo, et facultátes suas paupéribus distríbuens, ad præsépe Dómini se recépit, ubi multis virtútibus prædita, et longo coronáta martyrio ad cœléstia regna transívit; cujus vitam virtútibus admirándam sanctus Hierónymus scripsit. Smyrnæ, etc. ne repetas : Apud Béthlehem, etc. circa finem.

## FEBRUARIO.

19 Sancti Polycárpi Episcopi Mártyris, cujus memória séptimo Kaléndas Februárii recólitur. Barcinóne in Hispánia, etc.

28 Papíæ translátio córporis sancti Augustíni Episcopi, et Ecclésiæ Doctóris, ex Sardinia ínsula, ópera Luitprándi Regis Longobardórum. Romæ natális, etc. ne repetas : Papíæ, etc. in fine Lectionis.

## MARTIO.

5 Sancti Eusébii Confessóris, sancti Patris nostri Hierónymi discípuli. Antiochiæ natális, etc.

6 Sancti Casimíri Confessóris, cujus memória quarto Nonas Mártii recensétur. Nicomédiæ, etc.

## APRILI.

17 Pisis in Etrúria beátæ Claræ Gambacúrtæ víduæ, beáti institutóris nostri Petri de Pisis sorôris, quæ Ordinem Prædicatórum proféssa monastérium sancti Domínici in eádem civitáte fundávit. Ejus immemorábilem cultum Pius Octávus Póntifex Máximus confirmávit. Romæ, etc.

18 Sancti Anicéti Papæ Mártyris, de quo quintodécimo Kaléndas Maji. Romæ beáti Apollónii, etc.

## MAJO.

5 Mediolani convérsio sancti Augustini Episcopi, et Ecclésiæ Doctóris, quem sanctus Ambrósius Episcopus fidei cathólicæ veritátem dócuit, et hac die baptizávit. Romæ sancti Pii, etc. ne repetas : Medioláni, etc.

Dominica secunda Maji.

Festum beátæ Mariæ Vírginis Gratiárum a Pio Papa Sexto Congregatióni nostræ concéssum.

9 Romæ translátio sancti Patris nostri Hierónymi, Presbyteri et Ecclésiæ Doctóris, ex Béthlehem Judæ ad Basílicam sanctæ Mariæ ad Præsépe. Naziánzi natális beáti Gregórii, etc. ne repetas : Romæ, etc.

13 Sancti Pii Papæ Quinti, cujus memória tértio Nonas Mártii inscribitur, sed apud nos hac die ejus festum celebrátur. Romæ, etc.

14 Romæ sancti Paschális Papæ, qui plúrima sanctórum Mártyrum córpora e cryptis levávit, et in divérsis Ecclésiis honorífice collocávit. Natális sancti Bonifácii, etc. ne repetas : Romæ, etc. circa medium.

15 Sancti Emygdii Episcopi Mártyris, cujus natále etsi Nonis Augústi accenseátur, áttamen ex privilégio ejus festum apud nos hódie celebrátur. In Hispánia sanctórum, etc.

23 Sancti Gregórii Epíscopi Naziánzi, cujus natális séptimo Idus Maji occúrrit : ejus vero festívitas penes nos hódie ágitur. Apud Lingonas, etc.

# JUNIO.

7 SANCTI Stanislái Epíscopi Mártyris, cujus natális tértio Idus Maji inscribitur, verum hódie a nobis ejus festum celebrátur. Constantinópoli, etc.

12 In Ægypto sancti Onúphrii anachorétæ, qui in vasta erémo sexaginta annis vitam religióse perégit, et magnis virtútibus, ac méritis clarus migrávit in cœlum, cujus insígnia gesta Paphnútius Abbas conscrípsit. Salmánticæ in Hispánia sancti Joánnis, etc. ne repetas: In Ægypto, etc. in fine Lectionis.

15 Romæ in Janículo dormítio beáti Nicolái a Furca Paléna in Pelígnis, propagatóris Ordinis sancti Patris nostri Hierónymi, Congregatiónis beáti Petri Gambacúrta de Pisis, ac fundatóris monasteriórum sancti Onúphrii de Urbe, et sanctæ Maríæ Gratiárum Neápolis, qui post diutúrnas peregrinatiónes, et córporis afflictatiónes ánimam Deo réddidit tértio Kaléndas Octóbris. Corpus ejus sub ara máxima Ecclésiæ sancti Onúphrii recónditum, magna veneratióne cólitur. Immemorábilem ipsíus cultum Clemens Decimusquártus Póntifex Máximus confirmávit. In Lucánia, etc.

16 Sancti Leónis Papæ Tértii, de quo prídie Idus Júnii. Vesontióne, etc.

17 Venétiis beáti Petri Gambacúrta de Pisis, qui post fundátam nostram Congregatiónem sub título sancti Patris nostri Hierónymi, et sub régula sancti Augustíni, per annos círciter quinquagínta quinque solitáriam vitam exégit in monte Cessáno agri Urbinátis, donec méritis cumulátus in Dómino obdormívit decimoquínto Kaléndas Júnii. Quem sanctæ Románæ Ecclésiæ Pontífices Beáti título decorántes, nobis solemnióri ritu cum Officio et Missa ejus festum celebrándum concéssum est. Romæ natális, etc.

18 Sancti Joánnis a sancto Facúndo Confessóris, de quo ágitur prídie Idus Júnii. Romæ via Ardeatína, etc.

22 Sanctæ Juliánæ Falconériæ Vírginis, cujus memória tertiodécimo Kaléndas Július recensétur. Apud Nolam, etc.

24 In Martyrologio Romano pag. 116. post elogium S. Joannis Baptistæ secundo loco legatur:

Octáva beáti Petri de Pisis Confessóris. Romæ, etc.

# AUGUSTO.

28 Hippone Régio in Africa natális sancti Augustíni, Epíscopi et Ecclésiæ Doctóris exímii, sub cujus régula vívimus, qui beáti Ambrósii Epíscopi ópera ad cathólicam fidem convérsus, et baptizátus, eam advérsus Manichæos aliósque hæréticos acérrimus propugnátor defféndit : multísque áliis pro Ecclésia Dei perfúnctus labóribus, ad præmia migrávit in cœlum : cujus relíquiæ primo de sua civitáte propter bárbaros in Sardíniam delátæ, et póstea a Luitprándo Rege Longobardórum Ticínum translátæ, ibi honorífice cónditæ sunt. Romæ natális, etc.

30 Romæ sancti Pammáchii Presbyteri, sancti Patris nostri Hierónymi discípuli, qui fuit doctrína, et sanctitáte conspícuus. Omisso Elogio S. Rosæ dicatur : Item Romæ via Ostiénsi, etc. et ne repetas : Ibidem sancti Pammáchii, etc. circa medium.

# SEPTEMBRI.

3 Sanctæ Rosæ a sancta María Vírginis, cujus dies natális séptimo Kaléndas Septémbris recensétur. In Província Narbonénsi, etc.

4 Octáva sancti Augustíni, Epíscopi et Ecclésiæ Doctóris. In monte Nebo, etc.

6 Sanctæ Rosæ Vírginis Viterbiénsis, de qua prídie Nonas Septémbris. Zacharíæ Prophétæ, etc.

28 In Béthlehem Judæ sanctæ Eustóchii Vírginis, fíliæ beátæ Paulæ, ac sancti Patris nostri Hierónymi discípulæ, quæ ad Præsépe Dómini cum áliis virgínibus enutríta, præcláris méritis fulgens migrávit ad Dóminum. In Bohémia, etc.

30 In Béthlehem Judæ deposítio sancti Patris nostri Hierónymi, Presbyteri et Ecclésiæ Doctóris, qui ómnium stúdia litterárum adéptus ac probatórum Monachórum imitátor factus, multa hæresum monstra gládio suæ doctrínæ confódit : demum cum ad decrépitam usque vixísset ætátem, in pace quiévit, sepultúsque est ad Præsépe Dómini, cujus corpus póstea Romam delátum in Basílica sanctæ Maríæ Majóris cónditum fuit. Eódem die, etc.

# OCTOBRI.

7 Octava sancti Patris nostri Hierónymi, Presbyteri ac Doctóris. Romæ via Ardeatína, etc.
11 Translátio prima sancti Augustíni, Epíscopi et Ecclésiæ Doctóris, ex Hippóne Régio in Cálarim Sardíniæ ínsulæ urbem. Tharsi, etc.
16 Sancti Wenceslái ducis Bohemórum et Mártyris, cujus memória quarto Kaléndas Octóbris ágitur. In África sanctórum, etc.

Dominica tertia Octobris ubi concessum est.

**Festum sacri Cordis beátæ Maríæ Vírginis.**

# OFFICIA PER ANNUM.

Singulis feriis quintis non impeditis.

**Officium sanctíssimi Córporis Christi.**

Singulis feriis sextis non impeditis.

**Officium sancti Patris nostri Hierónymi, Presbyteri et Ecclésiæ Doctóris.**

Singulis Sabbatis non impeditis.

**Officium Conceptiónis beatíssimæ Vírginis Maríæ.**

Prima die non impedita cujusque hebdomadæ.

**Officium beáti Petri de Pisis, Congregatiónis nostræ fundatóris.**

# LECTIONES PROPRIÆ

## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In festis S. Augustini.

Lectio.

Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet, et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Tu autem, etc.

In festo S. Patris nostri Hieronymi.

Lectio.

Quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum ornátum omni lápide pretióso. Tu autem, etc.

# INDEX SANCTORUM ET BEATORUM

## ORD. S. HIERONYMI

CONGREGATIONIS B. PETRI DE PISIS.

# MARTYROLOGIUM SANCTORUM

## ORDINIS

## CARMELITARUM DISCALCEATORUM.

### PRÆFATIUNCULA

*Etsi in editione Martyrologii Ordinis nostri Carmelitarum Discalceatorum, adjecta Martyrologio Romano a sa. me. Benedicto XIV. aucto, et castigato juxta sancitas leges, appositæ fuerint Lectiones illæ, quæ memorias Sanctorum sequentis diei continent, ut semper primo loco enuntietur Festum, de quo sequenti die Officium persolvitur, quod etiam servatum fuit de Officiis ex privilegio vel Apostolico Indulto concessis, attamen progressu temporis, quum in Ordine nostro auctus fuerit Officiorum numerus, necesse fuit in hac nova Martyrologii editione paulisper ab antiqua recedere, ac singula ita ordinare, ut nil in re desiderandum supersit. Quod adeo in votis erat Generali Ordinis nostri Definitorio de anno 1831. in Urbe celebrato, ut unanimi voto sanciverit in meliorem formam juxta Rubricas, et S. R. C. Decreta Kalendarium nostrum redigendum esse. Cui quidem regulari dispositioni consultum quum fuerit in præsenti Martyrologii nostri editione, non abs re erit aliqua hic obiter prænotare, ut rite cujusque diei Martyrologii lectio semper peragatur.*

*Cum regula Martyrologii Romani sit, ut primo loco legatur de illo, de quo fieri debet Officium : hinc sequitur, quod si occurrat eodem die aliquod Festum alicui Dominicæ, vel alii diei affixum cum Dominica primæ vel secundæ classis, et utrumque Officium, nempe et Festi et Dominicæ, habeat Lectionem propriam legendam ; primo loco legitur de eo, de quo juxta Breviarii Rubricas faciendum est Officium, et secundo loco de eo, quod juxta easdem est transferendum, vel facienda est ejus commemoratio tantum : sic occurrente Festo SS. Nominis Jesu duplici secundæ classis cum Dominica Septuagesimæ ritus pariter secundæ classis, et quæ habet Lectionem propriam; cum de hac fieri debeat Officium, ideo de ea legitur primo loco, et secundo loco de SS. Nomine Jesu : idem dicas, cum occurrit Festum inferioris ritus vel minoris dignitatis cum alio Festo majoris dignitatis vel altioris ritus : ita occurrente Festo S. Cordis Mariæ cum Festo duplici primæ vel secundæ classis, primo loco legitur de hoc, et secundo loco de Festo S. Cordis Mariæ; ita pariter occurrente Festo SS. Nominis Mariæ cum Festo Exaltationis S. Crucis, utroque ritus duplicis majoris, de hoc erit primo loco legendum,*

*de SS. Nomine Mariæ vero secundo loco : quod pariter evenit, quando occurrit dies Octava alicujus Sancti habentis Octavam cum Festo alterius primæ vel secundæ classis non excludentis Octavam; quo etiam casu de Festo erit legendum primo loco, et de Octava secundo loco : si autem Festum prædictum excludat Octavam, nihil legendum erit de ea, cum nec ejus sit facienda commemoratio. Occurrente autem ipsa die Octava cum Festo ritus duplicis majoris, cum hoc sit transferendum, et de illa sit faciendum Officium, ideo prius erit legendum de Octava, et secundo loco de prædicto Festo.*

*Illud autem, quod superius dictum est : de illo debere legi primo loco, de quo fieri debet Officium; intelligendum est de Officio de Sanctis; non vero de Officio de Dominica vel de Feria, de quibus, licet de eis fiat Officium, nunquam legitur in Martyrologio; iis exceptis, quæ positæ sunt in principio Martyrologii Romani : sicque nihil est annuntiandum, ut bene Martyrologium consideranti patet, de diebus infra aliquam Octavam, licet de ea faciendum sit Officium; cum Octava nihil aliud sit quam quædam extensio et productio Festivitatis; et ideo satis est annuntiare Festum et ejus diem Octavam : immo Martyrologium Romanum omittit annuntiationem Octavæ in Festis mobilibus, ut in Ascensione Domini, et in Festo SS. Corporis Christi, quod omnino observandum erit.*

*Illud quoque est attendendum, quod licet anticipetur in Sabbato quoad jejunium et Officium Vigilia alicujus Sancti, de quo fieri debet Officium feria secunda; non tamen anticipatur illius lectio in Martyrologio : ita apud Gavantum sect. V. cap. XXI. Hæc itaque sufficiant, cum alia facile erui possint et ex ejus Martyrologii regulis, et ex lectione ejusdem attente peracta.*

# JANUARIO.

In Martyrologio Romano sic legendum in fine Lectionis hujus diei.

1 ALEXANDRIÆ depositio sanctæ Euphrósynæ Vírginis, Ordinis Carmelitárum, quæ in monastério virtúte abstinéntiæ, ac miráculis cláruit : ejus tamen festivitas Idibus Februárii ágitur.

5 Vigilia Epiphaníæ Dómini.

Romæ sancti Thelésphori Papæ, Ordinis Carmelitárum, qui sub Antoníno Pio post multos labóres pro Christi confessióne, illústre martyrium duxit : cujus festívitas decimoséxto Kaléndas Mártii celebrátur. In Ægypto, etc.

6 Epiphania Dómini.

In território Rheménsi pássio sanctæ Macræ Vírginis, quæ in persecutióne Diocletiáni, jubénte Rictiováro Præside, cum in ignem esset

præcipitáta, et permansisset illæsa, deínde mamíllis abscissis, et squalóre cárceris afflícta, super testas étiam acutíssimas, ac prunas volutáta, orans migrávit ad Dóminum.

In Africa commemorátio plurimórum sanctórum Mártyrum qui in persecutióne Sevéri ad palum ligáti, igne consúmpti sunt.

Famagústæ in Cypro depositio sancti Petri Thomæ, Ordinis Carmelitárum, et Ecclésiæ Constantinopolitánæ Episcopi, qui post plures de sacræ Crucis inimícis victórias, postque plura conscripta volúmina, ac patráta mirácula, die et hora a se prædíctis obdormívit in Dómino, cujus festívitas decimoquínto Kaléndas Mártii celebrátur.

Rhedónis in Gállia sancti Melánii, Epíscopi et Confessóris, qui post innumerabílium signa virtútum, júgiter cœlo inténtus, gloriósus migrávit a sæculo.

Floréntiæ sancti Andréæ Corsíni Florentíni Carmelítæ, Episcopi Fesuláni, quem miráculis clarum Urbánus Octávus in Sanctórum númerum rétulit : ejus festívitas prídie Nonas Februárii celebrátur.

Geris in Ægypto sancti Nilammónis Reclúsi, qui dum ad Episcopátum traherétur invítus, in oratióne spíritum Deo réddidit.

7 In fine Lectionis Elogium S. Raymundi de Pennafort sic concludatur : Barcinóne sancti Raymúndi de Pénnafort, Ordinis Prædicatórum, sanctitáte et doctrina célebris : festívus vero ejus dies penes nos duodécimo Kaléndas Mártii recólitur.

Sabbato ante Dominicam secundam post Epiphaniam.

Festum dulcíssimi Nóminis Jesu, quod illi ab Angelo, priúsquam in útero Vírginis conciperétur, impósitum est.

22 Romæ ad aquas Sálvias sancti Anastásii Persæ, Mónachi Ordinis Carmelitárum, qui post plúrima torménta cárceris, vérberum, et vinculórum, quæ in Cæsaréa Palæstínæ perpéssus fúerat, a Cósroa Persárum Rege multis pœnis affèctus, ad últimum decollátus est, cum prius septuaginta sócios in fluénte demérsos ad martyrium præmisísset. Ejus caput Romam delátum est una cum veneránda ejus imágine, cujus aspéctu fugári dæmones, morbósque curári, acta secúndi Concílii Nicæni testántur.

Valéntiæ in Hispánia Tarraconénsi sancti Vincéntii, Levítæ et Mártyris, qui sub Daciáno impiíssimo Præside cárceres, famem, equúleum, distorsiónes membrórum, láminas candéntes, cratem férream ignítam, aliáque tormentórum génera perpéssus, ad martyrii præmium evolávit in cœlum; cujus passiónis nóbilem triúmphum Prudéntius luculénter vérsibus exéquitur, et beátus Augustínus, ac sanctus Leo Papa summis laúdibus commèndant : ejus tamen festívitas decimotértio Kaléndas Mártii celebrátur.

Ebredúni in Gállia sanctórum Mártyrum Vincéntii, Oróntii, et Victóris, qui in persecutióne Diocletiáni martyrio coronáti sunt.

Novâriæ sancti Gaudéntii, Epíscopi et Confessóris.

Soræ sancti Domínici Abbátis, miráculis clari.

23 Desponsátio beátæ Maríæ Vírginis cum sancto Joseph. Romæ sanctæ Emerentiánæ, etc. omisso S. Raymundo.

28 Alexandríæ sancti Cyrílli, ejúsdem urbis Epíscopi, Ordinis Carmelitárum, qui cathólicæ fídei præclaríssimus propugnátor, doctrína et sanctitáte illústris, quiévit in pace. Romæ, etc.

# FEBRUARIO.

4 Florentiæ sancti Andréæ Corsíni, Epíscopi Fesuláni, cujus natális ágitur octávo Idus Januárii. Romæ sancti Eutychii, etc.

Si præcedentibus diebus, vel hodie occurrat dies Cinerum, omitte Octáva, etc. et incipe Lectionem, Alexandríæ, etc. quod etiam in sequenti Octava S. Andreæ Corsini observandum erit.

9 Octáva Purificatiónis beátæ Maríæ Vírginis. Alexandríæ, etc.

11 Octáva sancti Andréæ Corsíni, Epíscopi et Confessóris. In Africa, etc.

12 Sancti Dionysii Papæ et Confessóris, Ordinis Carmelitárum, cujus natális séptimo Kaléndas Januárii memorátur. Barcinóne, etc.

13 Alexandríæ sanctæ Euphrósynæ Vírginis, Ordinis Carmelitárum, quæ multis clara virtútibus migrávit ad Sponsum Kaléndis Januárii. Antiochíæ, etc.

14 Sancti Thelésphori Papæ et Mártyris, Ordinis Carmelitárum, cujus natális memória Nonis Januárii recólitur. Romæ via Flamínia, etc.

15 Sancti Petri Thomæ Epíscopi et Mártyris, Ordinis Carmelitárum, de quo ágitur octávo Idus Januárii. Bríxiæ, etc.

16 Commemorátio sanctórum Mártyrum, et aliórum Sanctórum, quorum córpora vel relíquiæ in Ecclésiis nostri Ordinis asservántur. Natális, etc.

17 Sancti Vincéntii, Levítæ et Mártyris, cujus festívitas undécimo Kaléndas Februárii celebrátur. Romæ, etc.

18 Sancti Raymúndi de Pénnafort Confessóris, de cujus natáli ágitur séptimo Idus Januárii. Jerosólymis, etc.

25 aut in anno Bissextili 26 Lucæ in Túscia beáti Avertáni Confessóris, Ordinis Carmelitárum, vitæ sanctitáte illústris, cujus corpus, ob plúrima mox ejus intercessióne patráta mirácula, magna cum solemnitáte sepúltum fuit. In Ægypto, etc.

26 aut in anno Bissextili 27 Sanctæ Margarítæ de Cortóna, tértii Ordinis sancti Francísci, cujus dies natális octávo Kaléndas Mártii recensétur. Perge in Pamphylia, etc.

## MARTIO.

3 Vercellis beáti Jacobíni Confessóris, láici Carmelitæ, oratiónis, et pœniténtiæ stúdio præclári. Cæsaréæ in Palæstína, etc.

4 Lucæ festum beáti Romæi Ordinis nostri Confessóris.

Vilnæ in Lithuánia beáti Casimíri, filii Casimíri Regis, quem Leo Décimus Románus Póntifex in Sanctórum númerum rétulit; ejus tamen festum sequénti die recólitur. Romæ via Appia, etc.

5 Sancti Casimíri Confessóris, cujus natális prídie hujus diéi habétur. Antiochíæ natális, etc.

6 In Terra Sancta, sancti Cyrilli Confessóris, Ordinis Carmelitárum, qui doctrina, et sanctitáte multos ad fidem Christi perdúxit, suúmque Ordinem vigínti et septem annos summa cum laude rexit, ac tandem Philíppo, et Othóne Imperatóribus, beáto fine quiévit. Nicomédiæ, etc.

13 In Thebáide deposítio sanctæ Euphrásiæ Vírginis, Ordinis Carmelitárum, quæ multis cumuláta méritis migrávit in cœlum. Nicomédiæ, etc.

15 Beáti Ludovíci Morbióli, Confessóris Carmelítæ, cujus natális dies habétur quinto Idus Novémbris. Cæsaréæ in Cappadócia, etc.

18 Festum sancti Gabriélis Archángeli. Cæsaréæ in Palæstína, etc.

29 In monte Carmélo deposítio beáti Bertóldi Confessóris, Ordinis Carmelitárum, qui cum multis annis Religiónem sanctíssime gubernásset, multis virtútibus clarus migrávit ad Dóminum. In Pérsia, etc.

## APRILI.

8 Jerosolymis sancti Albérti, ejúsdem civitátis Epíscopi, qui Carmelitánæ famíliæ novam dedit régulam, ac multis virtútibus illústris ad cœléstem Jerúsalem translátus est decimooctávo Kaléndas Octóbris. Alexandríæ, etc.

Feria quinta ante primam Feriam sextam post Octavam Paschæ non impeditam festo novem Lectionum, primo loco dicatur:

Festum sacratíssimæ Corónæ Dómini.

18 Pontisaræ in Gálliis deposítio beátæ Maríæ ab Incarnatióne, moniálium Carmelitárum Excalceatárum in iisdem regnis fundatrícis, quæ difficillimis tempóribus invíctæ patiéntiæ féminam, Christi, ac discipulórum ejus imitatrícem, ad miráculum usque se pródidit, ac

postquam in sæculo in omni vitæ gradu admiránda sanctitáte vixísset, in monastérium se recépit, ubi, professióne præ humilitáte sua in statu Sorôris Convérsæ emíssa, annos quátuor in singulári perfectióne vitæ exégit, ac tandem multárum palmárum victrix, ac miraculórum glória ante, et post óbitum clara, placidíssime in Dómino obdormívit. Eam Pius Sextus Póntifex Máximus die vigesimaquárta Maji anno millésimo septingentésimo nonagesimoprimo in Beatórum album solémni ritu referéndam esse decrévit. Romæ beáti, etc.

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pascha, dicatur primo loco :

Festum Patrocínii sancti Joseph, sponsi beatíssimæ Vírginis Maríæ, protectóris Ordinis Carméli, a seráphica Vírgine matre Terésia restauráti, ab Innocéntio Undécimo sub ritu dúplici secúndæ classis concéssum ; et a Pio Sexto ad ritum primæ classis evéctum.

# MAJO.

5 Leocate in Sicília sancti Angeli Presbyteri, Ordinis Carmelitárum, qui ab hæréticis ob defensiónem cathólicæ fidei trucidátus est. Romæ sancti Pii Papæ Quinti ex Ordine Prædicatórum, qui ecclesiásticæ disciplinæ restituéndæ, hærésibus extirpándis, et christiáni nóminis hóstibus conteréndis strénue ac feliciter incúmbens, vitæ ac legum sanctitáte cathólicam Ecclésiam gubernávit ; cujus festum Idibus Maji recólitur. Item Romæ, etc.

11 Randátii in Sicília festum beáti Aloísii Rábata, Ordinis Carmelitárum, regulári observántia, charitáte, et inimicórum dilectióne mirábilis. Romæ via Salária, etc.

Si occurrat Vigilia Pentecostes, non annuntiatur sequens Octava ; quod erit servandum in sequentibus Octavis, si superveniat dicta Vigilia, vel Festum SS. Corporis Christi.

12 Octáva sancti Angeli Mártyris.

Romæ via Ardeatína sanctórum Mártyrum Nérei et Achíllei fratrum, qui primo cum Flávia Domitílla, cujus erant eunúchi, in ínsula Póntia longum pro Christo duxérunt exílium ; póstmodum gravíssimis verbéribus attrectáti sunt : deínde cum a Minútio Rufo Consulári, equúleo, et flammis ad immolándum compelleréntur, diceréntque se a beáto Petro Apóstolo baptizátos, nulla ratióne posse idólis immoláre, cápite cæsi sunt. Horum sacræ reliquiæ, simúlque Fláviæ Domitíllæ, ex Diaconía sancti Hadriáni in antíquum eórum títulum, ubi olim asservabántur, nunc restaurátum, jussu Cleméntis Papæ Octávi solémniter translátæ sunt prídie hujus diéi.

Ibídem via Aurélia sancti Pancrátii Mártyris, qui cum esset annórum quatuórdecim, sub Diocletiáno martyrium cápitis obtruncatióne complévit. Horum vero festívitas sequénti die celebrátur. Item Romæ, etc.

13 Sanctórum Nérei, Achíllei, Domitíllæ Vírginis, atque Pancrátii Mártyrum, de quibus ágitur prídie hujus diéi. Romæ dedicátio, etc.

15 Sancti Pii Papæ Quinti, cujus festus dies tértio Nonas Maji recólitur. In Hispánia, etc.

16 Burdigalæ in Aquitánia depositio beáti Simónis cognoménto Stok, Confessóris Ordinis Carmelitárum, qui ob singulárem erga Deíparam Vírginem devotiónem, ab eádem sacrum sui Ordinis Scapuláre méruit obtinére, et post multos in ejúsdem Vírginis religiónis gubernatióne exantlátos labóres, clarus miráculis migrávit ad præmium.

Eugúbii sancti Ubáldi Epíscopi, miráculis clari, cujus dies festus undécimo Kaléndas Júnii celebrátur. In Isaúria natális, etc.

17 Sancti Joánnis Nepomucéni Mártyris, de quo die præcedénti ágitur.

Apud Villam Regálem in regno Valentino sancti Paschális, Ordinis Minórum, miræ innocéntiæ et pœniténtiæ viri, cujus festívitas quinto Kaléndas Júnii recólitur. Pisis in Túscia, etc.

18 In Martyrologio Romano in fine Lectionis de S. Felice a Cantalicio, adde: cujus festum quarto Kaléndas Júnii celebrátur.

21 Segóbiæ in Hispánia translátio córporis sancti Patris nostri Joánnis a Cruce. In Mauritánia, etc.

22 Sancti Ubáldi Epíscopi et Confessóris, cujus festívitas decimoséptimo Kaléndas Júnii celebrátur. Romæ, etc.

23 Octáva beáti Simónis Confessóris. Apud Língonas in Gállia, etc.

24 Festum beátæ Maríæ Vírginis sub título Auxílium Christianórum. Antiochíæ, etc.

25 Floréntiæ sanctæ Maríæ Magdalénæ, Ordinis Carmelitárum, vita et sanctitáte illústris.

Salérni depositio beáti Gregórii Papæ Séptimi, ecclesiásticæ libertátis propugnatóris, ac defensóris acérrimi, cujus festum sexto Kaléndas Júnii celebrátur. Romæ, etc.

27 Sancti Gregórii Papæ Séptimi, cujus dies natális octávo Kaléndas Júnii recensétur. Natális sancti Joánnis, etc.

28 Sancti Paschális Confessóris, cujus natális dies sextodécimo Kaléndas Júnii recólitur. In Sardínia, etc.

29 Sancti Felícis a Cantalício Confessóris, cujus dies natális quintodécimo Kaléndas Júnii celebrátur. Romæ, etc.

31 In Statu ecclesiastico, etc. Bríxiæ sanctæ Angelæ Merici Vírginis,

Moniálium sanctæ Ursulæ institutrícis, de qua sexto Kaléndas Februárii. Romæ, etc.

## JUNIO.

1 OCTAVA sanctæ Maríæ Magdalénæ Vírginis. Romæ sancti Juvéntii, etc.

14 Samaríæ in Palæstína sancti Patris nostri Eliséi Prophétæ, cujus sepúlchrum dæmones perhorréscere sanctus Hierónymus scribit : ubi et Abdias Prophéta quiéscit.

Cæsaréæ in Cappadócia Ordinátio sancti Basilii Epíscopi, qui témpore Valéntis Imperatóris, doctrína et sapiéntia insígnis, omnibúsque virtútibus ornátus, mirabíliter effúlsit, et Ecclésiam advérsus Ariános, et Macedoniános mira constántia defféndit : cujus festívitas apud nos sequénti die celebrátur. Syracúsis, etc.

15 Sancti Basilii Epíscopi et Confessóris, de quo die præcedénti ágitur. In Lucánia, etc.

21 Octáva sancti Patris nostri Eliséi Prophétæ.

Romæ sancti Aloysii Gonzágæ, Societátis Jesu, principátus contémptu et innocéntia vitæ claríssimi; cujus festum sequénti die recólitur. Item Romæ, etc.

22 Sancti Aloysii Gonzágæ Confessóris, qui prídie hujus diéi evolávit in cœlum. Apud Nolam, etc.

## JULIO.

9 OCTAVA Visitatiónis beatíssimæ Vírginis Maríæ. Romæ ad Guttam, etc. et in fine Lectionis Martyrologii Romani adde :

Régii in Æmília beátæ Joánnæ Scopélli, Vírginis Carmelitánæ, cujus immemorábilem cultum Clemens Decimusquártus apostólica auctoritáte approbávit, et festum celebrári quinto Idus Július in univérso Ordine Carmelitáno, atque ab utróque clero in ditióne Ducis Régii, et Mútinæ concéssit.

11 Régii in Æmília beátæ Joánnæ Scopélli, Vírginis Carmelitánæ, cujus natális habétur séptimo Idus Július. Romæ, etc.

13 Albæ in Hispánia in monastério sanctíssimæ Incarnatiónis Translátio incorrúpti córporis sanctæ Matris nostræ Terésiæ.

Romæ sancti Anacléti Papæ et Mártyris, qui post sanctum Cleméntem Ecclésiam Dei regens, eam glorióso martyrio decorávit; cujus festum tértio Kaléndas Augústi recensétur. Eódem die, etc.

**15** Vigília commemoratiónis solémnis beátæ Maríæ Vírginis de monte Carmélo. Bambérgæ, etc.

**16** Commemorátio solémnis beatíssimæ Vírginis Maríæ de monte Carmélo, cui Carmelitárum família, ob innúmera benefícia ab eádem sanctíssima Vírgine accépta, in servitútis insígne hanc diem cónsecrat. Eódem die natális, etc.

**17** Romæ sancti Aléxii Confessóris, fílii Euphemiáni Senatóris, qui prima nocte nuptiárum, sponsa intácta, e domo sua abscédens, ac post longam peregrinatiónem ad Urbem rédiens, decem et septem annos, tamquam egénus in domo patérna recéptus hospítio, nova mundum arte delúdens, incógnitus mansit : sed post óbitum, et voce per Urbis Ecclésias audíta, et scripto suo ágnitus, Innocéntio Primo Pontífice Máximo, ad Ecclésiam sancti Bonifácii summo honóre delátus est, ubi multis miráculis cláruit; cujus festum octávo Idus Septémbris recólitur; sed in Statu ecclesiástico ac in Etrúria, quinto Idus Septémbris celebrátur. Carthágine, etc.

**18** In Martyrologio Romano sic enuntiandum Elogium S. Camilli :

Sancti Camílli de Lellis Confessóris, clericórum Regulárium infírmis ministrántium institutóris, cujus natális dies prídie Idus Július recensétur; ejúsque festívitas quartodécimo Kaléndas Septémbris celebrátur. Tíburc, etc.

**19** In Martyrologio Romano Elogium S. Vincentii sic enuntiatur :

Sancti Vincéntii a Paulo Confessóris, qui obdormívit in Dómino quinto Kaléndas Octóbris; cujus festum quintodécimo Kaléndas Septémbris recólitur. Eódem die natális, etc.

**20** In monte Carmélo sancti Elíæ Prophétæ, ducis, et Patris nostri.

Eódem die sancti Hierónymi Æmiliáni Confessóris, Congregatiónis Somáschæ institutóris, quem plúribus in vita et post mortem miráculis illústrem Benedíctus Decimusquártus Beatórum, Clemens vero Decimustértius Sanctórum fastis solémniter adscrípsit, ejus autem festum quinto Idus Septémbris celebrátur; verum in Statu ecclesiástico et in Etrúria, tértio Idus Septémbris recólitur. Antiochíæ, etc.

**22** Apud Massíliam natális sanctæ Maríæ Magdalénæ, de qua Dóminus ejécit septem dæmónia, et quæ ipsum Salvatórem a mórtuis resurgéntem prima vidére méruit; cujus festívitas séptimo Kaléndas Septémbris celebrátur. Philíppis, etc.

Ubi Festum S. Bartholomæi Apostoli celebratur die 25 Augusti, præcedens Lectio sic concludatur : cujus festívitas nono Kaléndas Septémbris celebrátur. Philíppis, etc.

23 Octáva commemoratiónis solémnis beatíssimæ Vírginis Mariæ de monte Carmélo.

Eódem die natális sancti Apollináris Epíscopi, qui ab Apóstolo Petro Romæ ordinátus, et Ravénnam missus, pro fide Christi divérsas et multíplices pœnas perpéssus est : póstea in Æmília Evangélium prædicans, plúrimos ab idolórum cultu revocávit : tandem Ravénnam revérsus, sub Vespasiáno Cæsare gloriósum martyrium consummávit : cujus festum sequénti die celebrátur. Cenománis in Gállia, etc.

24 Vigília sancti Jacóbi Apóstoli.

Sancti Apollináris Epíscopi, et Mártyris, de quo ágitur prídie hujus diéi. Tyri in Túscia, etc.

27 Octáva sancti Elíæ Prophétæ patris nostri. Nicomédiæ, etc.

30 Sancti Anacléti Papæ et Mártyris, cujus natális tértio Idus Júlii recólitur. Romæ, etc.

# AUGUSTO.

7 Messanæ in Sicília sancti Albérti Confessóris, Ordinis Carmelitárum, miráculis clari.

Neápoli in Campánia sancti Cajetáni Thienæi Confessóris, clericórum Regulárium fundatóris, qui singulári in Deum fidúcia prístinam apostólicam vivéndi formam suis coléndam trádidit, et miráculis clarus a Cleménte Décimo inter Sanctos relátus est; cujus festívitas quinto Idus Augústi recólitur. Arétii, etc.

9 Vigília sancti Lauréntii Mártyris.

Sancti Cajetáni Confessóris, cujus dies natális séptimo Idus Augústi habétur. Romæ, etc.

11 Sancti Emygdii Epíscopi, et Mártyris, de quo Nonis Augústi ágitur. Romæ, etc.

13 Beáti Angeli Augustíni Mazzinghi, Carmelítæ Confessóris, cujus natális habétur decimoséptimo Kaléndas Septémbris. Romæ, etc.

14 Vigília Assumptiónis beátæ Maríæ Vírginis.

Octáva sancti Albérti Confessóris. Romæ natális, etc.

16 Circa finem Lectionis Martyrologii Romani adde penultimo loco :

Floréntiæ beáti Angeli Augustíni Mazzinghi, Carmelítæ Confessóris, cujus immemorábilem cultum Clemens Decimustértius Póntifex Máximus apostólica auctoritáte approbávit, et festum celebrándum quintodécimo Kaléndas Augústi ab univérso Ordíne Carmelitáno, atque ab utróque clero in civitáte Floréntiæ indúlsit; nunc vero Idibus Augústi recólitur. Romæ sanctæ Serénæ, etc.

**18** Sancti Vincéntii a Paulo Confessóris, cujus festum quartodécimo Kaléndas Augústi recólitur. Prænéste, etc.

**19** Sancti Camílli de Lellis Confessóris, cujus festívitas quintodécimo Kaléndas Augústi celebrátur. Romæ, etc.

Ubi Festum S. Bartholomæi Apostoli celebratur die **24** Augusti.

**23** Vigília sancti Bartholomæi Apóstoli. Tudérti sancti Philíppi, etc.

**24** Sancti Bartholomæi Apóstoli, qui, etc. Carthágine, etc.

**25** Lutétiæ Parisiórum sancti Ludovíci, etc.

**26** Sanctæ Maríæ Magdalénæ, cujus natális dies undécimo Kaléndas Augústi celebrátur. Romæ, etc.

Ubi vero Festum S. Bartholomæi Apostoli celebratur die **25** Augusti.

**23** Tudérti sancti Philíppi, etc.

**24** Vigília sancti Bartholomæi Apóstoli.

Sanctæ Maríæ Magdalénæ, cujus natális dies undécimo Kaléndas Augústi celebrátur. Carthágine, etc.

**25** Sancti Bartholomæi Apóstoli, qui, etc. ut die præcedenti, et prosequitur : Lutétiæ Parisiórum sancti Ludovíci Confessóris, Regis Francórum, vitæ sanctitáte ac miraculórum glória illústris ; cujus festum sequénti die recólitur. Romæ sanctórum, etc.

**26** Sancti Ludovíci Confessóris, Regis Francórum, de quo prídie hujus diéi. Romæ sancti, etc.

**27** Transverberátio Cordis sanctæ Terésiæ Vírginis, et matris nostræ.

Romæ deposítio sancti Joséphi Confessóris, vitæ innocéntia, et miráculis illústris, qui ad erudiéndam pietáte ac lítteris juventútem, Ordinem clericórum Regulárium paúperum Matris Dei scholárum piárum fundávit; cujus festum prídie Nonas Septémbris habétur. In Statu vero ecclesiástico, et in Etrúria, octávo Idus Septémbris celebrátur. Cápuæ, etc.

**31** Dedicátio Ecclesiárum Ordinis beatíssimæ Vírginis Maríæ de monte Carmélo.

Cardónæ in Hispánia sancti Raymúndi Nonnáti, Cardinális et Confessóris, Ordinis beátæ Maríæ de Mercéde redemptiónis captivórum, vitæ sanctitáte, et miráculis clari; cujus festívitas sequénti die recólitur. Tréviris, etc.

## SEPTEMBRI.

**1** SANCTI Raymúndi Nonnáti Confessóris, qui prídie hujus diéi evolávit in cœlum. In Província, etc.

**2** In monte Carmélo beáti Brocárdi Confessóris, Ordinis Carmelitárum, miræ sanctitátis ac prudéntiæ viri.

Albæ in Pannónia sancti Stéphani, Hungarórum Regis, qui divínis virtútibus exornátus, primus Húngaros ad fidem Christi convértit, et a deípara Vírgine ipso die Assumptiónis suæ in cœlum recéptus fuit: ejus tamen festum, ex constitutióne Innocéntii Papæ Undécimi, hac die potissimum recólitur, qua Budæ munitíssima arx sancti Regis ope ab exército christiáno strénue recuperáta fuit: quod tamen festum in Kalendário nostro sequénti die celebrátur. Romæ, etc.

**3** Sancti Stéphani, Hungarórum Regis et Confessóris, de quo prídie hujus diéi célebris habétur memória. Romæ, etc.

**4** Sancti Josépli Confessóris, cujus festívitas ágitur sexto Kaléndas Septémbris. In monte Nebo, etc.

In Statu ecclesiastico, et in Etruria omittatur prædicta Lectio, et dicatur: Vitérbii beátæ Rosæ Vírginis. In monte Nebo, etc.

Vide ne repetas Lectionem S. Rosæ in fine.

**6** Sancti Aléxii Confessóris, cujus natális dies sextodécimo Kaléndas Augústi recólitur. Zacharíæ, etc.

In Statu ecclesiastico, et in Etruria omittitur præcedens Lectio, et dicitur: Sancti Joséphi Confessóris, cujus festívitas ágitur sexto Kaléndas Septémbris. Zacharíæ, etc.

**7** Octáva Dedicatiónis Ecclesiárum Ordinis Carmelitárum. Nicomédiæ, etc.

**9** Sancti Hierónymi Æmiliáni Confessóris, cujus dies festus habétur decimotértio Kaléndas Augústi. Nicomédiæ, etc.

In Statu ecclesiastico, et in Etruria omissa prædicta Lectione, dicitur: Sancti Aléxii Confessóris, cujus natális dies sextodécimo Kaléndas Augústi recólitur. Nicomédiæ, etc.

**11** In Statu ecclesiastico, et in Etruria primo loco dicatur:

Sancti Hierónymi Æmiliáni Confessóris, cujus dies festus habétur decimotértio Kaléndas Augústi. Romæ via Salária, etc

**24** Circa finem Martyrologii Romani, ubi legitur de S. Gerardo, dicatur: In Pannónia sancti Gerárdi, Epíscopi et Mártyris, Hungarórum Apóstoli nuncupáti, Ordinis Carmelitárum, Patrítii Véneti, qui primus Pátriam nóbili martyrio illustrávit; cujus tamen dies festus sequénti die celebrátur.

Arvérnis depositio sancti Rústici, Epíscopi et Confessóris.

In território Belvacénsi sancti Germári Abbátis.

**25** Sancti Gerárdi Epíscopi et Mártyris, Ordinis Carmelitárum, qui prídie hujus diéi martyrii palmam proméruit. In castéllo Emmaus, etc.

# OCTOBRI.

6 Octava sancti Michaélis Archángeli.
In Calábria sancti Brunónis Confessóris, Ordinis Carthusianórum institutóris; cujus festívitas sequénti die recólitur. Laodicéæ, etc.
7 Sancti Brunónis Confessóris, de quo prídie hujus diéi ágitur. Romæ, etc.
15 Abulæ in Hispánia sanctæ Terésiæ Vírginis, etc. ut in Mart. Rom.
21 In Cypro natális sancti Hilariónis Abbátis, Ordinis Carmelitárum, cujus vitam virtútibus ac miráculis plenam sanctus Hierónymus scripsit. Apud Colóniam, etc.
22 Octáva sanctæ Matris nostræ Terésiæ. Jerosólymis, etc.
23 Ubi non fit Dominica tertia Julii dicitur primo loco:
Festum sanctíssimi Redemptóris. In Hispánia, etc.
24 Festum sancti Raphaélis Archángeli. Venúsiæ in Apúlia, etc.
26 Translátio córporis sancti Andréæ Corsíni, Epíscopi et Confessóris Ordinis nostri. Romæ, etc.
30 Antiochíæ sancti Serapiónis Epíscopi, Ordinis Carmelitárum, eruditióne claríssimi. In Africa, etc.
Vide ne repetas eamdem Lectionem circa finem Martyrologii Romani.

# NOVEMBRI.

Sabbatò ante Dominicam secundam Novembris.

Festum Patrocínii beátæ Maríæ Vírginis.
9 In fine Lectionis Martyrologii Romani addatur:
Bonóniæ beáti Ludovíci, Confessóris tértii Ordinis Carmelitárum, pœniténtiæ laude, et vitæ austeritáte illústris; cujus festum celebrátur Idibus Mártii.
14 Festívitas ómnium Sanctórum Ordinis beatíssimæ Vírginis Maríæ de monte Carmélo. Heráclеæ, etc.
15 Commemorátio ómnium Defunctórum Ordinis Carmelitárum.
In Germánia sanctæ Gertrúdis Vírginis, Ordinis sancti Benedícti, quæ dono revelatiónum clara éxtitit, et quintodécimo Kaléndas Decémbris ad Sponsum migrávit; ejus tamen festum hac die recólitur. Natális, etc.
24 Ubédæ in Hispánia sancti Joánnis a Cruce Confessóris, in Carmelitárum reformatióne sanctæ Terésiæ sócii; cujus dies natális decimonóno Kaléndas Januárii recensétur. Ejus tamen festum jussu Cleméntis Papæ Duodécimi hac die celebrátur. Natális, etc.

26 In Statu ecclesiastico dicatur primo loco :

**Apud Fabriánum in Picéno beáti Silvéstri Abbátis, institutóris Congregatiónis Monachórum Silvestrinórum. Alexandríæ, etc.**

Vide ne repetas eamdem Lectionem circa finem Martyrologii Romani.

**28 Octáva Præsentatiónis beátæ Maríæ Vírginis. Romæ, etc.**

# DECEMBRI.

**1 OCTAVA sancti patris nostri Joánnis a Cruce Confessóris. Nahum Prophétæ, etc.**

2 In Lectione Mart. Rom. legatur de S. Petro Chrysologo, ut sequitur :

**Apud Forum Cornélii sancti Petri, Epíscopi Ravennátis, cognoménto Chrysólogi, doctrína et sanctitáte célebris, cujus festum Nonis Decémbris in nostro Kalendário recólitur. Verónæ, etc.**

**4 Nicomédiæ pássio sanctæ Bárbaræ, Vírginis et Mártyris, quæ in persecutióne Maximíni, post diram cárceris maceratiónem, lampadárum adustiónem, mamillárum præcisiónem, atque ália torménta, gládio martyrium consummávit. Constantinópoli, etc.** omisso S. Petro Chrysologo.

**5 Sancti Petri Chrysólogi, Epíscopi et Confessóris; cujus memória quarto Nonas Decémbris recensétur. Mútalæ in Cappadócia, etc.**

**10 Lauréti in Picéno Translátio sacræ Domus Dei Genitrícis Maríæ, in qua Verbum caro factum est. Romæ, etc.**

Vide ne repetas eamdem Lectionem in fine Martyrologii Romani.

11 Ultimo loco in fine Lect. Mart. Rom. legatur de B. Franco, ut seq.

**Senis in Túscia beáti Franci Conféssoris, Ordinis Carmelitárum, exímia vitæ austeritáte, ac frequénti Deiparæ apparitióne, prophetiæ spíritu, ac miraculórum glória illústris, qui inter Angelórum concéntus atque miríficum splendórem emísit spíritum; cujus festívitas sextodécimo Kaléndas Januárii celebrátur.**

**14 In Cypro ínsula natális beáti Spiridiónis Epíscopi, Ordinis Carmelitárum, qui unus fuit ex illis Confessóribus, quos Galérius Maximiánus, déxtero óculo effósso, et sinístro póplite succíso, ad metálla damnáverat. Hic prophetiæ dono, et signórum glória ínclytus fuit, et in Nicæno concílio philósophum éthnicum christiánæ religióni insultántem devícit, et ad fidem perdúxit.**

**Alexandríæ sanctórum Mártyrum Herónis, Arsénii, Isidóri, et Dióscori púeri : quorum tres primos judex in persecutióne Deciána váriis torméntis dilánians, cum pari constántia vidéret armátos, tradi ígnibus jubet : Dióscorus vero multiplíciter flagellátus, divíno nutu ad consolatiónem fidélium dimíssus est.**

Antiochíæ natális sanctórum Mártyrum Drusi, Zósimi, et Theodóri.

Eódem die pássio sanctórum Justi, et Abúndii, qui sub Numeriáno Imperatóre, et Olybrio Præside in ignem injécti, cum evasíssent illæsi, gládio percússi sunt.

Rhemis pássio sanctórum Nicásii Episcopi, Eutrópiæ Vírginis soróris ejus, et sociórum Mártyrum, qui a bárbaris Ecclésiæ hóstibus cæsi sunt.

Bérgomi sancti Viatóris Episcopi et Confessóris.

Papíæ sancti Pompéii Epíscopi.

Neápoli in Campánia sancti Agnélli Abbátis, grátia miraculórum illústris, qui obséssam urbem sæpe visus est Crucis vexíllo ab hóstibus liberáre.

Ubédæ natális sancti patris nostri Joánnis a Cruce, cujus festum jussu Cleméntis Papæ Duodécimi octávo Kaléndas Decémbris celebrátur.

Medioláni sancti Matroniáni Eremítæ.

15 Octáva Conceptiónis beátæ Maríæ Vírginis.

Eódem die ordinátio sancti Eusébii Epíscopi Vercelléensis, cujus natális dies Kaléndis Augústi recensétur, ac ejus festum jussu Benedícti Papæ Decimitértii sequénti die recólitur; at in nostro Kalendário quartodécimo Kaléndas Januárii collocátur. Romæ, etc.

16 Floréntiæ in monastério sanctæ Maríæ Angelórum Translátio córporis sanctæ Maríæ Magdalénæ de Pazzis, Ordinis Carmelitárum.

Sancti Eusébii Episcopi Vercelléensis, et Mártyris, de quo Kaléndis Augústi, et prídie hujus diéi ejus refértur memória; cujus festum quartodécimo Kaléndas Januárii celebrátur. Trium Puerórum, etc.

17 Beáti Franci Confessóris, Ordinis Carmelitárum, cujus dies natális ágitur tértio Idus Decémbris. Eleutherópoli in Palæstína, etc.

18 Festum Expectatiónis Partus beátæ Maríæ Vírginis. Philíppis, etc.

19 Sancti Eusébii Episcopi Vercelléensis, et Mártyris, cujus festívitas decimoséptimo Kaléndas Januárii recólitur. Alexandríæ, etc.

26 Jerosólymis natális sancti Stéphani Protomártyris, qui a Judæis non longe post Ascensiónem Dómini lapidátus est.

Romæ sancti Maríni Ordinis senatórii, qui sub Numeriáno Imperatóre, et Marciáno Præfécto, christiánæ religiónis causa comprehénsus, equúleo, et úngulis servíli more punítus, in sartáginem deinde conjéctus, sed igne in rorem convérso, liberátus, feris quoque objéctus, et ab illis servátus illæsus: tandem ad aram íterum ductus, cum idóla oratióne ejus corruíssent, percússus gládio, martyrii triúmphum adéptus est.

Item Romæ via Appia depositio sancti Dionysii Papæ, Ordinis Carmelitárum, qui multis pro Ecclésia impénsis labóribus, fídei documéntis clarus effúlsit: cujus festívitas prídie Idus Februárii celebrátur.

Ibídem sancti Zósimi Papæ et Confessóris.

In Mesopotámia sancti Archelái Epíscopi, doctrina, et sanctitáte célebris.

Majúmæ sancti Zenónis Epíscopi.

Romæ sancti Theodóri, Mansionárii Ecclésiæ sancti Petri, cujus méminit sanctus Gregórius Papa.

# FESTA MOBILIA.

Sabbato ante Dominicam secundam post Epiphaniam.

Festum dulcíssimi Nóminis Jesu, quod illi ab Angelo, priúsquam in útero Vírginis conciperétur, impósitum est.

Prima Feria quinta ante Feriam sextam post Octavam Paschæ, non impedita Festo novem Lectionum, etc. primo loco dicatur.

Festum sacratíssimæ Corónæ Dómini.

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pascha.

Festum Patrocínii sancti Joseph, sponsi beátæ Maríæ Vírginis, protectóris Ordinis Carméli, a Seráphica Vírgine matre Terésia restauráti, ab Innocéntio Undécimo sub ritu dúplici secúndæ classis concéssum, et a Pio Sexto ad ritum primæ classis evéctum.

Sabbato ante Dominicam quartam post Pascha.

Octáva Patrocínii sancti Joseph protectóris nostri.

Si hoc Festum alicubi transferri contingat, Sabbato ante Dominicam quartam post Pascha dicatur, ut Sabbato ante Dominicam tertiam; et Sabbato ante Dominicam quintam, ut Sabbato ante Dominicam quartam.

Feria quinta in Octava Corporis Christi.

Festum sacratíssimi Cordis Jesu.

Sabbato ante Dominicam tertiam post Pentecosten.

Festum sacri Cordis beátæ Maríæ Vírginis.

Ubi Festum SS. Redemptoris celebratur Dominica tertia Julii.

Sabbato ante prædictam Dominicam.

Festum sanctíssimi Redemptóris.

Sabbato ante Dominicam secundam Octobris.

Festum Maternitátis beátæ Maríæ Vírginis.

Sabbato ante Dominicam tertiam Octobris.

Festum Puritátis beátæ Maríæ Vírginis.

Sabbato ante Dominicam secundam Novembris.

Festum Patrocínii beátæ Maríæ Vírginis.

## OFFICIA EX PRIVILEGIO

QUÆ PER HEBDOMADAM VEL PER MENSEM AUT PER ANNUM CELEBRÁNTUR.

Quando fit Officium de SS. Sacramento.

Commemorátio sacratíssimi Córporis Christi in Féria quinta, vel extra Fériam quintam.

Quando fit Officium de B. Virgine Maria.

Commemorátio beátæ Mariæ Vírginis in Sábbato, vel extra Sábbatum.

Quando fit Officium SS. Nominis Mariæ.

Commemorátio sanctíssimi Nóminis Maríæ, quater in anno.

Quando fit Officium S. P. N. Eliæ Prophetæ.

Commemorátio sancti Patris nostri Elíæ Prophétæ, semel in mense.

Quando fit Officium S. M. N. Teresiæ.

Commemorátio sanctæ Matris nostræ Terésiæ, semel in mense.

Quando fit Officium S. P. N. Joannis a Cruce.

Commemorátio sancti Patris nostri Joánnis a Cruce, semel in mense.

Quando fit Officium S. Andreæ Corsini Episc. et Conf. Ord. nostri.

Commemorátio sancti Andréæ Corsíni Epíscopi et Confessóris, Ordinis nostri, bis in mense.

Quando fit Officium S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. Ord. nostri.

Commemorátio sanctæ Maríæ Magdalénæ de Pazzis, Vírginis Ordinis nostri, semel in mense.

# LECTIONES PROPRIÆ

PRO FESTIS MOBILIBUS

## AD ABSOLUTIONEM CAPITULI.

In festo SS. Nominis Jesu.

Lectio. Omne quodcúmque fácitis, etc. ut in Martyrologio Romano.

In festo Coronæ Domini.

Lectio.

In die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, et sertum exultatiónis resíduo pópuli sui. Tu autem, etc.

In festo Patrocinii S. Joseph, et in Octava.

Lectio.

Filius accréscens Joseph, fílius accréscens, et decórus aspéctu: fíliæ discurrérunt super murum. Tu autem, etc.

In festo Sacratissimi Cordis Jesu, Lectio.

**Cantate Dómino, quóniam mirífice fecit, annuntiáte hoc in univérsa terra. Exúlta et lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tui sanctus Israel. Tu autem, etc.**

In festo sacri Cordis B. Mariæ Virginis.

Lectio. **In platéis, etc.** ut infra in festo Desponsationis B. Mariæ Virg.

In festo SS. Redemptoris, Lectio.

**Dignus es Dómine Deus noster accípere glóriam, et honórem, et virtútem: quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne, et fecísti nos Deo nostro regnum. Tu autem, etc.**

In festo Maternitatis B. M. V.

Lectio. **In platéis, etc.** ut infra in festo Desponsationis B. M. V.

In festo Puritatis B. M. V.

Lectio. **In platéis, etc.** ut infra in festo Desponsationis B. M. V.

In festo Patrocinii B. M. V.

Lectio. **In platéis, etc.** ut infra in festo Desponsationis B. M. V.

## LECTIONES PROPRIÆ SANCTORUM.

In festo Desponsationis B. Mariæ Virg. et in ejus Officio in Sabbato. Lectio.

**In platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Tu autem, etc.**

In festo S. Gabrielis Archangeli, Lectio.

**Scito ergo, et animadvérte: ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem usque ad Christum ducem, hebdómades septem, et hebdómades sexagínta duæ erunt. Tu autem, etc.**

In festo B. Mariæ Virg. sub titulo Auxilium Christianorum.

Lectio. **In platéis, etc.** ut supra in festo Desponsationis B. M. V.

In festo S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. Ordinis nostri, et in ejus Translatione, ac per mensem, Lectio.

**Adjuro vos, fíliæ Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei, quia amóre lángueo. Tu autem, etc.**

In festo S. Elisei Prophetæ Patris nostri, Lectio.

**Misit ad Naaman Eliséus núntium dicens: Vade, et laváre sépties in Jordáne, et recípiet sanitátem caro tua, atque mundáberis. Tu autem, etc.**

In Commemoratione solemni B. Mariæ Virg. de monte Carmelo. Lectio.

**Qui audit me, non confundétur, et qui operántur in me, non peccábunt: qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt. Tu autem, etc.**

In festo S. Eliæ Prophetæ, Ducis, et Patris nostri, ac per mensem, Lectio.

**TU sustulisti mórtuum ab inferis, de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui scriptus es in judíciis témporum, leníre iracúndiam Dómini. Tu autem, etc.**

In festo Transverberationis Cordis S. Matris nostræ Teresiæ. Lectio.

**TETENDIT arcum suum, et pósuit me quasi signum ad sagittam: misit in rénibus meis fílias pháretræ suæ. Tu autem, etc.**

In festo sanctæ Matris nostræ Teresiæ Virginis, et in ejus Translatione, ac per mensem. Lectio.

**VENERUNT autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætáta sum in ómnibus: quóniam antecedébat me ista sapiéntia. Tu autem, etc.**

In festo SS. Redemptoris.

Lectio. **Dignus es Dómine, etc.** ut supra Dominica tertia Julii.

In festo S. Raphaelis Archangeli, Lectio.

**TEMPUS est ut revértar ad eum, qui me misit, vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus. Tu autem, etc.**

In festo omnium Sanctorum Ordinis B. Virginis Mariæ de monte Carmelo, Lectio.

**FILII eórum propter illos usque in ætérnum manent, semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Tu autem, etc.**

In festo S. Joannis a Cruce Confessoris, Patris nostri, et in ejus Translatione, ac per mensem. Lectio.

**QUÆ et didicístis, et accepístis, et audístis, et vidístis in me, hæc ágite, et Deus pacis erit vobíscum. Tu autem, etc.**

In festo Translationis Almæ Domus Lauretanæ B. M. V.

Lectio. **In platéis, etc.** ut supra in Festo Desponsationis B. M. V.

In festo Expectationis Partus B. Mariæ Virg. Lectio.

**RORATE cœli désuper, et nubes pluant justum; aperiátur terra, et gérminet Salvatórem, et justítia oriátur simul: Ego Dóminus creávi eum. Tu autem, etc.**

Lectiones aliæ si quæ occurrant, vel erunt propriæ Festorum, vel de Communi; omnes in principio Martyrologii Romani reperiuntur: vel certe sumantur in Breviario ex Capitulo Nonæ.

# INDEX SANCTORUM ET BEATORUM
## ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM
QUORUM MEMINIT HOC MARTYROLOGIUM.



FINIS.

# INDEX NOMINUM

# OMNIUM SANCTORUM

## QUI IN HOC MARTYROLOGIO CONTINENTUR

### ORDINE ALPHABETICO DESCRIPTUS.

## A

# B

# C

## D

# E

# F

## G

# H

## L

## N

# O

# P

# Q

## R

# S

# T

# V

## X



## Z

# INDEX

# NOMINUM SANCTORUM

## QUORUM LOCUS IN MARTYROLOGIO NON INDICATUR.

# INDEX MARTYROLOGIORUM

## QUÆ IN HOC VOLUMINE REPERIUNTUR.



## APPROBATIO.

Hanc novam editionem Martyrologii Romani, conformem editioni Romanæ anni 1845, publicari permittimus.

Datum Mechliniæ die 15 mensis Octobris anni 1846.

ENGELBERTUS Card. Arch. Mechl.